STATVTA CIVITATIS MONTISREGALIS.









IN MONTEREGALI, MDLXX.

AL nome del Signor Iddio, &c. Il Magnifico, & general Conſeglio della preſente Città di MonteRegale, hoggidi a ſuon di campana, e trombe, congregato nella ſala maggiore del Palazzo del Commune di eſſa Città, e luogo ſolito, preſente il molto Magnif. Signor Gaſpare Cambiano, Luogotenente del molto Illuſtre Signor GiouanBattiſta Cambiano, de' Signori di Ruffia, meritiſsimo Gouernatore di detta Città, e ſuo mandamento, per il Sereniſs. Signor noſtro EMANVEL FILIBERTO Duca di Sauoia, di Chiables, e Agoſta, Prencipe di Piemonte, &c. Conſiderando di quanta neceſsità, e beneficio ſia, & col tẽpo tutta uia eſſer poſſa, che'l volume de Statuti di detta Città, già molto dal longo vſo, & antiquità conſumato, ſia in comune vtile rinouato, & in piu volumi ſtampato; acciò che venendo in cognition di piu perſone, poſsino eſſer meglio et piu intieramente, & perfettamente oſſeruati. Ha ordinato, & per il preſente Decreto ſtabilito, che detto volume, e ſue additioni, & altri ſtatuti, che ſi trouaranno ne' libri de conſegli, debbano quanto prima eſſer reconoſciuti, & a ſuoi conuenienti luoghi, e ſotto le debite rubrice, e collationi diſtribuiti, e collocati; & nella meglior forma, che ſi potrà ſtampati, comettendo il carico di queſta recognitione, & ordinatione, & di douer far eſſequire il preſente Decreto alli molto Mag. Dottori di leggi

M. Faccioto Bianco, Auocato preſente di detta Città.

M. Battiſta Penſa	*M. Stefano Bottega*
M. Nicolò Stopperio	*M. Tamino Ferrero*
M. Gio. Franceſco Donzello	*M. Gio. Marco Blengini*

O alla maggior parte d'eſsi, quando alcun di loro non

vi potesse attendere, ordinandogli, che non habbino ad immutarui, leuarui, ne aggiongerui parola, o cosa alcuna in senso, ne sostanza; ma che solo ne gli stessi modi, e forma, che gli ritrouaranno ne gli originali, quelli collocheranno ne luoghi, a quali oportunamente caderanno. Insieme si da alli sudetti autorità, di poter aggiunger, dichiarare, e di nuouo statuire nelle materie d'accorimento, de contratti di donne, e successioni, quando a lor paia necessario, & ispediente di ciò fare. al qual libro stampato, dichiara detto Conseglio, che si debba dare piena, & indubitata fede, ne da litiganti o altri s'hauerà piu ricorso alcuno ad altri originali, intendendo, che esso volume stampato s'habbi, e sia l'originale istesso, ne si potrà all'auenire in qualonche modo opporre dell'inosseruanza di qualonche statuto; anzi s'intende, che pienamente, & inuiolabilmente si debbanno in ogni lor parte mantenere, osseruare, & essequire in qualonche piu possibil, e miglior modo, sotto le pene in essi statuti stabilite, che tal è la mente di detto general Conseglio: saluo però ne i capitoli, concernenti i redditi publici, e prezzi stabiliti alle cose, e mercantie d'artegiani, che si potranno (al solito) secondo l'occorenze da detto Conseglio, o uero da Capitulatori, o altri per esso deputati annualmente immutare, & innouare. L'istesso ordinando de gli altri statuti et ordini, quali oltra la forma delli sudetti, che si stamperanno, immutati, o riformati fossero, e per l'auenir si ritrouassero. Fatto, e di comun consenso stabilito detto Ordine, e Decreto nel luogo sopradetto, per me sotto signato Notaro, & di detta Città, presente Cancelliero, rogato, & stipulato in ampia, e publica forma, come nel libro d'esso Conseglio appare, sotto questo giorno vintiquattro, del mese di Giugno 1570.

Giacomo Ferrero. Cancell.

INDEX CAPITVLORVM.

totiūs Voluminis.

Hominibus

Quo

Index.

quod

Index.

FINIS.

Nil est omnibus rebus humanis præstantius, aut præclarius quàm de Repub. Benemereri.



VRBS *legibus fundarier nulla valet*
Rectè, vnde prorsum absit verecundus timor
Veh Ciuitati, in qua viget nefaria
Contemptio legum, atque per licentiam
Abiecta obedientia fit quodlibet
Talem, vt beatam vrbem, tamen mox indica
De vertice alto pessum ituram funditus.

STATVTORVM CIVITATIS MONTISREGALIS COLLATIO PRIMA

De Officialibus Curiæ.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

QVONIAM, vt ait beatus Gregorius, non debet reprehensibile iudicari, si statuta quandoque variantur humana. Nam & ipse Deus non nulla quæ in ueteri disposuerat testamento, mutauit in nouo. Quocirca ex nouiter emergentibus & frequenter occurrentibus nouas edere formas natura deproperat. Sitqúe Deo laudabile & gentibus gratiosum, quòd minus bene statuta in melius reformentur & immoderata ad congrua reducantur, & ambigua declarentur, vt res publica claris & lucidis regulis in suo debito statu conseruetur. Ideo infrascripti nobiles & sapientes capitulatores electi ex auctoritate & bailia eis attributa a consilio generali communis ciuitatis MontisRegalis, vt patet in libro consiliorum dictæ ciuitatis signato exterius per litteram Œ folio tricentesimo sexagesimo quarto Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimoquinto indictione octaua die uigesimo mensis Ianuarii. Et ex ordinatione facta die sequenti per Syndicum & Gubernatores ciuitatis prædictæ, vt patet in libro gubernatorum signato per + folio quadringentesimo quinto ex auctoritate dicti consilii. Sub dominio Illustris Principis, ac magnifici domini nostri domini Ludouici de Sabaudia principis Achaiæ &c. ac domini ciuitatis Montis Regalis & pertinentiarum. Statuerunt capitulauerunt ut infra consensu, auctoritate, uoluntate, & licentia spectabilis & potentis viri domini Stephani de Agladio ex comitibus sancti Martini honorabilis Capitanei & Vicarii dictæ ciuitatis. Et cum consilio egregii legum doctoris domini Pauli de Natonibus ciuis Sauonæ Iu-

næ Iudicis ciuitatis prædictæ, quorum capitulatorum nomina sunt hæc.

D. Iacobus Paganus Iuris Peritus	*Petrus Vaschus*
Ioannes Donzellus	*Donatus Dacianus*
Ioannes Biglionus	*Theodorus de Turre.*

De Electione Domini Vicarij. *Caput Primum.*

PRIMO Statutum est, & proinde ordinatum, quòd in & pro electione Domini Vicarii huius Ciuitatis MontisRegalis, legitimè, & ritè fienda quolibet anno per tres menses ante finem regiminis, vel officii Domini Vicarii, qui pro tempore fuerit, congregetur maius consilium eiusdem ciuitatis more *solito*, in quo quidem maiore consilio eligantur per sapientes eiusdem, illi sapientes & tot in numero quot placuerit prædictis de dicto consilio. Qui electi potestatem & bailiam habeant *eligendi*, & eligere teneantur bona fide & sine fraude, remotis amore, odio, timore, præmio, vel spe præmii, & omni humana gratia, vel sorde, & sine alicuius acceptione personæ, & in virtute per eos præstiti iuramenti, tres probos & notabiles viros nobiles, vel aliter virtute pollentes, & quorum quemlibet in suis conscientiis putauerint vtiliorem, ac idoneum & fructuosum pro regimine & gubernatione dictæ ciuitatis, quorum trium sic electorum nomina, ne de posteritate, vel acceptione personæ alicuius dictorum electorum perpendi vel iudicari possit, scribantur infra vnum circulum formæ infrascriptæ. Qui circulus cum dictis nominibus in eo scriptis, & cum litteris dictæ electionis proinde factis mittatur ad Illustrem Principem Dominum nostrum Dominum dictæ ciuitatis, qui confirmet vnum de dictis tribus electis, & in dicto circulo nominatis. Qui sic per præfatum Dominum nostrum confirmatus sit, & esse intelligatur legitimus Vicarius dictæ ciuitatis pro anno futuro, inchoando a tempore ingressus ipsius electi, & depositi officii eius prædecessoris, & vt sequetur pro tempore finiendo: ex cuius ingressus tempore, præfatus Dominus Vicarius, & postquàm iurauerit eius officium, habeat in dicta ciuitate merum, & mixtum imperium, iurisdictionem omnimodam, & gladii potestatem, iuxta tamen obseruantiam iuris communis, & Statutorum dictæ ciuitatis. Qui D. Vicarius habeat, & habere debeat pro eius salario di-

&i anni florenos sexcentos ad rationem solidorum quinquaginta sex pro quolibet floreno. Hoc insuper sit statutum in principio, medio, & fine omnium statutorum quòd vbicunque sit mentio Domini Potestatis, idem intelligatur de Domino Vicario, & econtra, Ita quòd vnus terminus pro alio intelligatur.

De familia quam Dominus Vicarius secum ducere debet, & tenere. Cap. II.

ITEM Statutum est, quòd D. Vicarius teneatur & debeat vinculo iuramenti, & sub pœna alibi per capitula ordinata in primo ingressu eius officii & dictæ ciuitatis secum ducere, & postea vsque ad finem sui officii vel regiminis semper tenere duos milites socios, qui uulgariter appellātur caualerii, qui præsint regardariis & aliis quæ ad eorum officium de consuetudine spectant. Item domicellos duos uestitos de partita. Item famulos & birruarios sex etiam de alia eadem partita uestitos sic, quòd birruarii curie ab aliis cognoscantur cum armis sufficientibus & oportunis. Item equos tres & pagium unum, & coquum unum omnes ipsius domini Vicarii sumptibus, expensis & periculo. Ita quòd si aliquis de dicta familia in principio officii per dominū Vicariū conductus vel postea subrogatus, contraxerit aliquod debitum vel rem aliquam sibi commodari fecerit, ab aliqua persona de dicta ciuitate, vel credentiam sibi fieri fecerit, & de dicta ciuitate recesserit absque eo, quòd de prædictis satisfecerit personis quibus in prædictorum aliquo teneretur: tunc & eo casu dictus dominus Vicarius tale debitum vel rem commodatam & non redditam pro dicto famulo teneatur de suo proprio soluere, satisfacere, & reddere.

De Iuramento dominorum Vicarij Iudicis militum, & aliorum Officialium. Cap. III.

ITEM Statutum est, quòd dominus Vicarius Iudex milites & alii rectores ciuitatis MontisRegalis in principio eorum regiminis vel alterius eorum iurent & iurare teneantur, ad sancta Dei euangelia, in consilio dictæ ciuitatis facere & exercere bene & legaliter, cuiuslibet eorum officium & ius & iustitiam ministrare & reddere cuilibet personæ secundum statuta ordinamenta & reformationes consiliorum dictæ ciuitatis, & deficientibus statutis & aliis ordinamentis secundum leges & canones ac bonas consuetudines communis & hominum dictæ ciuitatis. Et at-

tendere & obseruare pacta & conuentiones inita & initas inter Illustrem dominum dominum Principem dominum nostrum ex vna parte,& commune dictæ ciuitatis ex altera. Et saluare, defendere, protegere, & gubernare omnes ecclesias, & loca religiosa, & personas ecclesiasticas & religiosas ciuitatis MontisRegalis, & districtus & omnia eorum iura. Et specialiter monasterium sancti Stephani & eius bona,& monasterium sancti Blasii vallis Pexii & Pogloriæ ac Casularum de his rebus quas habent in finibus siue posse dictæ ciuitatis. Et defendere, & manutenere pupillos, uiduas,orfanos,& miserabiles personas. Et saluare & reuereri,& custodire ac defendere personam domini Episcopi dictæ ciuitatis MontisRegalis,& omnium & singulorum hominum dictæ ciuitatis, & bona ac iura eiusdem bona fide & sine fraude. Et euitare expensas damnosas dictæ ciuitatis eorum posse, remotis amore,timore,pretio & precibus & omni humana gratia. Et quòd attendent & obseruabunt constitutiones factas contra hæreticos & alios infideles. Et iuuabunt ac defendent Inquisitores hæreticæ prauitatis. Et quòd attendent capitula & ordinamenta reformationes consiliorum dictæ ciuitatis toto eorum posse. Et quòd non accipient aliqua munera vel xenia nisi esculenta & poculenta,& ex illis quatenus sunt a iure concessa & non ultra. Et prædicta vt scripta sunt, iurabunt prædicti officiales siue rectores sine aliqua exceptione vel reseruatione. Item iurabunt dicti domini Vicarius & Iudex, legere uel sibi legi facere ad eorũ intellectum infra duos menses, postquam fuerint officium adepti, omnia & singula capitula dictæ ciuitatis, & post dictum tempus similiter dicta capitula semel durante dicto regimine eorum, congruo tempore legere seu sibi legi facere & examinare bona fide. Item iuret dictus dominus Vicarius, quòd per se & familiam suam obseruabit & obseruari faciet capitula loquentia de uino extraneo non ducendo in ciuitate MontisRegalis seu posse. Et quòd non cõsentiet directe uel indirecte palam uel clam, quòd uinum extraneum ducatur ut supra, & quòd licentiam non dabit alicui ducenti uinum extraneum ut supra, immo puniet contrafacientes iuxta formam capitulorum ciuitatis prædictæ. Et præstito iuramento statim legatur capitulum de aduocatis, & recipiatur iuramentum eorum qui ibi præsentes fuerint. Et absentes postea citentur & ad iurandum omnino cogantur per dominum Vicarium infra octo dies sub pœna per eum præstiti iuramenti.

Quòd

Quod dominus Vicarius vel alius rector non petat sibi gratiam fieri de rebus communis. Cap. IIII.

ITEM Statutum est, quòd D. Vicarius Iudex milites Clauarius uel Notarius maleficiorum nec aliquis alius rector, uel aliquis de familia dictorum officialium per se se uel alium terrigenam uel forensem, seu alios pro eis nō possint uel debeant ipsi uel aliquis eorum ponere ad cōsilium quod eis uel alteri eorum detur aliquid uel fiet gratia de re communis dum erunt in officio, nec postea & ultra id quod debent habere ex forma capitulorum & ordinamentorū, & consiliarii qui pro tempore fuerint in consilio teneantur exire de consilio, si aliquis prædictorū officialium uel alius pro eis aliquid de prædictis poneret in consilio. Et dominus Vicarius & Iudex teneantur infrà mensem postquàm iurauerint officium ciuitatis MontisRegalis præsens capitulum legi facere in consilio dictæ ciuitatis. Et quilibet qui consuleret vel arengaret contra præsens capitulū in consilio magno uel priuato, incurrat pœnam librarum decem Asten. & aliquis ex prædictis officialibus, nec aliquis de eorum familia possit aliquo modo habere militiam pro communi uel a cōmuni, & qui hoc consuleret uel arengaret, eandem pœnam decem librarum incurrat. Et Syndicus communis, qui pro tempore fuerit in principio cuiuslibet regiminis, eligi facere teneatur & debeat unū hominem literatum de quolibet tercerio, qui sint de consilio, qui electi teneantur iurare in consilio quod quotiescunque proponeretur in consilio publico uel priuato aliquid contra formam præsentis capituli quod denunciabunt, quòd attendant & obseruent continentiam præsentis capituli, quorū officium duret per annum: quibus electis legatur præsens capitulum quando iurabunt, & legatur etiam præsens capitulum semper in consilio, in mutatione Syndici.

Quòd dominus Vicarius, Iudex, Clauarius, Milites & illi de eorum familia soluere teneantur eorum debita. Cap. V.

ITEM Statutum est, quòd dominus Vicarius, Iudex, Clauarius & milites, & alii de eorum familia teneātur & debeant ipsi & quilibet eorum soluere hominibus ciuitatis MontisRegalis, & districtus omnia debita, quæ ipsi uel alter eorum quacunque occasione fecissent, uel contraxissent in ciuitate prædicta uel eius districtu antequam discedant à regimine eorum officii. Et inter

alia teneantur dicti officiales, & quilibet eorum pro culcitris copertoribus, linteaminibus, lectis, & aliis massaritiis, quæ habuissent a quauis persona soluere illam pensionem, de qua antea conuentum esset: Et si de pensione conuentum non esset, tunc soluere teneantur pro pensione quantum conueniens foret. Et ad prædicta debita quæcunque & ad dictas pensiones compellantur dicti officiales, & quilibet eorum per Syndicatores, & etiam per dominum Vicarium in officio successorem. Nec per hoc capitulum tollatur quin dominus Vicarius teneatur pro illis de sua familia, prout continetur in capitulo secundo supra de familia domini Vicarii &c. quòd capitulum in sua remaneat firmitate.

De Andatis & Ambasciatis factis per D. Vicarium. *Cap.* VI.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius in uirtute per eum præstiti sacramenti non possit uel debeat, etiam si ad hoc esset electus ire extra districtum ciuitatis MontisReg. in aliqua andata, vel ambasciata pro communi neque pro aliqua singulari persona cum salario uel sine. Infra districtum uero teneatur dictus dominus Vicarius ire, si opus fuerit per totam iurisdictionem dictæ ciuitatis & per eius uillaria, pro negociis communis peragendis sine aliquo salario, excepto eius ordinario.

Quòd dominus Vicarius regat homines villarum, & de Potestaria uillarum. *Cap.* VII.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius ciuitatis Montis Reg. teneatur regere homines uillarum iurisdictionis ciuitatis prædictæ, scilicet Freboziæ Montisalti, Reburenti, Rochæbaudorum, sancti Blasii, Morocii, & Bastiæ, & uillariorum ciuitatis prædictæ sicut regit homines habitātes in ipsa ciuitate. Saluis pactis illorum de Rochabaudorum & aliarum uillarum, & pactis ordinatis inter D. Episcopum & sapientes cōmunis dictæ ciuitatis & Syndicus Freboziæ, seu Vicarius, quando ibi fuerit, possit facere condemnationes quantacunque sit quantitas inter confessos in ciuilibus tantummodo inter homines Freboziæ, & in uilla Freboziæ, & ipsos tenere sub iurisdictione curiæ dictæ ciuitatis. Qui Vicarius Freboziæ eligatur & eligi debeat per consiliū dictæ ciuitatis. Hoc acto etiam quòd homines Rochæbaudorum Freboziæ, Morocii, & sancti Blasii non possint compelli respondere de iure in dicta ciuitate de solidis decem uel infra, scilicet

inter seipsos homines dictarum uillarum. Hominibus uero dictæ ciuitatis teneantur respondere de iure in ipsa ciuitate coram Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis quantacunq. sit quantitas, & quicunque de Bastia, Rochabaudorum, Frebozia, sancto Blasio, vel Morocio, siue etiã quicunq. Vicarius, siue alius rector dictorum locorum fecerit contra præsens capitulum, faciendo seu fieri faciendo capitula seu ordinamenta, uel consilia per quæ in aliquo præsenti capitulo derogetur, si erit Vicarius uel Rector in aliquo dictorum locorum, incurrat pœnam, si cõsenserit prædictis, solidorum centum pro qualibet uice, & eandem pœnam incurrat Notarius qui scriberet prædicta & talia, si autem erit persona priuata incurrat pœnam solidorum quinquaginta, & qui publice uel priuatim arengaret, uel consuleret contra hoc capitulum, incurrat etiam pœnam librarum quinquaginta Asten. pro quolibet & qualibet uice: & nihilominus talia ordinamenta uel consilia non ualeant ipso iure. Et dominus Vicarius dictæ ciuitatis possit & teneatur de prædictis inquirere. Et si aliquis fuerit condemnatus secundum capitula uel ordinamenta prædictorum hominum facta contra formam præsentis capituli, teneatur dictus dominus Vicarius huius ciuitatis dictam condemnationem cassare & cassari facere quotiescunque fuerit requisitus uinculo sacramenti. Et aliqua persona non regat, nec se intromittat de aliquo regimine faciendo in dictis uillis seu aliqua ipsarum sine uoluntate & expressa licentia consilii generalis dictæ ciuitatis MontisReg. sub pœna solid. centum Asten. pro quolibet & qualibet vice, saluis tamen pactis illorum de Bastita. Et super hoc D. Vicarius uel Iudex dictæ ciuitatis inquirere possit, & habita dicta licentia habeant dicti regentes in dictis uillis illam auctoritatem & bailiam, quæ in capitulo huius ciuitatis continetur. Et camparii Freboziæ possint pignorare in eorum finibus illos extraneos, qui non sunt de ciuitate MontisReg. & posse quos inuenerint pascbare, vel boscare in eorum finibus contra formam capitulorũ, uel ordinamentorum factorum per eos de uoluntate hominum, siue communis huius ciuitatis sine pœna & banno, dummodo ipsa pignora cõsignentur ea die uel sequenti, qua ipsa ceperint, Rectori Freboziæ siue Syndico, qui Rector siue Syndicus teneatur ipsa pignora præsentare seu consignare Clauario ciuitatis prædictæ infra octo dies sub pœna solidorum uiginti Asten. Et quòd aliqua uilla ciuitatis prædictæ non audeat uel præsumat facere ali-

quam bānitam sine speciali & expressa licentia & uoluntate consilii ciuitatis prædictæ, & si facta fuerit non teneat, immo incurrat pœnam dicta uilla librarum decem. Et Syndicus dictæ uillæ qui consenserit in eā, et Notarius qui scripserit, incurrant pœnā solidorum centum pro quolibet & qualibet uice; & super hoc debeat inquiri per curiam, & hoc diuulgetur per dominum Vicarium, uel Iudicem, antequam possit procedi ad dictam pœnam. Ita tamen quòd prædicti homines de uilla Frebouiæ possint & debeant eligere quolibet anno tres homines de dicta ciuitate bonos & idoneos, quorum trium eis confirmetur unus per consilium generale dictæ ciuitatis, qui magis placuerit consilio prædicto, & quòd habere nō possint Potestatem alium quàm unum de tribus electis. Qui Potestas seu Vicarius electus nō possit seruire in dicto officio per substitutū, nisi esset de uolūtate illorum de Frebozia, & nisi secundum formam capitulorum Freboziæ. Et qui fuerit Vicarius uno anno, non possit esse Vicarius ibi de sex annis sequentibus, cuius Vicarii salarium sit in uno anno librarū quinquaginta Asten. quod salariū soluatur de bannis Freboziæ, & deficientibus bannis habeat usque in quantitatem bannorum & non ultra. Si autem ascenderent ultra quantitatem librarum quinquaginta; tunc illud quod superesset remaneat in communi. Et dominus Vicarius ciuitatis MontisRegalis, qui pro tempore fuerit, teneatur & debeat uinculo iuramenti confirmare Vicarios dictarum uillarum, qui ad dicta loca electi fuerint per consilium generale. Nec possit dominus Vicarius dictæ ciuitatis aliquo modo uel sub aliquo ingenio, & sub pœna periurii procurare, habere, uel acceptare Vicarium uel aliud officium alicuius dictarum uillarum per se, nec per aliam personam pro eo. Et quod dictum est de uilla Freboziæ & de omnibus casibus antedictis, intelligatur de Montealto, Reburento, Rochabaudorum, Morocio, sancto Blasio, Bastita Caraxoni, & de aliis locis acquirendis.

Quod Syndicus unà cum tribus ex sapientibus inquirat stipendiarios & familiam domini Vicarij & Castellanorum. *Cap.* VIII

ITEM statutum est quòd Syndicus communis & cum eo tres ex nouem sapientibus teneantur & debeant vinculo sacramenti quolibet mense inquirere monstram stipendiariorum, qui fuerint ad stipendium ciuitatis MontisRegalis, & simili modo teneantur & debeant inquirere totam familiam domini Vicarii, & aspi-

& aspicere si eam habuerit secundum quod tenere debebit, & secundum quod inuenerint, denuntient dicto domino Vicario: & post eam proferant in consilio generali, ad hoc vt de eo quod habere debuerit, ei detrahatur pro ratta secundum numerum deficientium in monstra, quæ facta fuerit per dictos Syndicum & sapientes.

Quod dominus Vicarius non habeat bailiam propter quam capitula infringantur. *Cap.* IX.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius non possit habere bailiam per quam capitula infringantur, nisi haberet eam a consilio facto in diuersis diebus, scilicet in duobus diebus ad minus, nisi iusta & euidens causa siue necessitas imminueret, & si hoc proponetur in cōsilio quod factum fuerit, non valeat ipso facto: & idem intelligatur de iudice & milite, & quocunque alio rectore ciuitatis MontisRegalis, & quod dicta necessitas seu causa, priusquam ponatur in consilio aliquo de dicta bailia danda, examinetur & prouideatur per sapientes electos ad consulendum pro communi: & si duæ partes dictorum sapientum fuerint concordes super instantia causæ uel necessitatis & super dicta bailia danda quod tunc ponatur ad consilium, & aliter non: & si contra factum fuerit, non valeat quod fiet.

De officialibus contrauenientibus capitulis. *Cap.* X.

ITEM quia multa & uaria committuntur per dominum Iudicem milites & alios de familia domini Vicarii contra formam pactorum, conuentionum, capitulorum & ordinamentorum præsentis ciuitatis & eorum præstitum iuramentum, ideo ut tollatur de cætero ne talia committantur, statuerunt, quòd si aliquis in futurum iudex miles vel aliquis ex birruariis & aliis familiaribus domini Vicarii repertus fuerit cōtra facere vel contra fecisse aliquibus ex capitulis, conuentionibus & ordinamentis præsentis ciuitatis, dominus Vicarius ad requisitionem Syndici & persōnæ querelantis, teneatur & debeat virtute iuramenti sui ipsum talem repertum contrauenisse remouere ab officio, & ipsum punire secundum formam iuris & statutorum præsentis ciuitatis, & de alio idoneo loco sui prouidere, tenendo tamen Syndicatum tempore debito, secundum formam capitulorum super hoc disponentium.

Quod dominus Vicarius Iudex & officialis abesse non debeant ultra quatuor dies a ciuitate. Cap. XI.

ET quia vt experientia docet propter absentiam dominorum Vicarii & Iudicis multa veniunt incommoda statuerunt & ordinarunt pro vtilitate reipub. & singularum personarum, quod D. Vicarius & Iudex postquam eorum officium iurauerint non debeant, a præsenti ciuitate se absentare, & absentes stare vltra quatuor dies, nisi cum licentia Syndici, & Gubernatorum præsentis ciuitatis, qui pro tempore fuerint, sub pœna florenorum vigintiquinque, pro quolibet eorum, & qualibet vice, qua se absentauerint, & absentes steterint vltra dictum tempus, ac sine licentia præfata, que pœna applicetur Cameræ Illust. D. Ducis nostri Sabaudiæ, & de præmissis syndicari possint in eorum syndicatu, & præsens capitulum legatur in principio officii cuiuslibet dictorum officialium.

De tribus hominibus elligendis qui teneantur ostendere & legi facere capitula officialibus & scribere teneantur in vno libro querelas hominum dictæ ciuitatis & districtus. Cap. XII.

ITEM statutum est, quod omni anno immediate postquam electus fuit Syndicus ciuitatis MontisRegalis, eligantur per Syndicum gubernatores & sapiẽtes dictæ ciuitatis, tres boni & probi viri, inter quos sit vnus litteratus saltem, vel plures, videlicet vnus pro quolibet tercerio qui vinculo iuramenti per eos prestandi teneantur ostendere & demõstrare dominis Vicario, Iudici, Militibus, Notariis & aliis officialibus curiæ capitula ciuitatis MontisRegalis, & eis debeant denuntiare quod ea obseruare debeant, & quod de illis ignorantiam non pertendant, & dictam denunciationem & infrascriptam descriptionem teneantur prædicti boni viri facere quotiescunque ad notitiam ipsorum peruenerit quod dominus Vicarius, Iudex, miles, vel aliquis de ipsorum familia, seu notarius fecerit alicui personæ de iurisdictione dictæ ciuitatis, vel ibi habitanti, vel aliunde, contra capitula dictæ ciuitatis, & eis ostendere debeant dictum capitulum, contra quod fieret per aliquem dictorum oficialium.

Item teneantur, dicti tres boni viri, tenere & habere unum librum, in quo scribi faciant secretè vel manifestè, prout uoluerint omnes querelas, lamentationes, iuiurias, & obliqua quæ fieri contingerent, uel inferri dicerentur per aliquem dictorum officia-

lium,

lium uel aliquem de alterius eorum familia, uel aliquem alium officialem dicti communis alicui personæ de dicta ciuitate, uel districtu, uel aliunde, uel ibi habitanti, siue occasione armorum ablatorum, uel bestiarum, auenæ, & bladi, uel pignorum, seu aliqua quacunque ratione uel causa, quas querelas, lamentationes, iniurias, uel rancuras dicti tres electi sedare uel tollere debeant eorum posse cum dicto officiali, qui eas intulisset aliter eas referre debeant & teneantur in consilio generali dictæ ciuitatis, pro remedio in illis adhibendo, & etiam prædicta reseruare teneantur in scriptis si opus fuerit, uel eis uidebitur usque ad Syndicatum dictorum officialium pro iure unicuiq; reddendo, & teneantur dicti tres electi, iurare in dicto generali consilio corporaliter tactis scripturis, prædicta omnia & singula benè, & legaliter exercere remotis odio & amore, præmio & timore, & omni alia hnmana gratia uel sorde, quorum trium electorum officium durare debeat per annum, & habeant pro eorum salario tantum quantum eis taxatum fuerit per Syndicum & sapientes & gubernatores ciuitatis prædictæ: & si dictus Syndicus fuerit negligens, in illis eligi faciendo, uel dicti electi fuerint negligentes in prædictis eorum officio, uiriliter & legaliter exercendo nihil ipsi, uel alter eorum qui negligens fuerit, habere debeat de eorum salario a cõmuni, quinimo in libris decem pro quolibet negligente puniatur, & in totidem puniatur quicunque ad prædictum officium electus fuerit, & incontinenti non acceptauerit, uel iustam excusationem non monstrabit. Et legatur præsens capitulum omni anno: & illo tunc quando Syndicus eligetur, ita quod de eo dictus Syndicus notitiam habeat, si ibi fuerit præsens in consilio, aliter ei denuncietur & ostendatur, quando ipse Syndicus pro suo officio curabit, & dominus Vicarius, & alii officiales, ac notarii teneantur præcisè iurare super præsenti capitulo.

De non refirmando officiales post eorum terminum. *Cap.* XIII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius, Iudex, vel milites, seu notarii maleficiorum, qui pro temporibus fuerint officiales in ciuitate MontisRegalis, non possint stare in regimine dictæ ciuitatis, pro illa uice, nisi per annum, ita quod anno sequenti aliquis prædictorum non possit, quouis modo in

eodem

eodem officio reformari, nec ad illud redire uel eligi ualeat, inde ad sex annos proxime sequuturos. Additum est, quod D. Vicarius, uel Iudex, uel milites, seu notarii, maleficiorũ, nõ possint refirmari, &c. quod illud idem intelligatur de tota eius familia, & quod nullus contra præsens capitulum arengare possit, sub pœna periurii, & librarum XXV. quæ pœna, exigatur de præsenti & sit pro duabus partibus domini, & pro alia accusatoris: Et præsens additio sit trunca & præcisa, & mutari non possit, nec suspendi, & si mutaretur, mutatio & suspensio non ualeat ipso iure. Item additũ est quod ultra pœnas cõtentas in supra scripta additione quod, qui arengauerit directè, uel indirectè de ponendo tunc Vicarium in electione Iudicem, nec aliquem de familia eorum refirmari, uel de nouo poni in officiis, sit infamis ipso iure, & priuetur in perpetuum ab omni officio, & beneficio dictæ cõmunitatis: & si consilium suspenderet, dictum statutum & additiones, incurrat pœnam centum florenorum, & quilibet qui arengaret de suspendendo dictum statutum & additiones, incurrat pœnam vigintiquinque florenorum, ipso facto applicandorum, pro duabus partibus curiæ Illustrissimi domini nostri: & pro reliqua accusatori, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem, ut supra, & tunc Syndicus dictæ communitatis, teneatur accusare contrafacientes, in prædictis, sub pœna amissionis sui salarii, & quod racionatores communis uinculo iuramenti, & sub pœna periurii non debeant, nec possint, dictum salarium syndico, qui pro tempore fuerit, non adimplenti formam præsentis capituli, intrare, nec acceptare, & in quolibet consilio in introitu officialis, teneatur legi facere dictum capitulum, & præsentem additionem, sub pœna periurii, & amissionis salarii, & notarius credentiæ teneatur prædicta notificare dicto syndico, & numero gubernatorum, sub pœna florenorum decem, quæ electio fiat secundum formam dicti statuti, & præsens capitulum semper legatur in electione domini Vicarii fienda, & in mutatione syndici, ac aliorum officialium communis Qui syndicus, gubernatores, & consiliarii, ultra præstitum generale iuramentum, habeant iurare præsens capitulum obseruare inuiolabiliter, ac sub pœna prædicta, quæ pœna sine ulla condemnatione fienda, exigatur per clauarium, qui pro tempore fuerit a contrafacientibus, & si clauarius fuerit negligens in exigen-

gens in exigendo ipsas pœnas teneatur syndicus qui pro tempore fuerit, denuntiare superioribus ipsius clauarii eius negligentiam in præmissis, & requirere quod executio ipsarum pœnarum fiat uinculo iuramenti in præmissis.

De dominis Vicario, iudice, militibus, famulis, clauario, & notarijs, maleficij ad syndicatum moraturis post eorum terminum. Caput. XIIII.

ITEM statutum est, quod Dominus Vicarius & eius milites ac alii de eius familia, & dominus Iudex, ac clauarius, & notarii curiæ ciuitatis MontisRegalis, & quicunque prædictorum ibidem in officio fuerit, teneantur, & debeant stare & morari in dicta ciuitate MontisRegalis, ad syndicatum per octo dies post terminum cuiuslibet eorum finiti regiminis, & infra illos octo dies respondere teneantur de iure, & iuri parere coram illis syndicatoribus, qui ad hoc quolibet anno eliguntur in dicta ciuitate MontisRegalis, cuilibet personæ de ipsis officialibus, vel eorum altero, vel de aliquo de eorum familia conquerenti, vel ab eis aliquid petere volenti, & insuper teneantur dicti officiales, & quilibet eorum, etiam post dictos octo dies, si infra eos per dictos syndicatores de aliqua querela non fuerint absoluti, procuratorem dimittere in dicta ciuitate MontisRegalis, vel ibidem personaliter remanere. Et si quidem procuratorem alter eorum dimiserit, teneatur talis officialis fideiussorem de ciuitate, vel posse tamen idoneum dare, qui se vti principalis debitor obliget, cum renuntiationibus debitis, & oportunis, de iudicio sisti; & iudicato soluendo, ac iuri parendo super causa, quæ foret incepta infra prædictos octo dies, & nondum finita. Et si fideiussorem idoneum dicti officiales dare nollent, aut non possent, tunc & eo casu teneantur dimittere apud idoneam personam in dicta ciuitate pignora sufficientia inspecta qualitate rei, quæ ab eis peteretur, vel querelæ; quæ contra eos, uel alterum eorum mouerentur, & teneantur, & debeant dicti oficiales obseruare præsens capitulum, prout iacet sub vinculo iuramenti, & hoc in causa qualibet ciuili: in causa autem criminali, in quo immineret pœna corporalis procuratorem dimittere non possint, imò autem teneantur personaliter respondere, & currat, siue currere incipiat terminus dictorum octo dierum, a die factarum cridarum de querelis fien-

B dis

dis dictorum officialium, quas cridas fieri facere teneatur incontinenti dominus Vicarius nouus, præstito iuramento, sui officii, ad instantiam syndici communis, & ipse syndicus, si voluerit, possit facere fieri dictas cridas.

De tribus hominibus eligendis, qui debeant syndicare dominum Vicarium, & alios officiales.
Caput. XV.

ITEM statutum est, quod quolibet anno circa finem officii vel regiminis cuiuslibet Vicarii, iudicis, militum, clauarii & notarii maleficiorum, & ciuilium ciuitatis MontisRegalis, & quando videbitur sapientibus consilii maioris dictæ ciuitatis, eligantur more solito per syndicum, & sapientes tres probi homines & legales, vnus pro quolibet tercerio, qui sint syndicatores dictorum officialium, & qui teneantur sydicare bene & legaliter quemlibet dictorum officialium, condemnando vel absoluendo, prout reperierint & contigerit peragendum, qui syndicatores teneantur, & debeant incontinenti, cum fuerint in simul, pro eorum officio exercendo formare inquisitionem generalem contra dictos officiales, & quemlibet eorum, & dictos officiales facere respondere supra dicta inquisitione generali, & eos officiales condemnare, & absoluere a dicta inquisitione, prout eos, vel alterum eorum viderint culpabiles, vel insontes: & insuper non obstante dicta inquisitione generali teneantur & debeant dicti syndicatores audire, & recipere omnes & singulas querelas uel petitiones, quæ fierent a qualibet singulari persona, de dictis officialibus, vel contra dictos officiales, vel alterum eorum, vel aliquem de eorum familia, vel alterius eorum. Et super dictis querelis, & petitionibus, procedere & cognoscere breuiter & summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicii, inspecta qualitate facti & rei petitæ, & quærelæ motæ, & super eisdem absoluendo, vel condemnando sententialiter diffinire, & habeant dicti tres syndicatores, vel duo ex eis tertio absente in dicto eorum syndicandi officio, & in omnibus & singulis in præsenti capitulo, contentis & tam contra dictum dominum Vicarium, iudicem, milites, clauarium, & notarium maleficiorum, & ciuilium, quàm contra quemlibet de eorum, vel alterius eorum familia potestatem, & bayliam, & omnimodam iuris-

iurisdictionem inquirendi, procedendi, cognoscendi, condemnandi & absoluendi: & si opus fuerit quemlibet dictorum officialium & quemlibet de familia, cuiuslibet eorum personaliter arestandi, & res & bona eorum & cuiuslibet eorum taxandi & sequestrandi, qui syndicatores incontinenti cum fuerint electi, teneantur & debeant iurare in consilio maiori dictæ ciuitatis, eorum officium syndicandi benè solicitè & legaliter exercere, & causas coram eis mouendas omni modo expedire absoluendo uel condemnando, vt supra: Quod si non fecerint, cadant dicti syndicatores ad pœnam periurii, & vltra ad pœnam centnm solidorum pro quolibet: & legatur præsens capitulum, in dicto generali consilio semper illo tunc, cum dicti syndicatores electi fuerint, ita quòd de huius statuti continentia ignorantiam non prætendant, & habeant pro eorum salario dicti syndicatores, tantum quantum eis taxatum fuerit per sapientes dicti consilii: Et dominus vicarius, qui tunc nouus intrauerit, teneatur vinculo iuramenti sustinere & iurare facere dictos syndicatores de dicto eorum officio, & exequutioni mandari eorum sententias & alia acquisita & ordinata per eos.

Quòd tempore Syndicatus sint feriæ, & quòd tunc cuilibet tutus sit ad ciuitatem accessus. Caput. XVI.

ITEM statutum & ordinatum est, quòd tempore statuto & ordinato officialibus ad syndicatum tenendum, videlicet octo dierum, quòd ipso tempore octo dierum durante sint feriæ: & quod illis diebus dominus Vicarius, uel dominus iudex bancum ascendere non debeant, sed tantum syndicatores electi, nec fiat impedimentum ipsis syndicatoribus: & insuper quòd quæcunque personæ terrigena vel forensis, quæ ab ipsis officialibus vel aliquo ipsorum aliquid petere uellet, poterit ad præsentem ciuitatem uenire, & stare ipsis octo diebus durantibus, & inde redire absque aliquo impedimento reali uel personali, nisi esset pro facto Illustr. Ducis.

Quòd dominus Vicarius teneatur capi facere taleas & fodra hominibus Carruci. Caput. XVII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius teneatur capere & capi facere omnes taleas & fodra imposita & imposita illis de Carruco per communem ciuitatis MontisRega-

lis, & quod possit & ualeat constringere prædictos homines uenire in exercitus & caualcatus dictæ ciuitatis ad uoluntatem communis dictæ ciuitatis & secundum capitula & ordinamenta dictæ ciuitatis, & eis possit imponere pœnas & banna secundum quod ordinatum fuit per consilium dictæ ciuitatis & districtus: & idem intelligatur in omnibus personis qui tenerentur soluere taleas & fodra in dicta ciuitate, saluis pactis hominum Montisalti, Turris, & Reburrenti, & pactis conuentionibus, si quæ sunt inter commune ciuitatis MontisRegalis & dominos uel commune Carruci & utriusque eorum.

Quod officiales curiæ non possint exercere nisi vnum officium. Caput. XVIII.

ITEM statutum est, quod aliquis officialis curiæ, quocunque nomine censeatur, non possit uel debeat exercere duo officia diuersa eodem tempore in dicta ciuitate uinculo iuramenti: & si contrafactum fuerit, ab utroque officio remoueantur pœnitus, & quilibet, uidelicet Vicarius, iudex, miles, uel clauarius, & quilibet alius officialis curiæ, teneatur uinculo iuramenti in principio sui officii iurare, præsens capitulum attendere & obseruare. Item additum est, quod nullus dictorum officialium possit officium procurare pro aliquo, uel aliud quàm suũ in dicta ciuitate exercere, durante eius officio, nec uirtute eorum iuramenti pro exequendo aliquod debitum ab aliqua persona ciuitatis prædictæ uel posse nec etiam extranea non possint iura aliqua emere uel acquirere per modum cessionis, uel alio modo, & si quis officialium contra fecerit in præmissis, incurrat pœnam solidorum decem pro qualibet libra debiti empti, acquisiti, & ad exigendum assumpti: nec possint dicti officiales sibi ipsis in aliquo prædictorum ius dicere, sub pœna prædicta, cuius pœnæ duæ partes sint domini, & alia accusatoris: & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & eius iuramento credatur.

Quod dominus Vicarius uel officiales non intersint electioni. Caput. XIX.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius Iudex uel aliquis de eorum familia non debeat interesse electioni alicuius Vicarii, iudiciis, seu officialis eligendi nouiter per commune seu consilium ciuitatis MontisRegalis publicum, uel priuatum,

& ne-

& nemo audeat uel præsumat contra præsens capitulum arengare, sub pœna solidorum decem pro quolibet & qualibet uice auferenda irremissibiliter incontinenti.

Quod sint Nobiles, qui ad Caualeriatus officium admittuntur & annorum uigintiquinque, & de eorum ac aliorum de curia salario.
Caput. XX.

ITEM statutum & ordinatum est, pro utilitate & decore reipublicæ præsentis ciuitatis, quod nulla persona, quæ non sit de Nobili genere, nomine & armis ipsi & prædecessores sui, ac de patria Illustrissimi Ducis nostri, & maior uigintiquinque annis, & quod ita cõstet publicè & palã per publicã uocem & famam, possit esse in officio caualleriæ, & ad illud admitti, & dominus Vicarius non possit, nec debeat a caualleriis, & aliis de familia curiæ, aliquod præmium accipere aut recatum, sub pœna periurii: & dicti caualleri, & alii de familia, teneantur & debeant suum exercere officium, & capere solutiones secundum formam statutorum præsentis ciuitatis, sub pœna periurii, & tempore syndicatus, possit fieri contra contrauenientes per syndicatores debita inquisitio & punitio.

Quod dominus Vicarius, vel officiales curiæ, non possint compellere aliquem ad sibi concedendum, seu locandum lectum, seu alias res. *Caput.* XXI.

ITEM statutum est, quod aliqua persona de ciuitate Montis Regalis & posse, seu ibi habitans non teneatur concedere, seu locare lectum seu lectos, coperturas, seu alia dependentia ad lecta alicui officiali curiæ huius ciuitatis, qui pro tempore fuerint, nisi procederet de ipsius talis personæ beneplacito uoluntatis, clauarii uero curiæ prædictæ teneantur eorum officio dictis officialibus electis prædictis & aliis prouidere; prout, & sicut eis placuerit, & per eos melius fieri poterit; saluo quòd nõn possint compellere seu compelli facere aliquem contra uoluntatem suam ad locationem uel concessionem lectorum prædictorum, & quod nulla persona cuiuscunque condicionis existat, audeat uel præsumat consulere uel tractare, quod fiat contra præsens capitulum, nec ordinare quod commune teneatur prouidere de lectis in totum uel in parte officialibus curiæ, sub pœna librarum trium pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice.

Quod dominus Vicarius vel officiales, teneantur facere restitui lectos, & alias res locatas de eorum mandato, cum salario. *Caput.* XXII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius, vel Iudex, aut miles, uel clauarius, si præceptum fecerit alicui, qui debeat lectum, seu alias res concedere, uel locare alicui stipendiario, uel alicui soldato, uel familiari, & præstiterit, seu locauerit, teneatur compellere talem stipendiarium, uel aliam personam lectum vel alias res recipientem ad soluendum salarium conuentum: & si conuentum non fuerit salarium idoneum incontinenti, & si hoc non fecerit, de suo proprio salario soluere teneatur: & quod vnus homo de quolibet tercerio eligatur, qui superfit talibus rebus locatis, & scribi faciant in vno libro, qui liber sit communis, omnia quæ sic concessa & locata fuerint, Vicario, uel iudici, aut militi, vel aliis de familia ipsorum, ac soldatis & stipendiariis ante dictis, vt possit haberi veritas omnium prædictorum, sic locatorum & concessorum.

Quod officiales curiæ non possint quouis modo habere, seu acquirere banna seu partem ipsorum. *Caput.* XXIII.

ITEM statutum est, quod aliquis officialis curiæ ciuitatis MontisRegalis qui pro tempore fuerit, cuius & qualis conditionis existat, vinculo iuramenti sui officii, non possit nec valeat quouis modo vel ingenio acquirere, emere, siue solutionem habere pro precio limitato, siue declarato banna criminalis curiæ MontisRegalis in totum vel in partem, & præsens capitulum legatur domino Vicario & aliis officialibus in principio sui regiminis, siue infra vnum mensem proxime subsequentem.

Quod capiantur pignora pro bannis *Caput.* XXIIII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius teneatur capi facere pignora cuilibet personæ, quæ deberet soluere bannum, si dicta persona, quæ deberet soluere bannum, voluerit dare pignus pro banno: & si nollet, tunc decanus vel decani possint & debeant præcipere personæ prædictæ ex parte domini Vicarii, quod debeat soluere banna sua sub pœna solidorum trium, pro quolibet: & si non fuerit requisitus, quod det bannum vel pignus, non possit poni in banno dicta de causa, & quod aliqua persona non possit poni in banno à solidis quinque

que infra, nisi in solido uno tantum. Et quilibet Clauarius teneatur mittere ad capiendum pignora cuilibet debenti dare aliquod bannum, antequam possit ponere uel poni facere ipse, uel Vicarius, seu alius rector dictæ ciuitatis, aliquam personam in aliquo banno, occasione alicuius banni seu pœnæ, & quod clauarius curiæ non accipiat, seu capi faciat ab aliqua persona de dicta ciuitate, uel districtus, per se uel per familiares eorum, aliquod pignus bannorum, nec pecuniam nomine ipsius pignoris, sine eo quod dent ipsi cedulam sigillatam sigillo ipsius clauarii, cui bannum accipient, scribendo in ipsa cedula, annum, diem, & mensem, quando fuit condemnatio, & ex qua causa banni & quantitas banni, & hoc facere teneatur quilibet clauarius uinculo iuramenti, & sine eo aliquod pignus capere non possit, & habeant pro apodicia a solidis uiginti infra denarios quatuor, & abinde supra denarios sex.

De Clauarijs, & de eorum officio. *Caput.* XXV.

ITEM statutum est, quod Clauarius faciat bene & legaliter officiũ suæ clauariæ, & teneatur custodiri & saluari facere diligenter pignora cuiuscunque hominis ciuitatis MontisRegalis & districtus ei data, uel quæ caperet, seu capi faceret pro aliquo banno, uel aliqua condemnatione per unum mensem sine usura, qui clauarius teneatur uinculo sacramenti, & sub pœna solidorum uiginti, scribere super qualibet condemnatione, absolutionem, uel confirmationem, per iudicem maiorem factam infra secundum diem post concionem iudicis maioris: & clauarius curiæ, semper in introitu regiminis uicarii teneatur iurare exercere suum officium bene & legaliter, secundum formam capitulorum dictæ ciuitatis, & quod clauarius teneatur facere apodiciam cuilibet petenti de solutionibus bannorum, secundum formam capituli proxime præcedentis.

Quod D. Vicarius non possit pignorari facere aliquam personam, nisi decanus fuerit cum pignorante. *Caput.* XXVI.

ITEM statutum est, quod D. Vicarius, iudex, uel miles, non possint, nec debeant pignorare, aut pignorari facere aliquam personam de ciuitate MontisRegalis, uillis & iurisdictione pro aliqua causa, seu occasione, nisi aliquis nuntius communis, uidelicet decanus fuerit cum illo, qui it ad dictum pignus capiendum: Et si aliter factum fuerit, quod talis persona aut

quilibet alius de domo sua, posit & ualeat impunè prohibere, ne dictum pignus ei accipiatur, non obstante aliquo alio capitulo: Et si talis persona quam uoluerit pignorare, uellet de præsenti uenire coram domino Vicario, iudice, uel rectore, pro sua defensione & excusatione facienda, talis officialis curiæ etiam non posit nec debeat aliquod pignus accipere, & si aliquisfuerit indebite pignoratus & iniuste, habens iustam causam & excusationem, quod dominus Vicarius, seu rector teneatur & debeat restituere, & restitui facere dictæ personæ iniustè pignoratæ, dictum pignus, siue leuatum, liberè & impunè, sine aliquo premio alicuius pignorationis. Item additum est, quod nemo teneatur dare pignus, nisi forma seruata præsentis capituli: & si prohiberetur, eo quod forma ipsius capituli, non esset seruata, nullam pœnam incurrat.

Quod milites & familiares Curiæ non faciant pignora sine lista & cedula Capur. XXVII.

QVIA vt experientia docet, super listis, quæ dantur militibus & familiaribus curiæ, ad pignorandum, multa ueniunt incommoda & quærimoniæ fiunt, statutum & ordinatum est, quod milites & familiares non posint ipsa pignora capere ad instantiam alicuius personæ, nisi ipsæ listæ sint signatæ manu domini Vicarii, uel iudicis: & in ipsis sint descriptæ quantitates debitæ & causæ: & si aliter fiat, posint ipsi milites & familiares in syndicatu conueniri & puniri, posintque debitores eo casu recusare pignus sine aliqua pœna, bannis & aliis capitulis in contrarium non obstantibus. Item additum est, quod miles facturus pignus, debeat cedulam de pignore, quod facit illi remittere, cui pignus capere intendit cum anno, die, & debita subscriptione manu própria, & ad cuius instantiam fecerit, quod si non fiet posit impunè pignus recusari, vt supra. Item additum est, quod pignora, quæ capientur per milites, familiares & decanos curiæ ad formam capitulorum ponantur, & poni debeant in una domo in qualibet villa, villariis, & planis, ac etiã in platea ad custodiam vniùscuiusque domus, vnius probi viri, eligendi per D. Vic. syndicum, & gubernatores, & sub vna claui, quam teneat ipse bonus vir, scribendo omnia ipsa pignora in uno libro, apud ipsum retinendo, & alio apud milites, & familiares; ita quòd si aliquod pignus perderetur, teneatur ipse custos ad satisfactionem, nec debeat deliberare aliquod ex ipsis pignori-

gnoribus, nisi cum uoluntate & consensu eius, cuius essent, aut dictorum dominorum Vic. Iudicis, syndici, aut gubernatorum, qui custodes habeant salarium, sibi per præfactos taxandum secundum ratam pignorum habitorum in custodia, quarum domorum pensiones soluantur expensis plateæ, planorum, uillarum & uillariorum, in quibus deputabuntur.

Quòd officiales curiæ non debeant vendere pignora, nisi factis duabus cridis. *Caput.* XXVIII.

ITEM statutum est, quòd si contigerit per dominum Vicarium, Iudicem, seu aliquem alium rectorem pignorare, aut pignorari facere aliquam personam, aliqua occasione uel causa, quod dictus dominus uicarius, iudex, seu miles, aut alius officialis teneatur & debeat dictum pignus sic ablatum saluare & custodiri facere, & nullam uenditionem, alienationem, uel consumationem facere, nisi modis & formis inferius descriptis, uidelicet, quod dominus uicarius seu rector teneatur & debeat postquam acceperit, uel accipere, uel leuare fecerit dicta pignora, cridari facere per trombetam in ciuitate & aliis locis consuetis, & etiam in aliis uillis duabus uicibus, quod quælibet persona, quæ fuerit pignorata pro parte domini uicarii, militis, seu clauarii, debeat uenire ad redimendum dictum suum pignus infra terminum decem dierum prò primo termino & pro secundo termino, seu crida infra quinque dies, aliter dicta pignora uendentur, & hoc fieri debeat ter in anno de quatuor mensibus in quatuor menses, quo facto & dictis terminis elapsis dictus D. Vic. miles, seu clauarius, teneantur & debeāt dicta pignora ponere ad uendendum palā in platea & iuxta palatiū curiæ, & dicta pignora uendere ad incantū, & tradere plus offerenti & scribere seu notare in uno quinterno nomē & cognomen illius personæ, quæ emerit dictū pignus, & pretium quo uēditū fuerit, & etiam nomen illius cui, esset leuatum dictum pignus: Et si dictum pignus uenditum fuerit ultra illam quantitatem, pro qua captum fuerit, teneantur dicti officiales curiæ restituere illi personæ, cuius esset dictum pignus, plus quod esset ultra illam quātitatem pro qua captum fuerit, & hoc infra octo dies, si plus dictum pignus uenderetur, & si aliter factum fuerit: aut si aliquod pignus amissum fuerit, aut absconsum per dictos officiales, teneantur & debeant ipsi officiales dictum pignus emendare & satisfacere illi, cui esset leuatum dictum pignus, & credatur

adillud, ergo poad illud?

eodem officio reformari, nec ad illud redire uel eligi ualeat, inde ad sex annos proxime sequuturos) Additum est, quod D. Vicarius, uel Iudex, uel milites, seu notarii, maleficiorũ, nõ posint refirmari, &c. quod illud idem intelligatur de tota eius familia, & quod nullus contra præsens capitulum arengare posit, sub pœna periurii, & librarum XXV. quæ pœna, exigatur de præsenti & sit pro duabus partibus domini, & pro alia accusatoris: Et præsens additio sit trunca & præcisa, & mutari non posit, nec suspendi, & si mutaretur, mutatio & suspensio non ualeat ipso iure. Item additũ est quod ultra pœnas cõtentas in supra scripta additione quod, qui arengauerit directè, uel indirectè de ponendo tunc Vicarium in electione Iudicem, nec aliquem de familia eorum refirmari, uel de nouo poni in officiis, sit infamis ipso iure, & priuetur in perpetuum ab omni officio, & beneficio dictæ cõmunitatis: & si consilium suspenderet, dictum statutum & additiones, incurrat pœnam centum florenorum, & quilibet qui arengaret de suspendendo dictum statutum & additiones, incurrat pœnam vigintiquinque florenorum, ipso facto applicandorum, pro duabus partibus curiæ Illustrisimi domini nostri: & pro reliqua accusatori, & quilibet homo bonæ famæ posit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem, ut supra, & tunc Syndicus dictæ communitatis, teneatur accusare contrafacientes, in prædictis, sub pœna amisionis sui salarii, & quod racionatores communis uinculo iuramenti, & sub pœna periurii non debeant, nec posint, dictum salarium syndico, qui pro tempore fuerit, non adimplenti formam præsentis capituli, intrare, nec acceptare, & in quolibet consilio in introitu officialis, teneatur legi facere dictum capitulum, & præsentem additionem, sub pœna periurii, & amisionis salarii, & notarius credentiæ teneatur prædicta notificare dicto syndico, & numero gubernatorum, sub pœna florenorum decem, quæ electio fiat secundum formam dicti statuti, & præsens capitulum semper legatur in electione domini Vicarii fienda, & in mutatione syndici, ac aliorum officialium communis Qui syndicus, gubernatores, & consiliarii, ultra præstitum generale iuramentum, habeant iurare præsens capitulum obseruare inuiolabiliter, ac sub pœna prædicta, quæ pœna sine ulla condemnatione fienda, exigatur per clauarium, qui pro tempore fuerit a contrafacientibus, & si clauarius fuerit negligens in exigen-

gens in exigendo ipsas pœnas teneatur syndicus qui pro tempore fuerit, denuntiare superioribus ipsius clauarii eius negligentiam in præmissis, & requirere quod executio ipsarum pœnarum fiat uinculo iuramenti in præmissis.

De dominis Vicario, iudice, militibus, famulis, clauario, & notarijs, maleficij ad syndicatum moraturis post eorum terminum. Caput. XIIII.

ITEM statutum est, quod Dominus Vicarius & eius milites ac alii de eius familia, & dominus Iudex, ac clauarius, & notarii curiæ ciuitatis MontisRegalis, & quicunque prædictorum ibidem in officio fuerit, teneantur, & debeant stare & morari in dicta ciuitate MontisRegalis, ad syndicatum per octo dies post terminum cuiuslibet eorum finiti regiminis, & infra illos octo dies respondere teneantur de iure, & iuri parere coram illis syndicatoribus, qui ad hoc quolibet anno eliguntur in dicta ciuitate MontisRegalis, cuilibet personæ de ipsis officialibus, vel eorum altero, vel de aliquo de eorum familia conquerenti, vel ab eis aliquid petere volenti, & insuper teneantur dicti officiales, & quilibet eorum, etiam post dictos octo dies, si infra eos per dictos syndicatores de aliqua querela non fuerint absoluti, procuratorem dimittere in dicta ciuitate MontisRegalis, vel ibidem personaliter remanere. Et si quidem procuratorem alter eorum dimiserit, teneatur talis officialis fideiussorem de ciuitate, vel posse tamen idoneum dare, qui se vti principalis debitor obliget, cum renuntiationibus debitis, & oportunis, de iudicio sisti, & iudicato soluendo, ac iuri parendo super causa, quæ foret incepta infra prædictos octo dies, & nondum finita. Et si fideiussorem idoneum dicti officiales dare nollent, aut non possent, tunc & eo casu teneantur dimittere apud idoneam personam in dicta ciuitate pignora sufficientia inspecta qualitate rei, quæ ab eis peteretur, vel querelæ; quæ contra eos, uel alterum eorum mouerentur, & teneantur, & debeant dicti oficiales obseruare præsens capitulum, prout iacet sub vinculo iuramenti, & hoc in causa qualibet ciuili: in causa autem criminali, in quo immineret pœna corporalis, procuratorem dimittere non possint, imò autem teneantur personaliter respondere, & currat, siue currere incipiat terminus dictorum octo dierum, a die factarum cridarum de querelis fien-

dis dictorum officialium, quas cridas fieri facere teneatur incontinenti dominus Vicarius nouus, præstito iuramento, sui officii, ad instantiam syndici communis, & ipse syndicus, si voluerit, possit facere fieri dictas cridas.

De tribus hominibus eligendis, qui debeant syndicare dominum Vicarium, & alios officiales.

Caput. XV.

ITEM statutum est, quod quolibet anno circa finem officii vel regiminis cuiuslibet Vicarii, iudicis, militum, clauarii & notarii maleficiorum, & ciuilium ciuitatis MontisRegalis, & quando videbitur sapientibus consilii maioris dictæ ciuitatis, eligantur more solito per syndicum, & sapientes tres probi homines & legales, vnus pro quolibet tercerio, qui sint syndicatores dictorum officialium, & qui teneantur sydicare bene & legaliter quemlibet dictorum officialium, condemnando vel absoluendo, prout reperierint & contigerit peragendum, qui syndicatores teneantur, & debeant incontinenti, cum fuerint in simul, pro eorum officio exercendo formare inquisitionem generalem contra dictos officiales, & quemlibet eorum, & dictos officiales facere responderi supra dicta inquisitione generali, & eos officiales condemnare, & absoluere a dicta inquisitione, prout eos, vel alterum eorum viderint culpabiles, vel insontes: & insuper non obstante dicta inquisitione generali teneantur & debeant dicti syndicatores audire, & recipere omnes & singulas querelas uel petitiones, quæ fierent a qualibet singulari persona, de dictis officialibus, vel contra dictos officiales, vel alterum eorum, vel aliquem de eorum familia, vel alterius eorum. Et super dictis querelis, & petitionibus, procedere & cognoscere breuiter & summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicii, inspecta qualitate facti & rei petitæ, & quærelæ motæ, & super eisdem absoluendo, vel condemnando sententialiter diffinire, & habeant dicti tres syndicatores, vel duo ex eis tertio absente in dicto eorum syndicandi officio, & in omnibus & singulis in præsenti capitulo, contentis & tam contra dictum dominum Vicarium, iudicem, milites, clauarium, & notarium maleficiorum, & ciuilium, quàm contra quemlibet de eorum, vel alterius eorum familia potestatem, & bayliam, & omnimodam iuris-

iurisdictionem inquirendi, procedendi, cognoscendi, condemnandi & absoluendi: & si opus fuerit quemlibet dictorum officialium & quemlibet de familia, cuiuslibet eorum personaliter arestandi, & res & bona eorum & cuiuslibet eorum taxandi & sequestrandi, qui syndicatores incontinenti cum fuerint electi, teneantur & debeant iurare in consilio maiori dictæ ciuitatis, eorum officium syndicandi benè solicitè & legaliter exercere, & causas coram eis mouendas omni modo expedire absoluendo uel condemnando, vt supra. Quod si non fecerint, cadant dicti syndicatores ad pœnam periurii, & vltra ad pœnam centum solidorum pro quolibet: & legatur præsens capitulum, in dicto generali consilio semper illo tunc, cum dicti syndicatores electi fuerint, ita quòd de huius statuti continentia ignorantiam non prætendant, & habeant pro eorum salario dicti syndicatores, tantum quantum eis taxatum fuerit per sapientes dicti consilii: Et dominus vicarius, qui tunc nouus intrauerit, teneatur vinculo iuramenti sustinere & iurare facere dictos syndicatores de dicto eorum officio, & exequutioni mandari eorum sententias & alia acquisita & ordinata per eos.

Quòd tempore Syndicatus sint feriæ, & quòd tunc cuilibet tutus sit ad ciuitatem accessus. *Caput.* XVI.

ITEM statutum & ordinatum est, quòd tempore statuto & ordinato officialibus ad syndicatum tenendum, videlicet octo dierum, quòd ipso tempore octo dierum durante sint feriæ: & quod illis diebus dominus Vicarius, uel dominus iudex bancum ascendere non debeant, sed tantum syndicatores electi, nec fiat impedimentum ipsis syndicatoribus: & insuper quòd quæcunque personæ terrigena vel forensis, quæ ab ipsis officialibus vel aliquo ipsorum aliquid petere uellet, poterit ad præsentem ciuitatem uenire, & stare ipsis octo diebus durantibus, & inde redire absque aliquo impedimento reali uel personali, nisi esset pro facto Illustr. Ducis.

Quòd dominus Vicarius teneatur capi facere taleas & fodra hominibus Carruci. *Caput.* XVII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius teneatur capere & capi facere omnes taleas & fodra impositas & imposita illis de Carruco per communem ciuitatis MontisRega-

lis, & quod posit & ualeat constringere prædictos homines uenire in exercitus & caualcatus dictæ ciuitatis ad uoluntatem communis dictæ ciuitatis & secundum capitula & ordinamenta dictæ ciuitatis, & eis posit imponere pœnas & banna secundum quod ordinatum fuit per consilium dictæ ciuitatis & districtus: & idem intelligatur in omnibus personis qui tenerentur soluere taleas & fodra in dicta ciuitate, saluis pactis hominum Montisalti, Turris, & Reburrenti, & pactis conuentionibus, si quæ sunt inter commune ciuitatis MontisRegalis & dominos uel commune Carrucîi & utriusque eorum.

Quod officiales curiæ non poßint exercere, nisi vnum officium. *Caput.* XVIII.

ITEM statutum est, quod aliquis officialis curiæ, quocunque nomine censeatur, non posit vel debeat exercere duo officia diuersa eodem tempore in dicta ciuitate uinculo iuramenti: & si contrafactum fuerit, ab utroque officio remoueantur pœnitus, & quilibet, uidelicet Vicarius, iudex, miles, uel clauarius, & quilibet alius officialis curiæ, teneatur uinculo iuramenti in principio sui officii iurare, præsens capitulum attendere & obseruare. Item additum est, quod nullus dictorum officialium posit officium procurare pro aliquo, uel aliud, quàm suũ in dicta ciuitate exercere, durante eius officio, nec uirtute eorum iuramenti pro exequendo aliquod debitum ab aliqua persona ciuitatis prædictæ uel posse nec etiam extranea non posint iura aliqua emere uel acquirere per modum cesionis, uel alio modo, & si quis officialium contra fecerit in præmisis, incurrat pœnam solidorum decem pro qualibet libra debiti empti, acquisiti, & ad exigendum assumpti: nec posint dicti officiales sibi ipsis in aliquo prædictorum ius dicere, sub pœna prædicta, cuius pœnæ duæ partes sint domini, & alia accusatoris: & quilibet homo bonæ famæ posit contrafacientes accusare, & eius iuramento credatur.

Quod dominus Vicarius uel officiales non intersint electioni. *Caput.* XIX.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius Iudex uel aliquis de eorum familia non debeat interesse electioni alicuius Vicarii, iudiciis, seu officialis eligendi nouiter per commune seu consilium ciuitatis MontisRegalis publicum, uel priuatum, & ne-

& nemo audeat uel præsumat contra præsens capitulum arengare, sub pœna solidorum decem pro quolibet & qualibet uice auferenda irremissibiliter incontinenti.

Quod sint Nobiles, qui ad Caualeriatus officium admittuntur & annorum viginti quinque, & de eorum ac aliorum de curia salario.
Caput. XX.

ITEM statutum & ordinatum est, pro utilitate & decore reipublicæ præsentis ciuitatis, quod nulla persona, quæ non sit de Nobili genere, nomine & armis ipsi & prædecessores sui, ac de patria Illustrissimi Ducis nostri, & maior uigintiquinque annis, & quod ita cõstet publicè & palã per publicã uocem & famam, possit esse in officio cauallariæ, & ad illud admitti, & dominus Vicarius non possit, nec debeat a cauallerijs, & aliis de familia curiæ, aliquod præmium accipere aut recatum, sub pœna periurii: & dicti cauallerii, & alii de familia, teneantur & debeant suum exercere officium, & capere solutiones secundum formam statutorum præsentis ciuitatis, sub pœna periurii, & tempore syndicatus, possit fieri contra contrauenientes per syndicatores debita inquisitio & punitio.

Quod dominus Vicarius, vel officiales curiæ, non possint compellere aliquem ad sibi concedendum, seu locandum lectum, seu alias res. *Caput.* XXI.

ITEM statutum est, quod aliqua persona de ciuitate Montis Regalis & posse, seu ibi habitans non teneatur concedere, seu locare lectum seu lectos, coperturas, seu alia dependentia ad lecta alicui officiali curiæ huius ciuitatis, qui pro tempore fuerint, nisi procederet de ipsius talis personæ beneplacito uoluntatis, clauarii uero curiæ prædictæ teneantur eorum officio dictis officialibus electis prædictis & aliis prouidere, prout, & sicut eis placuerit, & per eos melius fieri poterit; saluo quod non possint compellere seu compelli facere aliquem contra uoluntatem suam ad locationem uel concessionem lectorum prædictorum, & quod nulla persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat consulere uel tractare, quod fiat contra præsens capitulum, nec ordinare quod commune teneatur prouidere de lectis in totum uel in parte officialibus curiæ, sub pœna librarum trium pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice.

Quod dominus Vicarius vel officiales, teneantur facere restitui lectos, & alias res locatas de eorum mandato, cum salario.

Caput. XXII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius, vel Iudex, aut miles, uel clauarius, si præceptum fecerit alicui, qui debeat lectum, seu alias res concedere, uel locare alicui stipendiario, uel alicui soldato, uel familiari, & præstiterit, seu locauerit, teneatur compellere talem stipendiarium, uel aliam personam lectum vel alias res recipientem ad soluendum salarium conuentum: & si conuentum non fuerit salarium idoneum incontinenti, & si hoc non fecerit, de suo proprio salario soluere teneatur: & quod vnus homo de quolibet tercerio eligatur, qui supersit talibus rebus locatis, & scribi faciant in vno libro, qui liber sit communis, omnia quæ sic concessa & locata fuerint, Vicario, uel iudici, aut militi, vel aliis de familia ipsorum, ac soldatis & stipendiariis ante dictis; vt possit haberi veritas omnium prædictorum, sic locatorum & concessorum.

Quod officiales curiæ non possint quouis modo habere, seu acquirere banna seu partem ipsorum. *Caput.* XXIII.

ITEM statutum est, quod aliquis officialis curiæ ciuitatis MontisRegalis qui pro tempore fuerit, cuius & qualis condictionis existat, vinculo iuramenti sui officii, non possit nec valeat quouis modo vel ingenio acquirere, emere, siue solutionem habere pro precio limitato, siue declarato banna criminalis curiæ MontisRegalis in totum vel in partem; & præsens capitulum legatur domino Vicario & aliis officialibus in principio sui regiminis, siue infra vnum mensem proxime subsequentem.

Quod capiantur pignora pro bannis *Caput.* XXIIII.

ITEM statutum est, quod dominus Vicarius teneatur capi facere pignora cuilibet personæ, quæ deberet soluere bannum; si dicta persona, quæ deberet soluere bannum, noluerit dare pignus pro banno: & si nollet, tunc decanus vel decani possint & debeant præcipere personæ prædictæ ex parte domini Vicarii, quod debeat soluere banna sua sub pœna solidorum trium, pro quolibet: & si non fuerit requisitus, quod det bannum vel pignus, non possit poni in banno dicta de causa, & quod aliqua persona non possit poni in banno à solidis quin-

que

que infra, nisi in solido uno tantum. Et quilibet Clauarius teneatur mittere ad capiendum pignora cuilibet debenti dare aliquod bannum, antequam posit ponere uel poni facere ipse, uel Vicarius, seu alius rector dictæ ciuitatis, aliquam personam in aliquo banno, occasione alicuius banni seu pœnæ, & quod clauarius curiæ non accipiat, seu capi faciat ab aliqua persona de dicta ciuitate, uel districtus, per se uel per familiares eorum, aliquod pignus bannorum, nec pecuniam nomine ipsius pignoris, sine eo quod dent ipsi cedulam sigillatam sigillo ipsius clauarii, cui bannum accipient, scribendo in ipsa cedula, annum, diem, & mensem, quando fuit condemnatio, & ex qua causa banni & quantitas banni, & hoc facere teneatur quilibet clauarius uinculo iuramenti, & sine eo aliquod pignus capere non posit, & habeant pro apodicia a solidis uiginti infra denarios quatuor, & abinde supra denarios sex.

De Clauarijs, & de eorum officio. *Caput.* XXV.

ITEM statutum est, quod Clauarius faciat bene & legaliter officiũ suæ clauariæ, & teneatur custodiri & saluari facere diligenter pignora cuiuscunque hominis ciuitatis MontisRegalis & districtus ei data, uel quæ caperet, seu capi faceret pro aliquo banno, uel aliqua condemnatione per unum mensem sine usura, qui clauarius teneatur uinculo sacramenti, & sub pœna solidorum uiginti, scribere super qualibet condemnatione, absolutionem, uel confirmationem, per iudicem maiorem factam infra secundum diem post concionem iudicis maioris: & clauarius curiæ, semper in introitu regiminis uicarii teneatur iurare exercere suum officium bene & legaliter, secundum formam capitulorum dictæ ciuitatis, & quod clauarius teneatur facere apodiciam cuilibet petenti de solutionibus bannorum, secundum formam capituli proxime præcedentis.

Quod D. Vicarius non posit pignorari facere aliquam personam, nisi decanus fuerit cum pignorante. *Caput.* XXVI.

ITEM statutum est, quod D. Vicarius, iudex, uel miles, non posint, nec debeant pignorare, aut pignorari facere aliquam personam de ciuitate MontisRegalis, uillis & iurisdictione pro aliqua causa, seu occasione, nisi aliquis nuntius communis uidelicet decanus fuerit cum illo, qui erat dictum pignus capiendum: Et si aliter factum fuerit, quod talis persona aut

quilibet alius de domo sua, possit & ualeat impunè prohibere, ne dictum pignus ei accipiatur, non obstante aliquo alio capitulo: Et si talis persona quam uoluerit pignorare, uellet de præsenti uenire coram domino Vicario, iudice, uel rectore, pro sua defensione & excusatione facienda, talis officialis curiæ etiam non possit nec debeat aliquod pignus accipere, & si aliquis fuerit indebite pignoratus & iniuste, habens iustam causam & excusationem, quod dominus Vicarius, seu rector teneatur & debeat restituere, & restitui facere dictæ personæ iniustè pignoratæ, dictum pignus, siue leuatum, liberè & impunè, sine aliquo premio alicuius pignorationis. Item additum est, quod nemo teneatur dare pignus, nisi forma seruata præsentis capituli: & si prohiberetur, eo quod forma ipsius capituli, non esset seruata, nullam pœnam incurrat.

Quod milites & familiares Curiæ non faciant pignora sine lista & cedula Caput. XXVII.

QVIA vt experientia docet, super listis, quæ dantur militibus & familiaribus curiæ, ad pignorandum, multa veniunt incommoda & quærimoniæ fiunt, statutum & ordinatum est, quod milites & familiares non possint ipsa pignora capere ad instantiam alicuius personæ, nisi ipsæ listæ sint signatæ manu domini Vicarii, uel iudicis: & in ipsis sint descriptæ quantitates debitæ & causæ: & si aliter fiat, possint ipsi milites & familiares in syndicatu conueniri & puniri, possintque debitores eo casu recusare pignus sine aliqua pœna, bannis & aliis capitulis in contrarium non obstantibus. Item additum est, quod miles facturus pignus, debeat cedulam de pignore, quod facit illi remittere, cui pignus capere intendit cum anno, die, & debita subscriptione manu propria, & ad cuius instantiam fecerit, quod si non fiet possit impunè pignus recusari, vt supra. Item additum est, quod pignora, quæ capientur per milites, familiares & decanos curiæ ad formam capitulorum ponantur, & poni debeant in una domo in qualibet villa, villariis, & planis, ac etiã in platea ad custodiam vniuscuiusque domus, vnius probi viri, eligendi per D. Vic. syndicum, & gubernatores, & sub vna clauí, quam teneat ipse bonus vir, scribendo omnia ipsa pignora in uno libro, apud ipsum retinendo, & alio apud milites, & familiares; ita quòd si aliquod pignus perderetur, teneatur ipse custos ad satisfactionem, nec debeat deliberare aliquod ex ipsis pignori-

gnoribus, nisi cum voluntate & consensu eius, cuius essent, aut dictorum dominorum Vic. Iudicis, syndici, aut gubernatorum, qui custodes habeant salarium, sibi per præfactos taxandum secundum ratam pignorum habitorum in custodia, quarum domorum pensiones soluantur expensis plateæ, planorum, uillarum & uillariorum, in quibus deputabuntur.

Quod officiales curiæ non debeant vendere pignora, nisi factis duabus cridis. *Caput.* XXVIII.

ITEM statutum est, quod si contigerit per dominum Vicarium, Iudicem, seu aliquem alium rectorem pignorare, aut pignorari facere aliquam personam, aliqua occasione uel causa, quod dictus dominus uicarius, iudex, seu miles, aut alius officialis teneatur & debeat dictum pignus sic ablatum saluare & custodiri facere, & nullam uenditionem, alienationem, uel consumationem facere, nisi modis & formis inferius descriptis, uidelicet, quod dominus uicarius seu rector teneatur & debeat postquam acceperit, uel acciperet, uel leuare fecerit dicta pignora, cridari facere per trombetam in ciuitate & aliis locis consuetis, & etiam in aliis uillis duabus uicibus, quod qualibet persona, quæ fuerit pignorata pro parte domini uicarii, militis, seu clauarii, debeat uenire ad redimendum dictum suum pignus infra terminum decem dierum pro primo termino & pro secundo termino, seu crida infra quinque dies, aliter dicta pignora uendentur, & hoc fieri debeat ter in anno de quatuor mensibus in quatuor menses, quo facto & dictis terminis elapsis dictus D. Vic. miles, seu clauarius, teneantur & debeāt dicta pignora ponere ad uendendum palā in platea & iuxta palatiū curiæ, & dicta pignora uendere ad incantū, & tradere plus offerenti & scribere seu notare in uno quinterno nomē & cognomen illius personæ, quæ emerit dictū pignus, & pretium quo uēditū fuerit, & etiam nomen illius cui, esset leuatum dictum pignus: Et si dictum pignus uenditum fuerit ultra illam quantitatem, pro qua captum fuerit, teneantur dicti officiales curiæ restituere illi personæ, cuius esset dictum pignus, plus quod esset ultra illam quantitatem pro qua captum fuerit, & hoc infra octo dies, si plus dictum pignus uenderetur, & si aliter factum fuerit: aut si aliquod pignus amissum fuerit, aut absconsum per dictos officiales, teneantur & debeant ipsi officiales dictum pignus emendare & satisfacere illi, cui esset leuatum dictum pignus, & credatur

dictæ tali personæ sic pignoratæ, de ualore dicti pignoris cum sacramento sine aliqua probatione. Et quod dictum est de D. Vicario & eius familia, & etiam de clauario, intelligatur de notariis banchæ ciuilium, uidelicet si contigerit dictos notarios aliquam personam pignorare, uel aliquod pignus leuari facere pro debitis ipsius banchæ, quod similiter & eodem modo teneantur cridari facere & pignora uendere & restitutionem facere, sic & eodem modo ut supra dictum est in officialibus curiæ: Et si contra factum fuerit per prædictos, teneantur ad restitutionem & satisfactionem in duplum, & non possint dicti notarii, aut aliquis habens partem in dicta bancha, aliquem eius debitorem scribere, aut scribi facere, in banno, occasione, suæ contumaciæ, nec cridari in banno: Et si contra factum fuerit, nõ ualeat, possit tamen dictum eius debitorem pignorari facere, uel detineri.

De salario presoneriæ, detentorum & pignorum. Cap. XXIX.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate MontisReg. uel posse, vel aliunde quouis modo censeatur aliqua ratione, occasione, uel causa tàm in ciuilibus quàm in criminalibus posita fuerit in carceribus, quod talis persona teneatur & debeat soluere pro salario presoneriæ & custodis ipsius solidum unum pro qualibet die & nocte, vltra vero non: & si aliqua persona occasione alicuius debiti erit arestata, uel incarcerata, quod non possit in carceribus detineri, si talis persona dabit idoneam securitatem de debito soluendo termino sibi præfixo, uel de non faciendo fugam, imò ponatur sub porticu curiæ, vel super domo communis in electione ipsius arestati, & ibi stare debeat, quousque satisfecerit cum effectu creditori suo: & qui contra fecerit, incurrat pœnam contentam in capitulo sequenti, sub rubrica de pœna imponenda frangentibus arrestum: Et si aliqua persona per nuncios curiæ, vel alterum ipsorum, seu per familiares D. Vicarii fuerit arrestata uel detenta a porta Vici supra uersus plateã, a porta Grassi supra uersus plateã, a domo Iacobi Xoræ, supra versus plateã, a domo Robaudi Polle versus plateã talis persona teneatur & debeat soluere arestanti pro eius labore tantum, & non vltra solidum vnum, & a supradictis confinibus uero infra per ciuitatem, solidum vnum: in villis verò solidos duos cum dimidio: & si aliqua persona pignorata fuerit quo nismodo in dicta ciuitate MontisReg. soluere debeat pro pignoratu-

gnoraturis & pro quolibet pignore solidum vnum: & non vltra: in villis vero solidum vnum cum dimidio: & nulla differentia sit vel fiet inter ciues & extraneos, sed potius tam homines uillarum præsentis ciuitatis, & quilibet extraneus vndecunque sit, quàm ciuis gaudeat beneficio præsentis capituli, nullo alio capitulo incontrarium disponente; & non intelligatur aliquis esse detentus, nisi per famulum curiæ, seu per detentorem fuerit conductus sub porticu curiæ, aliter non habeat salarium. Item statuerunt quod pro quocunque arersto seu gagio aut præcepto fiendo de cætero per familiares curiæ seu aliquem eorum in platea maiori dictæ ciuitatis, seu roatis eiusdē plateæ, ipsi familiares curiæ pro eorum pœna; & salario habere & petere possint & debeant solui quartos duos & non plus, sub porticu curiæ quartum vnum, in burgis uero dictæ ciuitatis & airalibus, haberedebeant quartos tres, in Vico pixio & Molinis, quartos tres, in Villanoua, Monasterio, Bastita, Rochabaudorum, & in tectis citra pexium quartos quatuor, extra dicta airalia, in Morotio vero, sancto Blasio, Margarita, Rochaforte, Montealto, Reburrento, Frebozia, & ad tecta Magliani, quartos sex, & non vltra capere, seu petere possint, nec ualeant: sed si irent ad pignorandum, gagiandum, seu arrestandum pro pluribus, eo casu solum habeant, & habere possint & debeant, quartos duos pro quolibet pignore, arresto, seu præcepto: Pro introitu uero & exitu carceris nihil petere, nec habere possint, nisi pro ipsius carceris custodia & portatione uictus, solum quartos duos pro quolibet die, & pro expēsis incarcerati grossos tres cum dimidio pro quolibet die, & non ultra: item pro captura hominis pro causa criminali nihil petere, nec habere possint: & ultra premissa ipsi D. Iudex & familiares nihil petere, nec habere possint nec debeant sub pœna periurii & librarum decem pro qualibet uice, quā fuerit contrafactum, applicanda pro dimidia parti, & pro altera dimidia fisco, de qua possint syndicari, & credatur cuilibet accusanti, seu querelanti bonæ uocis, & famæ, cum iuramento & intelligatur esse bonæ uocis & famæ, qui per syndicatores, sic esse fuerit reputatus, & ulterius teneantur ad restituendum parti id quod plus ceperint dictos salaria, ut supra taxato: & hæc omnia intelligantur de moneta currente tempore solutionis fiendæ.

De pœna imponenda frangentibus arrestum. *Caput.* XXX.

ITEM statutum est, quod si contigerit per curiam ciuitatis MontisReg. detinere seu arrestare aliquam personam occasione alicuius debiti seu banni, quòd dominus miles aut aliquis alius de familia domini Vicarii, possit imponere pœnam dictæ tali personæ sic specialiter detentæ, solidos tres, & non ultra. quod ueniat ad tenendum arrestum sub porticu curiæ: Et quod non recedat nec recedere debeat, de sub porticu communis sine licentia domini Vic. uel militis, uel nisi soluerit prius debitum pro quo fuerit arrestata, seu se aliter concordauerit cum creditore suo: & si recesserit sine licentia, uel absque quod se concordauerit ut supra, quod tunc dominus Vicarius, seu Iudex, aut miles, possit & debeat ac teneatur dictum talem debitorem detinere & arrestare ad requisitionem creditoris, & ipsum debitorem ponere, seu pòni facere, super domo communis consiliariorum, de qua domo non recedat, nec recedere possit, nisi ut supra: & si recesserit sine licentia domini Vicarii, & contra uoluntatem creditoris, & debitum fuerit usque in libris decem inclusiue, soluat bannum solidos duos pro qualibet libra ipsius debiti pro quo arrestaretur, & a libris decem supra usque in libras uigintiquinque soluat bannum libras tres, & a libris uigintiquinque, supra usque in libras centum soluat bannum librarum quinque, & a libris centum supra quanta fuerit quantitas, soluat bannum librarum decem, quæ pœnæ totiens committentur quotiens contra factum fuerit, & exigi possint sine aliqua condemnatione, & accusator habeat tertiam partem banni, Eo saluo quod si esset persona fugitiua uel extranea, & intelligatur fugitiua persona, & suspecta quam creditor iurauerit suspectam uel fugitiuam, & aliter non, tunc ad requisitionem creditorum, teneantur & debeant dicti officiales ipsam talem personam fugitiuam uel extraneam, ponere in carceribus securis, donec dederit idoneam securitatem, uel fideiussorem, de soluendo debitum termino conuento, uel a iure stabilito, uel non faciendo fugam, sed ponatur dicta cautione præstita super domo communis, & ibi stare debeat & non recedere, sub pœna superius limitata quousque satisfecerit cum effectu creditori suo: & si quis detentus fuerit super domo communis consiliariorum, & ibi reclusus modo & forma quibus supra, aut in carceribus aliqua occasione ratione uel causa, tam in ciuilibus quam

quàm in criminalibus, quod talis persona cuiuscunque conditionis existat, terrigena uel extranea soluere teneatur & debeat pro salario dictæ presoneriæ & custodis ipsius, solidum unum pro quolibet die & nocte, & non ultra: & quod D. Vicarius & quilibet alius de eius familia, teneantur præcise iurare præsens capitulum inuiolabiliter obseruare aliquo alio capitulo in contrarium disponente non obstante, cui capitulo ex certa sententia sit specialiter derogatum: in debitis uero tangentibus dominum & commune, posint personaliter detineri & quæuis pœna imponi, usque ad duplum quantitatum supra singulariter descriptarum.

De personis non arrestandis, & bonis non capiendis, in diebus mercatis, & dominicis. *Caput.* XXXI.

ITEM quia prout experiētia docet, damna quāplurima reipublicæ cōtingunt, & etiā ciuibus præsētis ciuitatis propter arrestationes & detentiones extranearum personarum, quæ fiunt in die fori, tā propter concessionem represaliarum, quàm etiam pro detentione bonorū & personarum, quæ debitores non sunt, propter quod tollitur auiamentum & concursus, in reuendendis mercibus, & emendis, statuerunt & ordinauerunt, quòd nulla persona extranea, cuiuscunque conditionis existat, possit arrestari seu detineri, in die fori, nec dominica, in præsenti ciuitate, nec eius posse, iuribus, & territorio, nec eius bona occupari uel impediri pro alterius debito, obligatione, uel quasi, qualiscunque sit, hoc tamen expresso, quòd si talis persona extranea, pro suo facto esset obligata, uel fideiussorio nomine intercesserit uersus aliquem curiæ, seu posse dictæ ciuitatis, & se in hac ciuitate uel posse obligasset, & contraxisset, possit & ualeat secundum formam aliorum capitulorum præsentis ciuitatis & iuris dispositionem arrestari & detineri, ac conueniri præsenti capitulo, & in eo contentis non obstantibus: celebratis & initis inter præsentem communitatem, cum aliis communitatibus uel singularibus personis in eorum firmitate remanentibus.

De non ponendo aliquem in presoneria. *Caput.* XXXII.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius, Iudex, miles, uel aliquis officialis curiæ ciuitatis MontisReg. non possint uel debeant ponere in carcerem siue presoneriam, aliquam personam quæ possit dare idoneas securitates de parendo iuri & iudicatum soluendo, nisi illa talis persona esset inculpata de

crimine, quod si probaretur, deberet amittere uitam uel membrum, uel nisi esset in casu, quo posset subiici tormentis de iure, dummodo super hoc prius esset cognitum & pronunciatum, & non appellatum: & hoc capitulum teneantnr dominus Vicarius, Iudex, & quilibet rector & officialis curiæ dictæ ciuitatis obseruare uinculo iuramenti, & sub pœna periurii & restitutionis damnorum & expensarum.

Quod Clauarius non possit petere nec habere aliquam emendam.
Caput. XXXIII.

ITEM statutum est, quòd Clauarius ciuitatis MontisRegalis nullo modo uel ingenio, posit petere excutere uel habere suo nomine aut alterius nomine, aliquam emendam occasione alicuius accusæ seu dãni dati per aliquam personam, seu per aliquas bestias, & quod Clauarius teneatur precise iurare supra præsenti capitulo in consilio generali.

De electione consiliariorum & præpositis in consilio fiendis.
Caput. XXXIIII.

ITEM statutũ est, quod D. Vic. qui pro tempore fuerit in regimine ciuitatis MontisReg. teneatur infra tertiã diem, postquã iurauerit eius officiũ, proponere in consilio generali dictæ ciuitatis, quòd placeat consilio eligere consiliarios dictæ ciuitatis, & in qua quãtitate secundum quod placuerit consilio procedatur in præmisis: Et si contigerit consilium dare electionem dictorum consiliariorum aliis, tunc ille seu illi qui haberent electionem prædictam, teneantur eam facere; in quo consilio non possit eligi aliquis consiliarius, nisi soluat fodrum & taleam communi dictæ ciuitatis pro libris quatuor de registro, uel supra, uel nisi aliud disponeretur per sapientes consilii prædicti, & duret officium dictorum consiliariorum per annum & ultra quousque mutatum fuerit dictum consilium. Et non posit dominus Vicarius uel alius, qui celebraret consilium in dicta ciuitate, proponere in eo consilio pro una uice, nisi quatuor propositas, quas teneatur scribi facere antequam intret domum communis pro consilio celebrando, quæ propositæ semper scribi debeant & dictari præsente & consentiente syndico communis, & præsentibus tribus ex sapientibus, vel saltem duobus, vnus uidelicet pro quolibet tercerio eligendis per syndicum communis, uel uocandis per eum, cùm dictæ propositæ scribendæ & dictandæ sunt, quod consilium non posit fieri post prandium, nisi aliud

ordi

ordinaretur per ſapientes dictæ ciuitatis ex euidenti cauſa. Et poſtquam conſiliarii fuerint electi, non poſsit aliquis eligi in conſiliarium, niſi de uoluntate duarum partium dicti conſilii: Et nemo poſsit arengare in dicto conſilio, niſi ſuper præpoſitis ſub pœna denariorum duodecim pro quolibet & qualibet uice, quæ pœna poſsit ſibi auferri per dominum Vicarium uel iudicem dictæ ciuitatis, & nemo poſsit ſtare in conſilio dictæ ciuitatis, niſi eſſet de conſilio uel inde haberet licentiam a domino Vicario, uel iudice, ſub pœna pro quolibet contrafaciente & qualibet uice, denariorum duodecim: & hoc capitulum teneatur dominus uicarius ciuitatis prædictæ, facere legi ſemper & in primo conſilio quod faciet poſtquam intrauerit in officium. Item additum eſt, ibi dum dicitur quod conſilium non poſsit fieri poſt prandium, quod nec poſsit fieri in die dominico, niſi aliud ordinaretur per ſyndicum communis & gubernatores dictæ ciuitatis ex euidenti cauſa.

De mutandis officialibus. *Caput.* XXXV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnes officiales communis ciuitatis MontisReg. & diſtrictus debeant mutari de ſex in ſex menſibus, & qui fuerit in ſex menſibus, non poſsit eſſe in eodem officio in aliis ſex menſibus ſequentibus, præter conſules, rectores, & camparii finium, & alii officiales, quorum officium per aliquod capitulum deberet durare per vnum annum uel aliud tempus: qui rectores, conſules, uel camparii debeant ſtare per annum unum & non vltra, ita quod non poſsint refirmari ullo modo in ſecundo anno: & nemo poſsit habere niſi unum officium eodem tempore, eo ſaluo, quod de quolibet tercerio debeat remanere unus racionator, & non intelligatur officium, niſi duret per ſex menſes, & ille qui caperet officium dum haberet aliud, ſoluat bannum ſolidos quinque, & D. Vicarius teneatur hoc inquirere, & bannum capere & in locum eius alium poni facere in dictum officiũ: & illi qui fuerint electi ad inquirendũ falſam monetã, non ſe poſsint excuſare a dicto officio propter aliud officium quod habeant, & quod legatur per notarium cuilibet officiali, quando iurabit officium ſuum capitulũ quod loquitur de officio ſuo. Item die 21. Decẽbris 1542. innouatum & ſtatutum eſt, quòd officiales communitatis MontisReg. durent per annum in eorum officio, excepto ſyndico, qui duret per ſex menſes tantum iuxta àntiquum ſolitum.

De officialibus se ipsos non eligendis. *Caput.* XXXVI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis fuerit electus ad eligendum aliquos officiales, ambasciatores, seu capitulatores uel collectores fodrorum uel æstimatores non possit nec debeat se ipsum eligere, & fiat mentio in electionibus de omnibus officialibus qui eligi debent.

De Syndico communis eligendo. *Caput.* XXXVII.

ITEM statutum est, quòd Dominus Vicarius eligi faciat in consilio ciuitatis Montisregalis modo & forma quo & qua uidebitur consilio de hoc specialiter facta proposita, unum syndicum communis, cuius officium duret per sex menses & mutetur de sex in sex mensibus & habeat pro salario suo in dictis sex mensibus à commune libras uigintiquinque: & iuret eius officium in consilio generali: qui Syndicus teneatur uinculo iuramenti saluare iura communis, & recipere & exigere reditus godias & prouentus communis ciuitatis Montisreg. & facere solutiones omnibus personis quæ debent recipere a communi bona fide, de his quæ peruenerint ad manus eius de bonis prædictis sine aliqua donatione, & habere penes se unum librum, in quo ponat & scribat, seu scribi faciat, omnes intratas communis, & expensas, quas faciat pro communi tempore sui syndicatus: in taleis uero & aliis quæ recipi debent a communi per aliquam personam, possint fieri compensationes iuxta formam capitulorum dictæ ciuitatis, & ad uoluntatem consilii: & teneatur dictus syndicus, quando fecerit rationem communi de suo syndicatu, ipsam rationem, quam fecerit cum rationatoribus, scribi facere distincte in libro, quem tenet ille qui custodit librum, & coffinum communis. Item teneatur syndicus uinculo sui iuramenti interesse omnibus consiliis generalibus: & si in dictis consiliis proponeretur aliquid quod esset contra commune, uel quod fieret gratia alicui de rebus communis, uel de ære communis, teneatur dictus syndicus surgere, arengare, & contradicere in dicto consilio, suo posse et bona fide: Et teneatur dictus syndicus interesse omnibus rationibus communis, & sustinere ius communis suo posse, & quando fuerit cum rationatoribus, habeat salarium sicut unus rationator: & denunciare rationatoribus, quod non ponant in rationibus communis aliquid quod non esset ordinatum per capitula seu reformationes communis, & semper & quandocunque ad aures eius peruenerit, uel ei dictum uel de-

denunciatum fuerit, quod aliqua persona occupat uel occupauit, seu occupatum tenet de communi, seu commune in platea uel alibi, de hoc inquirere teneatur suo posse, ueritatem & bona fide sine aliqua exceptione, & denunciare curiæ, seu D. Vicario, quòd contra talem personam seu personas procedat iuxta formam capitulorum seu ordinamentorum dictæ ciuitatis & etiam iuris. Et teneatur similiter diligenter inquirere omnes personas quæ dare uel reficere debeant communi aliquid, & facere percipi talibus personis quòd soluant & restituant debita prædicta communi infra octo dies: Et dicta præcepta facere scribi in libro curiæ: & si non soluerint tales personæ debita, quæ in communi debebunt, secundum quod eis præceptum fuerit, teneatur dictus syndicus elapso dicto termino octo dierum infra sequentem diem secundam facere scribi super præcepto prædicto, sicut non est obseruatum: & per præsens capitulum non sint correcta capitula, quæ loquuntur quòd illi qui debent aliquid communi, non possint appellare, & de illis ad quos peruenerit aliquid de communi, qui syndicus uinculo iuramenti infra tertiam diem postquàm iurauerit, teneatur accipere in exemplum & penes se tenere præsens capitulum: & qui electus fuerit in officium syndicatus prædicti, non possit dictum officium recusare aliqua ratione, sub pœna solidorum centum: Et præsens capitulum legatur in consilio semper quando syndicus iurabit officium prædictum. Et si aliqua persona peteret aliquam emendam a communi, teneatur dictus syndicus contradicere quod dicta emenda non ponatur in libro communis, nec etiam poni possit, nisi hoc firmatum esset per consilium, uel nisi super hoc esset lata sententia contra commune: & si contingeret aliquod instrumentum emendæ poni in dicto libro cõmunis, nisi esset obseruata dicta solẽnitas, nõ valeat quod factũ esset: & quòd syndicus cõmunis ultra id quod receperit de communi & pro communi, non possit, post quàm exiuerit officium suum, aliquid petere uel exigere a communi, eo saluo, quòd si per racionatores communis reperiretur ultra receptum expendidisse, possint dicti rationatores in ratione ordinare quòd habeat & sibi satisfiat per commune usque in libras decem & non ultra, nisi esset ordinatum per consilium: & qui electus fuerit syndicus, non possit se excusare per aliquod aliud officium quod haberet: & syndicus communis teneatur accipere & tenere penes se in exemplum capi-

tulum primæ collationis positum sub rubrica de libro communis, in quo scribuntur debita communis, & dictum teneatur ostendere & exponere racionatoribus communis, quotiescunque dicti racionatores essent ad faciendum rationes communis: Et quòd quotienscunque aliqua persona peteret in consilio aliquam emendam, uel aliquid aliud a communi, quòd super hoc non possit fieri aliqua præposita seu refirmatio consilii, nisi syndicus communis esset præsens in consilio, & si aliter fieret, non valeat nec teneat quod factum fuerit: & finito tempore sui officii, & syndicatus teneatur & debeat facere rationem sui syndicatus, tam de expensis, quàm de receptis, & dictam suam rationem legi facere & exponi in cōsilio generali dictæ ciuitatis, & hoc infra vnum mensem & dimidium, sub pœna amissionis sui salarii syndicatus, & ultra remaneat infamis dicti sui officii, nisi iusto remanserit impedimento: Et præsens capitulum legatur dicto syndico ad ejus intelligentiam & principio & fine sui officii, ne pretextu ignorantiæ se excusare possit. Item die 21. Decembris 1542. statutum & ordinatum est, quòd syndicus teneatur & debeat finito suo officio infra mensem reddere rationem & computum administratorum per eum, in manibus deputatorum per communitatem, sub pœna scutorum quinquaginta Solis, applicandorum pro dimidia fisco, & pro alia dimidia communitati, quo mense elapso tenere debeat arrestum in fortia curiæ præsentis ciuitatis, donec ipsum computum fecerit, & nihilominus teneatur ad reliquorum restitutionem, ad formam statutorum.

De rationatoribus eligendis. Caput. XXXVIII.

ITEM statutum est quòd quando alii officiales eliguntur per electores, eligantur tres rationatores communis, saluo quòd remaneat unus ipsorum cum aliis nouis eligendis, qui rationatores iurent eorum officium bene & legaliter exercere, & facere iuxta formam capitulorum, qui tangunt rationatores communis, & nihil ponere seu approbare in ratione communis, nisi illud quod fuerit ordinatum per consilium, uel per capitula ciuitatis MontisReg. uel per illos qui de hoc habeant bailiam: quorum rationatorum duo saltem sint de circuitu plateæ, qui sciant literas, qui teneant duas claues coffini communis, secundum quod ipsi rationatores inter se ordinauerint: & teneantur illi qui habebunt dictas claues vinculo iuramenti, nisi iusto re-

man

manserit impedimēto, semper ire cum notario, qui tenet librum communis ad clauandum & desclauandum coffinum communis, & habeant pro custodia cuiuslibet clauis solidos quindecim pro quolibet & pro sex mensibus: & habeant dicti rationatores pro eorum salario pro qualibet die qua steterint ad rationes communis solidos quinque, pro quolibet: & dicti rationatores debeant bene & legaliter inquirere rationes communis & cuiuscunque alterius personæ, & quòd aliquis ex ipsis rationatoribus sine consilio & deliberatione habita cum aliis rationatoribus nihil dicere vel respondere debeat, super approbatione alicuius rei, debiti, uel rationis alicuius personæ, & si contra fecerit vltra pœnam sacramenti cadat a uoce sua super hoc, ita quòd illo facto nullam uocem habeat, qui rationatores cum fuerint super approbationibus & repprobationibus debitorum uel creditorum, teneantur expellere illum seu illos qui peterent dictam approbationem, & eius aduocatum seu illum qui pro ipso diceret uel proponeret: & si dicta persona nollet exire, nihil fiat de eo quòd peteretur, qui rationatores teneantur tenere secretos illos qui arrengarent contra aliquam personam super huiusmodi approbationibus & reprobationibus, & legatur præsens capitulum, quando rationatores iurabunt.

De Dictatore præpositarum eligendo. *Caput.* XXXIX.

ITEM statutum est, quòd syndicus communis semper, quando alii officiales mutantur, eligi faciat vnum discretum virum de consilio qui dictet reformationes consiliorum, quæ fierent vbi prædictus esset, quandocunque contingeret consilia celebrari: Et si contingat dictum dictatorem esse absentem de consilio, quòd D. Vicarius uel Iudex, qui facient fieri consilium, possint & debeant præcipere uni uel duobus literatis de dicta ciuitate, de his qui essent de consilio, quod sint ad dictandum reformationes prædictas; & dominus Iudex dictamini quarumcunque reformationum in maiori consilio fiendarum, teneatur semper personaliter esse cum dictatoribus antedictis, & istud capitulum teneatur D. Vicarius facere legi in primo consilio, quod fiet postquàm iurauerit officiū, & consiliarii fuerint electi.

De libro consiliorum tenendo. *Caput.* XL.

ITEM statutum est, quòd notarii ad hoc electi, teneant penes se librum consiliorum ciuitatis Montis Reg. & in ipso libro scribant ea, quæ per ipsum consilium, seu per sapientes, seu

alios officiales dictæ ciuitatis fuerint ordinata seu promissa, in quo libro consiliorum etiam diligenter scribantur & notentur omnia ordinamenta, quibus imponeretur aliqua pœna, seu im posita esset: Et dominus Vicarius, seu alius magistratus dictæ ciuitatis non possit uel debeat per formam accusæ uel alio modo procedere contra aliquam personam ex forma alicuius ordinamenti reformationis consilii uel promissionis, nisi euidenter appareret reformationem ordinamentum, uel prouisionem scriptum uel scriptam esse, uel fuisse in libro consiliorum prædicto: & quòd in reformationibus consiliorum non possit fieri aliqua glossa, & si fieret, non ualeat, nec teneat, nec ea aliquis utatur, seu possit: sed ipso iure sit cassa vana & nulla, & quod omnes reformationes consiliorum lineentur & lineari debeant per notarium qui eas scripserit incontinenti quando erunt scriptæ in dicto libro consiliorum, de super & circumquaque, ita quod si aliquid scriptum fuerit extra dictas lineaturas, seu desuper in glossa, vel alio modo, non valeat nec teneat: Et teneantur prædicti notarii seu alter eorum, dum steterint in officio, dictum officium, & ea quæ scripta sunt fideliter scribere & exercere; sub pœna pro quolibet & qualibet vice, qua contrafecerint, librarum quinquaginta Asten. & cassetur statim ab illo officio, nec perpetuò possit aliquod officium in curia dictæ ciuitatis exercere, si falsum ibi commiserint: & istud capitulum teneatur D. Vic. facere legi in primo consilio quod fieri faciat, postquam iurauerit officium, & postquam iurauerint consiliarii: & notarius qui scribet ordinamenta, seu exemplabit in libro prædicto, teneatur scribere diem in dicto libro, qua dicta ordinamenta facta essent, & diem qua dicta ordinamenta exemplabit, & aliter non valeant dicta ordinamenta: & quod dictum est in præsenti de ponendis ordinamentis in libro consiliorum, intelligatur & locum habeat tempore D. Vic. existentis tunc, quando fient dicta ordinamenta in officio, & quod ordinamenta prædicta ponantur & scribantur postquam facta seu confirmata fuerint.

De Gubernatoribus & Sapientibus consilij priuati eligendis, & de eorum bailia. *Caput.* XLI.

ITEM statutum est, quòd D. Vic. ciuitatis MontisReg. in primo consilio quod fieri fecerit post electionem consiliariorum consilii maioris, teneatur facere eligi nouem sapientes consilii priuati, modo & forma vt videbitur consilio dum tamen

dicta

dicta electio fiat etiam si contingeret consilium dare electionem aliis quam eisdem, qui sapientes & gubernatores possint & debeant negotiis cõmunis superesse, quorum officium duret secundũ quod per maius cõsiliũ fuerit ordinatum & finito termino officii eorũ alii eligãtur modo præmisso si placuerit maiori cõsilio eos mutare, saluo quòd quando mutabuntur dicti sapientes & gubernatores, possit si videbitur electoribus expedire, vnus de veteribus pro quolibet tercerio remanere, & non ultra: & non habeant dicti sapientes & gubernatores posse uel bailiam aliquam, per aliquam bailiam quæ eis detur: infringendi capitula, ordinamenta, seu reformationes ciuitatis MontisReg. nisi hoc specialiter & expressim esset eis concessum per consilium maius dictæ ciuitatis: nec possint dicti sapientes & gubernatores expendere de ære communis vltra decem libras, etiam pro quocunque negotio, nisi de hoc haberent mandatum speciale a maiori consilio dictæ ciuitatis: Et quòd in numero dictorum sapientum & gubernatorum, seu inter ipsos non intersint consiliis eorum, seu electionibus aliquorum officialium uel ambasciatorum, uel aliis eorum ordinationibus, nisi illi qui fuerint de eorum numero, saluo si per consilium maius uel per dominũ Vicarium ordinaretur, quòd aliqui adiuncti supra numerũ dictorũ sapientũ & gubernatorum aliquibus eorum ordinationibus, aliquando interessent, quo casu supranumerari, talibus possint adesse: & habeant dicti gubernatores pro quolibet pro eorum salario, solidos quinque singulis diebus Veneris, quibus simul fuerint, & in aliis diebus nullum salarium habeant.

De electione aliorum officialium fienda in consilio generali. Caput. XLII.

ITEM statutum est, quòd semper & quandocunque fit electio syndici eligãtur infrascripti officiales, videlicet vnus notarius, qui stet ad banchum ciuilium: & alius notarius, qui stet ad banchum criminalium: & habeant eorum solutiones super eorum scripturis iuxta taxationem ordinatam in capitulo de officio notariorum. Item vnus notarius super appellationibus: Item tres curatores bonorum vacantium, videlicet vnus pro quolibet tercerio. Item vnus notarius, seu scriba super bulletis fiendis hominibus montanearum, qui habeat a communi libras sex pro eius salario. Item stanciatores tres, vnus pro quolibet tercerio super victualibus, qui habeant pro eorum salario solidos triginta pro

ta pro quolibet. Item duo prudentes homines pro quolibet tercerio Acconciatores difcordiarum. Item duo Aterminatores pro quolibet tercerio. Item tres Denunciatores capitulorum, qui fint de confilio. Item unus Dictator præpofitarum & unus notarius confilii, qui habeant a communi pro quolibet, pro eorum falario fex menfium libras quatuor cum dimidia. Item duo notarii pro libro credentiæ, qui habeant pro eorum falario fex menfium libras decem & octo pro quolibet, & qualibet die qua fteterint cum rationatoribus ad rationes communis habeant folidos quinque: qui uero officiales teneantur eorum officium bene & legaliter exercere & iuramentum præftare in confilio generali dictæ ciuitatis & donec iurauerint, non pofsint eorum officium exercere.

De libro communis in quo fcribantur debita communis.
Caput. XLIII.

ITEM ftatutum eft, quòd in libro faciendo pro fcribendis debitis communis ciuitatis MontisReg. fcribantur omnes ambafciatæ, & æftima quæ folui debeant pro communi, & mutua quæ fierent pro communi, & generaliter omnia debita quæ tangunt & fpectant ad commune: & totum illud quod erit fcriptum in libro, attendatur & obferuetur, ficut fi exinde effet factum publicum inftrumentum: faluis tamen his quæ inferius continentur: in quo libro etiam fcribantur omnes rationes factæ per rationatores & fyndicum cum fyndicis, & collectoribus talearum & mutuorum & omnium aliarum rationum feu rerum quæ tangunt communi dictæ ciuitatis: quem librum cuftodire debeat unus bonus homo & legalis notarius credentiæ de dicta ciuitate: & qui fuerit electus ad cuftodiam dicti libri, non pofsit refirmari in fequenti anno: Et D. Vic. feu rectores, qui pro tempore fuerint in dicta ciuitate, teneantur quolibet anno uinculo Sacramenti, ponere ad confiliũ de dicto cuftode eligẽdo, & ipfum faciant eligi & mutari ut fupra dictum eft: & habeat dictus cuftos pro falario fuæ credentiæ & cuftodia dicti libri, libras decem octo Aften. pro fex menfibus: in quo libro fcribant & fcribere teneantur omnes fcripturas & rationes communis, quæ factæ effent, feu fierent per rationatores, cum fyndicis, collectoribus talearum, & aliis perfonis, ad manus quorum perueniffet aliquid de communi: quas rationes & fcripturas, teneatur legere dictus cuftos in confilio communis, quod

fiet

fiet postquam factæ fuerint· Debita uero & expensæ, quæ solui debent pro communi & emendæ quocunque modo debeantur pro cõmuni & de quibus facta fuerit ratio per rationatores,& fuerint approbatæ & approbata per cõsiliũ,nõ possit notarius ponere in libro cõmunis prædicto,siue in libro rationum communis, nisi ipsos & ipse ponat in præsentia duorum ex rationatoribus communis ad hoc electorum : & si prædicta forma non obseruata fuerit, non valeat nec teneat quod scriptum fuerit in dicto libro, qui duo rationatores sint de circuitu plateæ : & teneantur custodire dictum librum in vno coffino, & ipsum ponere incontinenti in dicto coffino quando factæ fuerint rationes : quorum duorum rationatorum, quilibet teneat unam clauem tempore quo stabit in dicto officio : qui custos similiter habeat & teneat penes se in dicto coffino omnia instrumenta dicti communis, tam integra quàm incisa. Et teneatur legere in consilio generali ciuitatis MontisRegalis singulis mensibus, omnes illas personas quæ debent aliquid reficere communi aliqua causa, saluis malis debitoribus, quos legere teneatur, si placuerit consilio de quo libro in præsentia tantum duorum rationatorum, teneatur facere copiam cuicunque petenti expensis petentis, qui notarius teneatur & debeat reponere omnia instrumenta, libros seu scripturas, quæ extrahentur de dicto coffino, in ipsum coffinum infra secundum diem postquam de eo extractæ fuerint, nisi remaneret de voluntate consilii uel rationatorum, sub amissione totius eius salarii, & sub vinculo iuramenti. Possit insuper & debeat quilibet debitor communis ciuitatis MontisReg. uel qui successerit alicui debitori dictæ ciuitatis, ad instantiam syndici uel alterius negotia dicti communis gerentis, legitimè pro quocunque debito dicti communis personaliter detineri per dominum Vicarium uel eius officialem, & arrestatus custodiri, donec debitum integrè soluerit. Et possint & debeant prædicta fieri omisso omni iuris ordine, sed tantum facti ueritate inspecta & syndico uel alio legitimo administratore instante : & non possit talis debitor, antequam soluerit, ad aliquod munus uel officium aspirare.

De faciendo vnum librum ordinamentorum. *Caput.* XLIIII.

ITEM statutum est, quòd D. Vic. ciuitatis MontisRegalis, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate, teneatur quolibet anno sui regiminis fieri facere vnum librum ordinamentorum, in quo

in quo ſcribantur omnia ordinamenta ſuo tempore facta ſeu confirmata, infra octo dies poſtquam facta fuerint ſeu confirmata, & ſcribatur dies in dicto libro, qua ſcribuntur dicta ordinamenta: quem librum teneat ille notarius qui tenuerit librum rationis communis: & ſi dicta ordinamenta ſcripta fuerint ſeu exemplata in dicto libro, prout dictum eſt, valeant ac ſi ſcripta eſſent in libro conſiliorum, non obſtante capitulo de libro conſiliorum tenendo, poſito ſub eadem collatione prima: & quòd aliqua ordinamenta non poſsint confirmari nec ualeat confirmatio, niſi ipſa ordinamenta diſtinctè lecta fuerint in ipſo conſilio, uel coram illis, qui haberent bailiam ipſa confirmandi.

De instrumentis factis pro communi, & in fauorem ipſius. Caput XLV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet notarius, & alius qui receperit inſtrumentum aliquod ſuper aliquo contractu, quod celebraretur a communi ſeu ſuper aliquo negocio, quod tangeret ipſum commune, teneatur & debeat infra quindecim dies poſt receptionem inſtrumenti prædicti, dictum inſtrumentum completum in formam publicam redactum reddere ſyndico, ſeu maſſariis communis prædicti, ſub pœna & banno pro quolibet & qualibet uice, ſolidorum uiginti Aſten. & ſyndicus communis ſeu maſſarius teneatur eidem notario ſoluere ſalarium inſtrumenti prædicti, & ſalarium eius, qui dictum inſtrumentum dictaſſet, ſi oportunum erit dictum inſtrumentum dictari, & prædictum inſtrumentum & alia inſtrumenta teneatur ſyndicus exemplari facere in chartulario inſtrumentorum communis.

De duobus voluminibus capitulorum ſeu ſtatutorum faciendis. Caput. XLVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd expenſis communis ciuitatis MontisReg. ſcribantur & fiant duo uolumina ſtatutorum ſeu capitulorum in bonis caprinis ſiue chartis membranis, in quibus uoluminibus & quolibet eorum ſcribantur per ordinem omnia capitula ſiue ſtatuta dictæ ciuitatis, quorum unum uolumen teneat & tenere debeat ille, qui cuſtodit libros & coffinum communis: aliud uero teneat curia dictæ ciuitatis modo infraſcripto. Et ſi dubitaretur de aliquo capitulo, quod eſſet in libro quem tenebit curia, recurratur ad capitulum originale quòd tenebit dictus cuſtos: & ſecundum quod ibi ſcriptum fuerit, obſeruetur: in quo uolumine, quod erit penes dictum cuſtodem, nihil

nihil scribatur in margine, nec aliud ibi scribatur, nisi per manus eius qui scripserit capitulum: & si scriptum fuerit, non ualeat quòd scriptum fuerit. Et D. Vicarius uel Iudex dictæ ciuitatis, teneatur compellere syndicum communis ad faciendum prædicta semper & quandocunque dicta duo volumina scripta non essent, & hoc infra terminum competentem: & possint imponere pœnam dicto syndico usque in solidos centum pro quolibet termino, infra quem scribi non faceret duo volumina antedicta: qui syndicus communis similiter in vno libro seu volumine per se faciat ponere omnia statuta seu capitula, quæ tangunt syndicum, rationatores, & custodem libri: & quæ pertinent ad expensas communis, quem librum teneat ille, qui erit syndicus penes se, & illum semper portet ad consilium publicum & priuatum quando fuerit oportunum: & teneatur ipsum librum semper habere super domum communis quando fient rationes communis, & vbicunque fient rationes, & ipsum ostendere rationatoribus. Volumen autem quod debet curiæ remanere, stare debeat sub porticu curiæ communis super banchum maleficiorum, catenatum cum vna catena de ferro: quæ catena sic ordinata sic quòd claudatur ad dictum banchum cum clauatura & claue, quam clauem custodire debeat syndicus communis: & dictum volumen custodire debeat notarius maleficiorum, & illud omni sero sub pœna periurii & solidorum quinque Asten. pro qualibet vice qua contrà fecerit, teneatur claudere infra dictum banchum cum dicta claue, ita quòd dictum volumen non possit inspici nec tangi nisi super dictum banchum: Et syndicus qui tenuerit clauem dictæ catenæ, non commodet seu præstet dictum volumen alicui personæ sub pœna periurii: nec exportari uel excatenari suo posse permittat per aliquam personam extra porticum prædictum, exceptis dominis Vicario & Iudice, qui possint ipsi & quilibet eorum dictum volumen portare quotiens illo alter eorum indigeret, & eo casu tam dominus Vicarius quàm dominus Iudex, vinculo iuramenti, & sub pœna florenorum decem auri pro quolibet & qualibet vice teneantur dictum volumen apud se custodire, & illud nemini commodare, ita quòd exportetur extra dictum porticum, imò teneantur quum primum de illo fecerint, reportare vel remittere ad dictum banchum: & illud reddere dicto syndico. Et notarius maleficiorum non teneatur pro custodia ad dictam pœnam eo tem-

pore quo dominus Vicarius vel Iudex dictum volumen penes se haberet, sed tunc demum cum foret redditum ad banchum prædictum.

ITEM statutum est, & specialiter ordinatum, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis, artis, professionis, vel dignitatis existat, terrigena vel forensis, audeat uel præsumat, per se uel per alium, aliqua ratione uel causa dictum volumen à dicta catena remouere, nec extra dictum porticum exportare sub pœna florenorum vigintiquinque, nec in aliqua parte dicti uoluminis aliquid propria authoritate addere, uel minuere, radere, cancellare, abolere, interlineare, lacerare, uel dictum uolumen uel in eo scripta in aliqua sui parte lædere uel damnificare. Et hoc sub pœna cuilibet contrafacienti & qualibet vice, florenorum vigintiquinque auri, a quolibet contrafaciente irremissibiliter auferendorum & applicandorum cameræ domini & communis: & ultra sub pœna falsi, ita quòd præter supra dictam pœnam florenorum vigintiquinque, possit & debeat tanquam falsarius puniri, & pro falsario haberi, & quamlibet pœnam falsarii pati & supportare, quæ ordinata sit per formam statutorum huius ciuitatis, uel per formam iuris communis. Et possint ac debeant & teneantur prædicti dominus Vicarius & Iudex curiæ ciuitatis prædictæ vinculo iuramenti inquirere per modum inquisitionis, seu accusationis, uel denuntiationis procedere contra quamlibet personam in dicto volumine ex prædictis aliquod facientem, uel fieri facientem, uel facere attentantem, uel quæ aliquid prædictorum fecisset, nisi fecisset per se uel alium per decem annos retro, & illam personam sic contrafacientem personaliter capere, condemnare, uel multare, & punire incontinenti, nulla attenta condemnatione, uel solemnitate iuris & præsentium statutorum, sed sola facti veritate inspecta. Et qualibet persona possit legitime accusare, denuntiare, uel manifestare dictis officialibus quamlibet aliam personam contra præmissa facientem, quæ persona denuntians uel accusans, teneri debeat secreta, si voluerit, & habeat tertiam partem banni prædicti: permissum est tamen vigore præsentis capituli præmissis non obstantibus, vnicuique personæ, dictum volumen super dictum bancum inspicere & in eo legere & ex eo vnum & plura capitula exemplare vel exemplari facere, dummodo nulla læsio fiat in dicto volumine, uel in aliquo contentorum in illo, ut supra. Et

teneatur

teneatur dominus Vicarius specialiter uinculo iuramenti infra octo dies, postquam iurauerit officium facere publice proclamare in platea maiori dictæ ciuitatis, præsens capitulum, & omnia & singula in eo contenta, & ultra teneatur eum facere legi in primo consilio, quod post eius ingressum faciet celebrari: insu per statutum est, quòd si quo tempore in posterum fieri contigerit aliquas additiones circa dispositionem præsentium statutorum, illæ tales additiones scribantur in uno libro de per se, & non in præsenti uolumine, ne per earum misturam aliqua obscuritas præsentibus statutis dicatur inferri.

De consilio quando fit pro aliquo homine speciali, & quibus personis dari debeat. Caput. XLVII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius Iudex, & quilibet alius rector ciuitatis MontisRegalis, teneantur quando facient celebrari consilium publicum uel priuatum dictæ ciuitatis, pro aliquo homine speciali dictæ ciuitatis, uel pro aliquo eius negotio, facere illum quem tangeret negotium, super quo fieret con silium, exire de consilio & de domo uel loco & conspectu ubi fieret dictum consilium, & omnes eius fratres & consanguineos germanos, unum uel plures: & dominus Vicarius, & alii rectores dictæ ciuitatis, teneantur & debeant dare consilium quotienscunque fuerint requisiti per sex homines de consilio, uel per syndicum cōmunis, & teneantur impartiri super ipsis de quibus requireretur consilium, & sicut obtentum fuerit obseruare teneantur. Et hoc capitulum teneatur D. Vicarius facere legi in primo consilio quod fiet in principio regiminis post sacramentum & electionem consiliariorum, quotienscunque casus contingeret. Et si ille uel illi, ad quorum instantiam fieret consilium uel eius fratres, & eorum consanguinei germani ut supra facta præposita non exirent de consilio quod eos tangeret uel eum ut supra non ualeat quod confirmatum fuerit ad eius uel eorum requisitionem, sed potius sit irritum & inane quicquid fieret, & inde sequeretur ita quod reuocari possit usque ad decem annos, ex tunc proxime uenturos.

De partitis faciendis in consilio & alibi. Caput. XLVIII.

ITEM stattuum est quòd D. Vicarius & quilibet rector ciuitatis MontisReg. teneatur & debeat facere in consilio, & ubicunque alibi fierent partita ad album & nigrum: & ipsa partita facere, ita quòd uoluntas consiliariorum discernatur ad album

& nigrum & non aliter. Et istud capitulum sit præcisum, ita quòd non possit remoueri consilio uel concione, uel alio modo sub aliquo ingenio. Et quòd fabæ seu tabulæ cum quibus seu de quibus fient partita ponantur super uno discho qui sit coram discho D. Vicarii. Et numerentur per syndicum uel Iudicem seu militem: & quòd tabulæ seu fabæ non habeant uocem, nisi sint integræ. Et qui fecerit fraudem in ponendis seu mutandis dictis tabulis, soluat bannum pro quolibet & qualibet uice, libras tres: Et inde posit fieri inquisitio per curiam: Et D. Vicarius uel alius rector ciuitatis prædictæ, non posit aliquo ingenio constringere aliquem de consilio ciuitatis prædictæ, dicere qualem tabulam imposuerit ad partitam: & decani, seu nuntii qui portant tabulas seu fabas per consilium, teneantur & debeant portare dictas tabulas in birretis seu caputiis & recipere in birretis & non aliter sub pœna pro quolibet & qualibet vice solidorum trium. Item quòd partita fiant eodem modo in omnibus & per omnia ad album & nigrum in quocunque consilio priuato: & ubicunque fuerint aliqui electi, qui habeant aliquam bailiam a communi, vt fiunt & fieri debent in consilio generali: Et quòd de qualibet præposita siue negotio fiet partitum, de sic ad non, siue si arengatum fuerit siue non: Et quòd aliquis non ponàt aliquas tabualas, seu fabas, nisi solummodo in birretis uel caputiis decanorum, quando decani erunt. Et quòd aliquis non posit ponere aliquam tabulam seu fabam pro aliquo alio, nisi solummodo per se tantum qui fuerit de consilio, sub pœna & banno pro quolibet & qualibet uice solidorum trium. Et aliquis non posit dicere vel arengare super arengaria, ea uerba quæ dicta & arengata fuerint per alium de dicto consilio, sub pœna pro quolibet & qualibet vice vnius solidi: Et D. Vicarius teneatur incontinenti dictum bannum excutere aliquo capitulo non obstante. Et quòd D. Vicarius uel alius rector dictæ ciuitatis teneatur præcipere consiliariis, qui fuerint in quolibet consilio, tam publico quàm priuato, quòd nullus dicat uel cridet, la biancha, uel la negra sub pœna quam imponere uoluerit, quam pœnam incontinenti excutere teneatur. Et quilibet de consilio teneatur sub pœna denariorum duodecim, pro quolibet & qualibet uice stare ad consilium quousque omnes reformationes fuerint publicatæ & lectæ in dicto consilio, tam publico quàm priuato. Et D. Vicarius, miles, uel alius rector teneatur in quolibet consilio

lio tam publico quàm priuato : in quo aliquæ expensæ communis imponantur, uel imponi dicerentur, quæ ascendant ad libras decem uel supra, numerare uel numerari facere omnes consiliarios ante quàm fiat partitum in dicto consilio. Et istud capitulum teneatur facere legi D. Vicarius in primo consilio quod fiet postquàm iurauerit, & postquàm consiliarii fuerint electi. Et omnes tabulæ colligantur in quolibet partito, ita quòd uideri possit ne fiat fraus: & syndicus communis habeat tantum uocem in quocunque consilio publico uel priuato, & in omnibus aliis locis ubi esset dictus syndicus, quantam haberet alius consiliarius uel alius habens bailiam. & omnia consilia tam publica, quàm priuata fieri debeant super domo communis, uel in pertinentiis domus fratrum Minorum, & non alibi : & si aliter factum fuerit, non ualeat exceptis pro factis domini, quæ fieri possint, prout ipsi domino placuerit.

ITEM additum est, quòd præfatum statutum, seruetur ad unguem per D. Vic. & cōsiliarios, sub uinculo eorum iuramenti; & si aliter fiat, non ualeat nec teneat, & ulterius quòd nulla fiat proposita in consilio, quæ sit duplex, sed tantum simplex : & si contigerit fieri proposita super uerbis exponendis per aliquem, quod non fiat nisi uerba ipsa exponantur syndico & gubernatoribus, & specificentur in proposita ; uel saltem de eis mentio fiat, & de una materia tantum, & D. Vicarius seu eius locumtenens, teneatur prædicta obseruari facere uinculo sui iuramenti præstiti.

De pœna non uenientium ad consilium. Caput. XLIX.

ITEM statutum est, quòd qui audiuerit pulsari consilium uel cridari, & non uenerit ad consilium, soluat bannum solidos tres: qui uero uenerit ad consilium postquam propositæ fuerint lectæ, soluat denarios quatuor incontinenti pro banno, nisi haberet licentiam a D. Vicario seu Iudice, uel milite, uel nisi esset extra confines infrascriptos, quibus casibus non incurrat aliquam pœnam. confines uero sunt isti, uidelicet uersus Vicum ultra puteum, uersus portam Vaschi, tectum Iacobi Dolei, & in capite Burgati ultra Ellerum reclusum, uersus Bredulum tectum Grengerii, uersus Carasonum, pons Carasoni, & porta Lupizani, & tectum Oddarelli cōtra de uineis Caligariorū siue puteus Beconi. Et quicunque esset inculpatus quod non uenisset ad consilium, possit se defendere suo iuramento si iurauerit se

non audiuisse pulsari consilium uel cridari uel fuisse extra confines suprascriptos quando consilium cridabatur uel pulsabatur, uel se habuisse aliam iustam causam quam dicere teneatur, eo saluo, quod de macellariis possit remanere unus ipsorum ad suum officium exercendum, & pro dicto iuramento siue defensione fienda de non veniendo ad consilium, notarius nihil accipere possit vel debeat, saluo quòd pro cancellatura possit accipere denarios tres pro quolibet, & præstito dicto sacramento D. Vic. siue Iudex teneatur facere cācellari de libro curiæ illum qui esset inculpatus de non ueniendo ad consilium. Et quod dictū est de consiliariis consilii maioris, idem intelligatur de consiliariis consilii priuati. Et istud capitulum teneatur D. Vicarius facere legi in primo consilio quod fiet postquam iurauerit officium, & postquam consiliarii fuerint electi. Et notarius qui signauerit consiliarios qui non fuerint ad consilium, teneatur mittere consiliariis qui non venerunt ad consilium defensiones infra tertiam diem post consilium sub pœna solidorum trium: quæ pœna notarii & consiliariorum incontinenti exigi possit per D. Vicarium data defensione dictis consiliariis ut supra & aliter a consiliariis nulla pœna exigatur.

ITEM cum non possit haberi consilium, nisi cum maxima difficultate, die 17. Ianuarii 1560. statutum, additum & ordinatum est, quòd consiliares, qui de cætero defecerint interuenire in consilio, quando proclamabitur & pulsabitur, incurrant pœnam pro prima uice florenorum duorum pro quolibet, pro secunda florenorum quatuor, pro tertia vero priuentur eorum officio consiliarii: & hoc nisi adsit legitima causa & impedimentum, quæ pœna applicabitur pro dimidia hospitali, & pro altera dimidia fisco.

De mutatione consilii. *Caput.* L.

ITEM die 25. Ianuarii 1548. statutum & ordinatum fuit quòd anno singulo in festo diui Thomæ ante festa Natalia cuiuslibet anni, aut in alio festo diui Thomæ subsequentis, mutetur semper tertia pars dicti consilii ad sortes, uidelicet in exeundo a dicto consilio, & cui sors uenerit exeundi a dicto consilio, eligat duos probos viros de suo tercerio, qui possideant ad minus vnā libram de registro pro quolibet, quorum qui approbabitur a maiori parte dicti consilii, remaneat & sit de consilio, ita tamen quòd approbatio huiusmodi fiat per scrutinium, videlicet ad vo-

ces

ces secretas in manibus D. Iudicis & Secretarii qui pro tempore fuerint. Et pro maiori dicti ordinamenti declaratione hoc mo do in huiusmodi mutatione procedetur, videlicet primum mutetur tertia pars dicti consilii per sortes boletinorum, loco quorum remouẽdorum, alii noui consiliares ut præmittitur per consiliares exeuntes, videlicet duo pro quolibet eligantur, & vnus ipsorum duorum per quemlibet ipsorum electorum approbetur per consilium, ut supra per scrutinium ad uoces secretas, & dicta mutatione facta, dictum tale consilium duret & durare debeat vsque ad festum diui Thomæ ante festa Natalia proximè uentura, & in ipso festo diui Thomæ mutetur dimidia Antiquo rum consiliariorum, tunc restantium ad sortes, ut supra eodem modo alios loco eorum eligendo & approbando, & in alio festo diui Thomæ ante festa Natalia inde proximè subsequentia, mutetur reliqua tertia pars, absque tangendo alias duas partes consiliariorum nouorũ: & anno subsequenti in dicto festo diui Thomæ, ante dicta festa Natalia, ac aliis singulis annis uenturis & subsequentibus, exeat & exire debeat & teneatur tertia pars consiliariorum magis antiquorum, loco quorum semper eligantur & approbentur alii, modo & forma præmissis: de tercerio tamen illius seu illorum, cui seu quibus, sors & occasio exeundi dederit, ut supra, & hoc ordinamentum perpetuo donec per consilium qui pro tempore fuerit reuocabitur, durare, & roboris firmitatem obtinere voluerunt & volunt.

De ponendo ad consilium capitula loquentia de Bosco nigro. Caput. LI.

ITEM statutum est, quòd D. Vic. infra mensem postquàm iurauerit officium, teneatur ponere ad consilium capitula de Bosco nigro, & aliis sapetis, si placet consilio aliquid prouidere super custodia ipsorum.

De capitulis faciendis & emendandis. Caput. LII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius, teneatur per duos menses ante finem sui regiminis facere poni ad consilium super capitulis emendandis & faciendis & secundum quod ordinauerit consilium obseruetur, & possit etiam capitulari post introitum regiminis D. Vicarii, usque ad unum mensem: & illa capitula, quæ fierent illo tempore, teneantur D. Vicarius, & Iudex & quilibet alius rector, obseruare sicut cætera capitula antè scripta in uolumine capitulorum ciuitatis prædictæ.

De interpretatione capitulorum. *Caput.* LIII.

ITEM statutum est, quòd si aliquod capitulum ex supra uel infrascriptis esset dubium uel obscurum in totum uel in ali- qua sui parte, illa talis obscuritas, seu dubietas, debeat de- clarari & interpretari per D. Vicarium & per omnes capitulato res dictorum statutorum uel duas partes ipsorum, & secundum quod dicerent uel in aliquo concordes essent, illud debeat ob- seruari hoc vnientibus dictis capitulatoribus uel maiore par- te eorum. Et ipsis deficientibus, dicta interpretatio fiat per sa- pientes & gubernatores, uel maiorem partem eorum & quòd dictum est de capitulis supra & infrascriptis, idem intelligatur de capitulis dacitorum & gabellarum, videlicet ut eornm con- ditores illa interpretentur, seu illis deficientibus eorum interpre tatio spectet ad sapientes & gubernatores, ut supra.

Quòd statuta scripta in præsenti volumine intelligantur secundum quod litera iacet. *Caput.* LIIII.

ITEM statutum est, quòd omnia statuta scripta in præsenti uolumine capitulorum ciuitatis MontisReg. intelligantur & intelligi debeant per quoscunque ad literam & secundum quod litera iacet.

De reformationibus, ordinamentis, capitulis & bannitis quanto tempore sint duratura. *Caput.* LV.

ITEM statutum est quod omnia ordinamenta & reformatio- nes consiliorum non durent ultra tempus regiminis D. Vica- rii, cuius tempore facta fuerint, nisi aliud caueretur in eis: ca pitula uero perpetuam obtineant firmitatem, quousque fuerint reuocata: banna autem quæ fient per consilia dictæ ciuitatis du- rent etiam tempore D. Vicarii cuius tempore fuerint facta, sal- ua semper uoluntate consilii quod possit super ipsis banniis cas- sandis & mutandis facere & prouidere sicut sibi placuerit, & quòd bannitæ quæ fient per commune dictæ ciuitatis diuulgen- tur per dictam ciuitatem & eius districtum, & notificentur cir- cumstantibus & uicinis dictæ ciuitatis, per uiginti miliaria cir- cum circa, uel dominis talium uicinorum, ne dicti circunstan- tes dictas bannitas materiam habeant ignorandi, & proinde scandala oriantur.

Quòd vbi fit mentio in genere masculino ibi intelligatur esse facta in fœminino. *Caput.* LVI.

ITEM statutum est, quod si in aliquo capitulo uel ordina- mento

mento uel reformatione consilii communis ciuitatis MontisReg. fiat mentio uel appellatio in genere masculino, intelligatur esse facta, & locum habeat in genere fœminino, nisi expresse aliquo capitulo uel ordinamento contrarium uel aliud caueretur: uel nisi ex tali appellatione haberetur, uel resultaret prauus uel absurdus intellectus, ut puta quòd mulier aliquid faciat ad quod non tenetur de consuetudine uel de iure, quòd tunc sub masculino femininum nullatenus comprehendatur.

De gratia non facienda de rebus communis. *Caput.* LVII.

ITEM statutum est, quòd aliqua donatio parua uel magna, uel mutuum non possit fieri alicui personæ sub aliquo modo uel sub aliquo ingenio de rebus communis in aliquo consilio ciuitatis MontisReg. paruo, magno, nec aliqua occasione, & si fieret nulla sit ipso iure, sed irrita & nullius momenti: Et quicunque in consilio uel extra consilium dictæ ciuitatis concionatus fuerit uel arengaret, uel uerba proposuerit in consilio uel arengo, quòd donatio fiat per commune de rebus communis, soluat pro pœna quotienscunque contra fecerit, libras uigintiquinque: Et istud capitulum sit præcisum, ita quod non possit remoueri consilio uel aliquo alio modo. Et commune dictæ ciuitatis seu eius consilium non possit aliquo modo uel debeat intercedere pro aliqua persona communi, collegio uel uniuersitate: & quicunque arrengauerit uel proposuerit uerba in contrarium, soluat eandem pœnam: & D. Vicarius & Iudex & quilibet alius rector uinculo iuramenti teneatur inquirere & inquiri facere contra quancunque personam arrengantem uel facientem contra præsens capitulum, quotienscunque inde fuerit requisitus, uel sibi denunciatum fuerit, & quælibet persona possit accusare contrafacientes, & ei cum iuramento credatur, si fuerit homo bonæ famæ: Et legatur præsens capitulum semel quolibet mense. Et quilibet qui arengauerit contra præsens capitulum in consilio publico uel priuato, restituat communi totum id in pecunia numerata, de quo fieri gratiam arengauerit & quòd quandocunque gratia requireretur de rebus communis in aliquo consilio publico uel priuato, quod D. Vicarius uinculo iuramenti, teneatur facere legi præsens capitulum antequam præposita fiat in dicto consilio.

De non dandis clientibus. *Caput.* LVIII.

ITEM statutum est, quòd aliquis non possit habere aliquos clien-

clientes de eundo ad exercitum uel caualcatum, nisi super hoc fuerit specialiter aliter ordinatum per consilium ciuitatis MontisRegalis, nec ab eis aliquos soldos uel stipendium habere: & contrafacientes, tam dantes quàm recipientes soluant pœnam solidorum viginti Asten. & D. Vicarius & quilibet Rector dictæ ciuitatis possit inquirere, & quilibet possit contrafacientes accusare, & ei iuramento credatur. Et quælibet persona quæ acciperet aliquos clientes ultra numerum sibi datum per consilium, teneatur conseruare indemnes illas personas, a quibus stipendium acciperet: & soluere bannum pro eo quod incurreret occasione exercitus uel caualcatæ: Et hoc capitulum legatur in consilio postquam D. Vicarius iurauerit infra mensem.

De non dandis ambasciatoribus, nisi ad expensas petentis. Caput. LIX.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius non permittat ambasciatorem seu ambasciatores, dari a communi ciuitatis MōtisRegalis, alicui homini speciali, nisi ad expensas petentis, uel nisi esset necessitas, uel magna paupertas: & tunc concedi possit per maiorem partem consilii, eo saluo, quòd si Illustris dominus noster peteret aliquos ambasciatores sibi dari, tunc possint sibi dari ambasciatores ad expensas communis: Et quando ambasciatores fuerint odinati pro negotiis communis, debeant habere a communi pro eorum salario omni die secundum quod ordinatum fuerit per syndicum & gubernatores, seu consilium, & quilibet ambasciator, teneatur scribi facere ambasciatam in libro communis in quo scribuntur debita communis infra quindecim dies postquàm uenerint de ambasciaria, alioquin ultra sibi non credatur: & amittat salarium ambasciariæ, & quilibet electus ad eūdum in aliquam ambasciariam, teneatur ire, nisi haberet excusationem quæ incontinenti cognoscatur per Iudicem curiæ. Et qui nolet ire in ambasciatam ad quam electus fuerit, teneatur precise mutuare syndico communis pecuniam illam quæ foret necessaria tali ambasciatori pro tali ambasciata, quæ pecunia ei reddi debeat per syndicum communis infra terminum ordinatum per consilium: Et ad prædicta quilibet possit compelli omnibus iuris remediis & eodem modo possit compelli quælibet persona ad commodandum uel locandum roncinum suum, uel roncinas, uel equos, syndico communis pro pretio quod fuerit in consilio ordinatum.

De

De pactis obseruandis hominibus Montanearum. Caput. LX.

ITEM statutum est, quod D. Vicarius Iudex uel alius rector qui pro tempore fuerit in officio ciuitatis MontisRegalis teneantur & debeant obseruare & obseruari facere omnia pacta, & omnes conuentiones, quæ uel quas habet commune ciuitatis prædictæ, cum hominibus Montanearum, scilicet Turris, Montisalti, & Reburenti, salua sententia lata per dominum Bartholomæum Asinarium, inter dominum Episcopum & commune ciuitatis prædictæ.

De pactis obseruandis per Castellanos & alios habentes pacta cum commune. Caput. LXI.

ITEM statutum est, quod omnes castellani & aliæ personæ habentes pacta cum commune ciuitatis MontisReg. teneãtur ipsa pacta attendere & obseruare sub pœna librarum centum Asten. pro quolibet & qualibet uice: cuius pœnæ tertia pars sit curiæ, tertia communis, alia tertia sit accusantis siue denuntiantis, & quilibet possit accusare & denuntiare: & etiam super prædictis fieri possit & debeat inquisitio per curiam quotiens denuntiatum fuerit, & denunciator habeat tertiam partem banni, ad quam pœnam exequendam & exequi faciendam, teneãtur D. Vicarius & Iudex & quilibet rector dictæ ciuitatis, uinculo iuramenti, & hoc capitulum habeat locum ex quo denunciatum fuerit, dictis personis quam denunciationem facere fieri teneantur D. Vicarius & Iudex, & etiam syndicus communis, infra quindecim dies a die introitus sui officii computandos, & cuiuslibet prædictorum denunciatio sufficiat facta per eos uel eorum alterum, uel per aliquem nuntium dictæ ciuitatis.

De consuetudinibus Vici attendendis. Caput. LXII.

ITEM statutum est, quod D. Vicarius teneatur facere attendi & obseruari in ciuitate MontisRegalis & eius districtu, omnes & singulas consuetudines Vici ueteris, sicut essent recordatæ per bonos homines Vici, uidelicet per tres uel plures electos in consilio ciuitatis prædictæ.

De non dandis obsidibus. Caput. LXIII.

ITEM statutum est, quod D. Vicarius Iudex uel alius rector ciuitatis MontisRegalis, non permittat darę obsides ab hominibus dictæ ciuitatis sub aliquo ingenio, & D. Vicarius uel alius rector non possit præcipere alicui homini de ciuitate prædicta, ut extra iurisdictionem eiusdem ciuitatis, exeat aliqua de

causa

causa sub aliquo ingenio, nisi pro exercitu & caualcata uel ambasciata, saluo quòd præsens capitulum sit ad uoluntatem consiliariorum ciuitatis prædictæ. Et si cõtingeret aliquam personam a dicta ciuitate uel districtu citari per curiã extra dictã ciuitatem, contra formã capitulorum eiusdẽ, uel contra conuentiones, quas habet curia cum commune dictæ ciuitatis, teneatur syndicus dictæ ciuitatis, & consilium eiusdem talem personam defendere expensis communis, & ipsam conseruare indemnem de prædictis, si de his reddiderit certum syndicum uel consilium supradictum. Et quilibet rector prædictæ ciuitatis teneatur dare consilium tali personæ, infra secundum diem: & postquam de hoc fuerit requisitus per eam personam uel eius procuratorem. Et uoluntas dictorum consiliariorum sic & ita obseruetur in faciendo reuerti obsides seu confinatos ad dictam ciuitatem, & expediri de confinibus, sicut in mittendis, dandis, & confinandis prædictis, ita quòd huiusmodi confinati, seu obsides quandocunque placeret consilio, reuertantur & absoluantur a dictis confinibus, & pro absolutis habeantur ipsi & fideiussores eorum.

De electione stantiatorum. *Caput.* LXIIII.

ITEM quia multoties machinari contingit per stantiatores nõ bene exercentes eorũ officiũ, uel morosos se reddentes in exercitio dicti eorũ officii quod cadit in præiudicium Reipublicæ præsentis Ciuitatis, statutũ est, quòd stantiatores nõ possint eligi ad dictum officium, nisi sint de libris duabus de registro, uel ultra, & si secus fiat, non ualeat talis electio, nec dictum officium exercere possint, nec salarium usitatum habere.

Quòd homines Frebozia, Rochebaudorum, Sancti Blasii, Morocij, Montisalti, & Reburenti, possint facere ordinamenta super mensuris & stanijs. *Caput.* LXV.

ITEM statutum est, quòd homines Rochebaudorum, Freboziæ, Sancti Blasii, Morocii, Montisalti, & Reburenti, possint in eorum uillis statuere & ordinare quicquid eis placuerit super eorum mensuris & stanciis, & super eorum ferrariis, macellatoribus, textoribus, & textricibus, fornariis, & tabernariis, & quicquid factum seu ordinatum fuerit per prædictos uel aliquem prædictorum, in prædictis uel circa prædicta, ualeat, teneat & duret, donec per cõsilium dictæ ciuitatis aliud foret ordinatum in contrarium. Et non possint officiales meistrales seu textores uel textrices & similes personæ de dictis uillis,

compel-

cōpelli per curiā ciuitatis prædictæ ad ueniendū iurare eorum officia in dicta ciuitate: nec etiam poſsit notarius curiæ dictæ ciuitatis facere inquiſitionem cōtra prædictos meiſtrales uel officiales, uel aliquem ipſorum aliquo capitulo nō obſtante: & hoc capitulum duret & valeat ad uoluntatem cōſilii ciuitatis MontisRegalis, uel maioris partis ipſius.

De vno libro fiendo, in quo ſcribantur instrumenta illorum qui fiunt ciues vel habitatores. Caput. LXVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd D. Vicarius teneatur facere eligi infra duos menſes, poſtquam iurauerit officium, vnum bonum hominem & legalem, qui ſit notarius, & qui ſuis expenſis ſcribat vnum librum, in quo libro ſcribantur & notentur per ipſum hominem, omnia inſtrumenta cuiuſcunque, qui efficietur habitator ciuitatis MontisRegalis. Et domus quam emerit cum cohærentiis, anno, menſe, & die, & nomen notarii conficientis inſtrumenta prædicta, de quo notario eligendo fiat propoſita ſpecialis, & eligatur ſecundum quod placuerit conſilio.

De non recipiendo aliquem in habitatorem, niſi emerit domum. Caput. LXVII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona recipi non poſsit in ciuem uel habitatorem per commune ciuitatis MontisRegalis, niſi emerit uel habuerit ſine fraude domum vnam in dicta ciuitate, eius valoris qui videbitur conſilio dictæ ciuitatis, iuxta qualitatem perſonæ & rerum dicti ciuis ſeu habitatoris, quæ domus ſit ſemper & remaneat obligata communi, tam pro ſoluendis taleis, quàm aliis quæ fierent inter dictum ciuem ſeu habitatorem & commune dictæ ciuitatis: & dictus ciuis ſeu habitator dictam domum non poſsit vendere, nec alienare, nec alteri obligare aliquo modo uel aliquo ingenio, ſine licentia ſapientum conſilii maioris dictæ ciuitatis, uel maioris partis eorum: Et ſi contrafactum fuerit, non valeat venditio, alienatio, uel obligatio, ſed ipſo iure ſit irrita, & nullius valoris atque momenti: ita quòd dicta domus, ſi dictus uenditor non obſeruauerit pacta & conuentiones ut ſupra, ipſo iure perueniat in commune, & ſit ipſius communis pleno iure: poſsit tamen talis ciuis dictam domum in aliam permutare, quæ domus in principio habitationis cum cohærentiis, & pretio ſcribatur in libro communis cum nomine notariorum, & anno inſtrumenti inde

confecti. ITEM statutum est, quòd aliquis non habeatur pro ciue uel habitatore, nec ciuis uel habitatoris ciuitatis MontisRegalis commoda sentiat, nisi domum habuerit & eam habitauerit in dicta ciuitate & districtu, & nisi faciat exercitus uel caualcatas, sicut faciunt alii homines dictæ ciuitatis quando euenerit casus oportunus: nec excusetur a pedagiis & cultis, nec aliis præstationibus, quæ alienigenis imponuntur, saluis pactis quæ fierent inter commune dictæ ciuitatis & illas personas quæ ciues uel habitatores fieri uellent, quæ pacta tunc obseruentur non obstante præsenti capitulo & exceptis in prædictis Iudicibus & Medicis, qui habeantur & teneantur pro ciuibus & habitatoribus, quando habitare uelint in dicta ciuitate, saluis & exceptis etiam omnibus nuper habitātibus, & qui de cætero habitabunt in dicta ciuitate uel districtu qui sint franchi & immunes per quinquennium postquam habitauerint a quibuscunque præstationibus, realibus, & personalibus, aliis quibuscunque capitulis non obstantibus, dummodo per eos sit seruata forma huius capituli.

ITEM additum est, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis gradus vel status existat, quæ non habitauerit in præsenti ciuitate a XXV. annis citra & non recepta fuerit in ciuem, & formam dictorum capitulorum non obseruauerit atque non sit nec fuerit a dicto tempore citra de libris iiii de registro non possit nec debeat acceptari nec reputari pro ciue aduocare nec procurare in curia præsentis ciuitatis, sub pœna florenorum decem pro quolibet & qualibet uice, cuius pœnæ duæ partes applicentur Illustris. Domino D. nostro Sabaudiæ Duci, & alia tertia pars accusatori uel denunciatori, & eorum iuramento credatur, ac vlterius quod cedulæ & acta per eos facta uel fienda, non admittantur, sed sint ipso iure nulla.

Quòd extraneus habens ædificium citra Tanagrum in fine Carassoni, soluat fodrum & taleam in tercerio Carassoni.

Caput. LXVIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona extranea quæ habeat tectum, domum, cultem, curiam uel possessionem aliquam in aliqua parte finis Carassoni vndecunque sit, teneatur soluere fodrum & taleam in ciuitate MontisRegalis, scilicet in tercerio Carassoni secundum quod fuerit registrata talis res talis extranei per registratores Carassoni, saluis pactis habentibus

bus inter commune dictæ ciuitatis & homines Bastitæ & Montanearum.

De soluendo fodrum & taleam in ciuitate Montis Regalis.
Caput. LXIX.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de ciuitate Montis Regalis, quæ habeat possessiones uel terras uel domos in ciuitate prædicta uel eius posse, debeat soluere fodrum & taleam in ciuitate prædicta, sicut registratum & impositum fuerit ei per registratores communis, uel per alios ad hoc electos. Et qui non soluerit fodrum sicut ei impositum fuerit, non sit in aliquo sub protectione communis dictæ ciuitatis. Et si aliquis daret damnum in rebus suis, nullam pœnam substineat, nec aliquam pœnam incurrat, nec audiatur de aliquo iure suo, pro se nec pro alio: exceptis presbyteris & clericis commorantibus in ecclesiis, & ibidem seruientibus, saluis pactis illorum de Turre, Monte alto, & Reburento: Et quæcunque persona quæ steterit ad focum & catenam per quinquennium continuum in dicta ciuitate Montis Regalis uel eius posse, teneatur soluere fodrum & taleam in ipsa ciuitate, sicut alii ciues ipsius ciuitatis secundum quod fuerit registratum, & antè non. Et D. Vicarius & commune ac consilium dictæ ciuitatis teneantur & debeant dare consilium & iuuamen talibus fodrum soluentibus sicut aliis hominibus dictæ ciuitatis, dum prædicti stare uoluerint & stabunt in dicta ciuitate, uel posse, ad focum & catenam ut supra, & cum eorum familia, si haberent. Et aliqua persona quæ soluat fodrum & taleam in uno tercerio dictæ ciuitatis non possit exire nec mutari in aliquo modo de dicto tercerio, in quo registrum solueret siue taleam, pro eundo ad soluendum in alio tercerio, nisi fuerit de voluntate consilii.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona, quæ haberet teneret uel possideret laboraret uel quoquo modo teneret per se uel alium possessiones aliquas, scilicet terras cultas, uel incultas, domos, prata, sedimina, uineas, uel castagneta, uel alias res mobiles, uel immobiles uel possessiones cuiuscunque essent pro suis & tanquã suas in ciuitate Montis Reg. uel iurisdictione, districtu, finibus, uel posse, teneatur & debeat taleas soluere & collectas, mutua, & alias conditiones, & fodra in ciuitate Montis Regalis imposita uel impositas, & de cætero imponenda uel imponendas, quemadmodum homines de dicta ciuita-

te, & ibi habitantes, uel origine nati darent & soluerent uel facerent, siue prædictæ res reperirentur in registro siue non: Et quòd possessiones quæ non essent registratæ, registrentur per rationatores communis uel alios ad hoc electos. Et eodem modo registretur quælibet persona quæ omissa esset ad registrandum, quæ posset uel deberet registrari per registratores.

Quòd possessiones finis MontisRegalis & posse, sint obligatæ communi pro fodris & taleis. Caput. LXX.

ITEM statutum est, quòd omnia prædia tam rustica quàm vrbana & possessiones omnes existentes & existentia in territorio & posse ciuitatis MontisRegalis, & omnes aliæ res mobiles & immobiles positæ & quæ poni & describi possent in registro dictæ ciuitatis, sint & esse debeant, ac censeantur sub pignore & hypotheca obligata & obligatæ, communi ciuitatis MontisRegalis pro taleis, impositionibus, expensis & fodris factis, impositis, & imponendis secundum formam & consuetudinem dictæ ciuitatis, & secundum ordinamenta & statuta facta super registro, Ita & taliter quòd nullo modo possint uendi, donari, permutari, uel alio quocunque modo obligari, seu in aliam personam transferri, siue collegium, seu uniuersitatem, sine eo quòd fodra, impositiones, & taleas de ipsis possessionibus soluât cômuni prædicto, seu syndico, uel collectoribus super hoc constitutis & ordinatis soluatur ut supra. Et quælibet persona quæ aliquo modo seu aliquo titulo acquisiuerit aliquid de prædictis immobilibus tantum, illud debeat facere poni, & requirere quòd ponatur cum effectu super ratione sui registri: ita quòd exinde ipse pro eo quod acquisiuerit, soluat fodrum & taleam, & alias impositiones, debitum seu debitas pro illa possessione. Et nihilominus uendens uel alienans, ad taleam, impositiones, & fodrum, debitum, & debitas pro illa re, soluere omnimodo teneatur, si acquirens aliquo casu se defendere posset.

De non alienando possessiones nisi soluentibus taleas in ciuitate MontisRegalis. Caput. LXXI.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona quæ soluat fodrum & taleam in ciuitate MontisRegalis non possit uendere uel alienare aliquo modo aliquam possessionem quam habeat in ciuitate MontisRegalis alicui personæ non soluenti fodrum uel taleam in dicta ciuitate, & qui contra fecerit, soluat ban-

num

num librarum decem Asten. Et nihilominus fodrum & taleam pro dicta possessione uendita, ille qui uenderet, soluere teneatur in dicta ciuitate. Et hoc capitulum non habeat locum inquantum esset contra libertatem ecclesiæ dictæ ciuitatis.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona de dicta ciuitate MontisRegalis & posse, non audeat uel præsumat uendere aliquam suam possessionem alicui religioso aliqua iura cedere contra aliquam personam de dicta ciuitate uel posse, sub pœna librarum decem Asten. pro quolibet & qualibet uice. Et quòd dicta possessio sic alienata perueniat ad commune ipso iure & sit ipsius communis. Et de prædictis possit fieri inquisitio per curiam & dicta cessio non valeat nec teneat.

Quòd non uendantur possessiones forensibus sub pœna.
Caput. LXXII.

ITEM statuerunt, ut calumniis obuietur & fraudibus dietim occurrentibus, & indemnitati Reipublicæ præsentis uniuersitatis subueniatur, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis existat, ciuis seu de posse, & mandamento dictæ ciuitatis, aut extranea possit uendere, alienare, permutare, nec quouismodo distrahere, aut insolutum tradere aliquam possessionem super finibus & posse præsentis ciuitatis, alicui personæ nisi sit ciuis ciuitatis prædictæ, ibique habeat registrum & habitet ad focũ & catenã, & hoc sub pœna librarum 25. pro qualibet iornata & amissionis prætii talis possessionis si uendita foret, & si foret permutata, uel aliter alienata, cadat talis alienator, & ille in quem alienatio facta foret a iure suo, quarum pœnarũ & amissionis, sit pars dimidia curiæ præsentis ciuitatis, quarta pars præsentis communitatis, & alia quarta accusatoris. Et quælibet persona bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & eius iuramento credatur: & ad instantiam syndici qui pro tempore fuerit, possit inquisitio fieri per curiam contra tales delinquentes & alienantes, & præsentis statuti continentia per proclamationes fiat, & deducatur ad notitiam.

Quòd nemo habeat officium a communi, nisi soluat fodrum & taleam in dicta ciuitate. *Caput.* LXXIII.

ITEM statutum est, quòd nemo de ciuitate MontisRegalis uel eius districtu, possit uel debeat habere aliquod officium pro communi dictæ ciuitatis, nisi soluat fodrum & taleam in ciuitate prædicta. Et teneatur D. Vicarius præsens capitulum

facere attendi, nec permittat aliquod officium tali personæ non soluenti operari uel exercere, sub pœna librarum decem Asten. diminuendarum de salario ipsius domini Vicarii.

Quòd aliquis non possit habere militiam, nisi soluat fodrum & taleam in dicta ciuitate. *Caput.* LXXIIII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona aliquo modo possit habere aliquam militiam a communi, nisi soluerit fodrum & taleam pro communi ciuitatis MontisRegalis, & steterit continuè in dicta ciuitate ad focum & catenam & quilibet habens militiam a communi, non possit uel debeat præstare aliquem equum uel roncinum militiæ alicui personæ, nisi de licentia syndici communis, sub pœna solidorum decem pro quolibet & qualibet vice.

Quòd fodrum vel mutuum non soluatur nisi illis quibus esset impositum recipi. *Caput.* LXXV.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius non permittat dari uel solui fodrum uel mutuum alicui personæ nisi illis quibus esset impositum uel ordinatum.

Quòd pecunia taleæ non soluatur nisi syndico communi, seu illis quibus fuerit ordinatum per consilium. *Caput.* LXXVI.

ITEM statutum est, quòd aliquis Clauarius, collector talearum, fodrorum, mutui, raspi, uel alterius pecuniæ que deberètur communi aliqua ratione uel causa non possit uel debeat, facere aliquam solutionem, nec soluere aliquid de pecunia communis alicui, nisi syndico tantum communis, seu illis quibus fuerit ordinatum per consilium: Et si fecerit nullo modo valeat uel teneat, nec ponatur in eius ratione, sed teneatur dictus collector ad dictam pecuniam restituendam dicto communi & syndico sine aliqua exceptione pœnitus, & incontinenti: exceptis compensationibus talearum, quæ fieri possint per collectores prout consuetum est illis qui haberent in communi uel aliis pro eis secundum ordinationem per consilium fiendam.

Quòd syndicus teneatur exigere omnia credita communitatis & quod ab eiusdem communitatis creditoribus conueniri possit. *Caput.* LXXVII.

ITEM die 12. Februarii 1550. statutum & ordinatum est, quòd syndicus MontisReg. teneatur exigere omnia credita communitatis, ad se pertinentia, integrè pro tempore

sui

sui officii & syndicatus etiã finito suo officio, si quid restauerit ad exigendum: Et teneatur soluere creditoribus communitatis & reportare debitas quitationes, & possit conueniri etiam post finitum suum syndicatus officium, a quibuscunque creditoribus communitatis. Et teneantur creditores cõmunitatis exigere respectiuè eorũ credita a tali syndico etiam finito tempore sui officii syndicatus: & ipse syndicus se facere debitorem communitatis finito tempore sui officii omnium & singulorum eorum, qui cõperientur de tempore sui syndicatus dare debere communitati tam ob causam gabellarum, censuum, reddituum, & prouentuum, quàm etiam extraordinariorum.

Quòd collectores talearum teneantur excutere totam taleam cum effectu. Caput. LXXVIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona quæ electa fuerit ad colligendũ aliquam taleam seu taleas impositas uel imponendas per præsentem communitatem, teneatur & debeat pœnitus & omnino dictam taleam seu ipsas taleas excutere ab omnibus personis debentibus ipsam taleam seu ipsas taleas soluere tam terrigenis quàm extraneis integraliter & cum effectu: & si contigerit quòd dictus talis collector dictarum talearum non inueniret seu inuenire posset personaliter tales personas debentes soluere taleam seu taleas, nec pignora mobilia ipsarum personarum, tunc & eo casu possit & valeat accipere & æstimari facere per manus æstimatorum dictæ ciuitatis tantum de possessionibus & aliis rebus immobilibus ipsarum personarum debentium soluere aliquam taleam, & specialiter de his quæ potius accipere & habere uoluerit, scilicet tres denariatas pro duobus denariis, eo saluo quòd talis debens soluere dictã taleam seu taleas, possit & ualeat ipsam rem immobilem recuperare infra mensem, soluendo tamen taleam & expensas factas occasione præmissa, & elapso dicto mense, dictus talis collector possit & ualeat constringere consortem seu consortes ad emendam dictam rem immobilem æstimatam: & teneatur consors seu consortes soluere dicto collectori taleam pro qua dicta res fuerit æstimata, & expensas factas per collectorem occasionibus præmissis.

ITEM additum est, quòd omnes collectores talearum impositarum & quæ de cætero imponentur, & emptores terragiorum, tam pro tempore præterito quàm futuro, teneantur &

debeant ipsas taleas & terragia exegisse infra duos annos a die impositionis ipsarum talearum & terminorum, in quibus fieri debebunt solutiones terragiorum, & si infra dictum tempus executionem non fecerint, non possint postea aliquam executionem facere, sed communi teneantur & sint obligati per præmissa, ac si executionem fecissent, teneantur etiam facere confessiones de receptis omnibus, a quibus solutiones acceperint, absque aliqua mercede.

De non murando ad murum communis, nisi terminis infrascriptis. *Caput.* LXXIX.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona quæ debeat murare murum communis ciuitatis MontisRegalis in quauis parte non debeat uel possit murare uel murari facere, construere uel construi facere dictum murum pro fortalitio præsentis ciuitatis, de mensibus Nouembris, Decembris, Ianuarii, Februarii, & Martii: de aliis vero mensibus, reliquis temporibus non humidis; sed congruis murare, & murum construere debeant: & qui contra fecerit in murando de dictis mensibus prohibitis temporibus frigidis & incongruis, incurrat pœnam librarum decem, cuius pœnæ medietas applicetur curiæ, & alia medietas præsenti communitati, & ultra hoc nullum præmium, salarium, seu satisfactionem a præsenti communitate habere debeat de dicto muro constructo & facto in dictis mensibus prohibitis; sed amittat seu perdat omnes expensas pro construendo dictum murum factas. Et aliqua persona non audeat, debeat, uel præsumat murare in fortalitiis præsentis communitatis nec in aliqua parte ipsorum fortalitiorum, nisi de expressa licentia D. Vicarii, syndici, & gubernatorum dictæ ciuitatis, ubi fuerit ordinatum per eos, sub pœna prædicta. Et quod aliquis non possit nec debeat murare de sabiono fluminis Ermenæ, sub dicta pœna.

Quòd non fiant casiamenta super communibus. *Caput.* LXXX.

ITEM quia per constructionem tectorum quæ fiunt super communibus, damna singularibus personis inferuntur, & datur occasio casiantibus talia tecta, occupandi communia, statutum est, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat construere, nec construi facere aliquod tectum super communi præsentis ciuitatis, nec in re ad

ipsum

ipsum commune pertinente, nisi cum licentia generalis consilii, & hoc sub pœna librarum quinquaginta, pro quolibet & qualibet uice, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem banni: Et camparii uinculo eorum iuramenti teneantur super hoc animaduertere, & custodiam facere, ac contrafacientes accusare, & habeant partem banni utsupra, & si contingeret aliquem esse accusatum occasione præmissa teneatur talis accusatus diruere tale tectum, & casu quo contumax foret, & pertinax in non diruendo, & distruendo, quod D. Vicarius ad instantiam Syndici teneatur ipsum tectum destruere, & dirui facere infra octo dies post factam querelam, & requisitionem.

Item, quia vt experientia docet per ædificationes quæ fiunt in uiis publicis, & aliis locis communibus, in præsenti ciuitate, & posse damna multa inferuntur præsenti communitati, & singularibus personis, pro ipsis euitandis, & iuribus cōmunis conseruandis, statuerunt & ordinauerunt, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat in ipsis uiis publicis, & aliis locis communibus intus ciuitatem, uillarios & uillas, nisi cum uoluntate & licentia consilii generalis dictæ ciuitatis, & cum uoluntate uicinorum, de quorum interesse tractaretur, aut tractari posset, siue maioris partis ipsorum, ædificare, nec aliquod ædificium facere, sub pœna librarum decem, & quod tale opus dirui, & destrui possit per quascunque personas dictæ ciuitatis, & posse absque pœna & banno.

Quòd quilibet volens facere murum inter se & commune, debeat prius facere atterminare, Caput. LXXXI.

ITEM statutum est, quòd quotienscunque aliqua persona voluerit ædificare uel aliquod ædificium facere, iuxta uiam publicam ubi non sint termini, quòd ipse qui uoluerit ædificare antequam ædificet teneatur sub pœna solidorum sexaginta Asten. & destructionis operis requirere syndicum communis & ipso syndico præsente facere poni terminos inter ipsum ædificantem & commune dictæ ciuitatis.

De communanciis villarum, Rochefortis, & Monasterij Vaschi. Caput. LXXXII.

ITEM statutum est, quòd stantes in Villa noua Rochaforti & Monasterio Vaschi, possint inter eos ordinare de eorum communanciis id quod voluerint, saluo tamen quòd illi de

ciuitate

ciuitate MontisReg. in illis ordinamentis aliquas expensas non faciant, & talia ordinamenta possint remoueri quotiensc unque placuerit consilio dictæ ciuitatis,& ad ipsius consilii uoluntatem sint & durent dicta ordinamenta,& non ultra.

De fratribus Minoribus pro eorum tunicis. *Caput.* LXXXIII.

ITEM statutum est, quòd fratres Minores debeant habere a communi omni anno pro eorum tunicis, libras triginta Asten. si placuerit consilio,& conuerti debeant in tunicis dictorum fratrum& non alibi,& non possint in alio usu conuerti, nisi ad uoluntatem consilii. Item si commune uel consilium uoluerit aliquid dare fratribus Minoribus pro eorum ædificiis reparandis, uel de nouo fiendis, uel alia causa, sit in dispositione & uoluntate dicti consilii dictæ ciuitatis.

Quod fitum Tanzonilis & Boschi Sancti Stephani, conuertantur ad constructiones pontium & viarum. *Caput.* LXXXIIII.

ITEM statutum est, quòd non obstante præsenti capitulo uel alio in contrariũ loquente, quòd tota illa pecunia quæ deberetur uel in futurum debebitur de fito nemoris sancti Stephani & Tanzonilis ab aliqua persona communis ciuitatis MontisRegalis, conuertatur & conuerti debeat ad instructionem & refectiones pontium & uiarum dictæ ciuitatis & eius finium: ita quòd ad aliquem alium usum conuerti non possit, & diuidatur dicta pecunia per Syndicum communis de consilio nouem sapientum, qui pro tempore fuerint inter massarios pontium,& uiarum terceriorum secundum æstimum, & registrum terceriorum. Et hoc teneatur præcise sub pœna periurii attendi facere,& obseruare D. Vicarius, Iudex, & etiam Syndicus communis, qui pro tempore fuerint per Rectores dictæ ciuitatis,

Quòd alienatio facta per commune possit reuocari, & de beneficio restitutionis in integrum, quòd possit Respublica implorare. *Caput.* LXXXV.

ITEM statutum est, quòd si aliqua uenditio, seu alienatio, vel ad certum debitum, seu fitum datio facta fuerit per aliquem Syndicum, uel aliquam aliam personam, uel personas a tribus annis proximè præteritis citra, uel in futurum fiet, possit reuocari per Consiliatores, uel commune ciuitatis MontisRegalis, uel per consilium eius, si inueniretur, quòd commune prædictum esset damnificatum prædictis occasionibus: nisi

dictæ

dictæ uenditiones, & concessiones essent factæ per consilium dictæ ciuitatis. Et de cætero aliquæ uenditiones, uel alienationes, non possint, uel debeant fieri de rebus communis, nisi steterint ad subhastationem, seu ad incantum per quatuor dies festiuos: & fiant per Syndicum in generali consilio dictæ ciuitatis interueniente decreto D. Vicarii: & si aliter fieret, non ualeat ipsa, uenditio, seu alienatio, uel ad fitum datio. Exceptis in prædictis datiis & gabellis, quæ non obstante præsenti capitulo possint uendi in platea ad incantum, & aliis modis, & locis, prout consuetum est, & ordinatū fuerit per cōsilium dictæ ciuitatis: possit insuper Respublica ciuitatis MontisRegalis, & posse, iure minorum uti & beneficium restitutionis in integrum implorare, quotiens casus euenerit, non obstante præsenti capitulo, nec alíquo. Et etiam gaudeat Respublica dictæ ciuitatis hoc priuilegio, & præsenti indulto, uidelicet, quòd res immobiles præsentis ciuitatis minori spacio centum annorum minime præscribantur.

Quòd Vicarij villarum non possint stare in officio, ultra unum annum. Caput. LXXXVI.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona de ciuitate Montis Regalis, uel aliunde, non possit stare in officio, seu regimine in dicta ciuitate, uel aliqua uilla, seu uillario dictæ ciuitatis, ubi ponatur rector, uidelicet in Frebozia, & Rochabaudorum uel aliqua aliarum uillarum ultra annum: Et si ultra steterit, non ualeat eius officium, & tali officiali ultra stanti possit a quolibet impune non pareri. Et cum ibi ponuntur Rectores ponantur per terceria.

De iuramento dando Vicario Rochæbaudorum, quòd obseruet, & obseruari faciat capitula. Caput. LXXXVII.

ITEM statutum est, quòd quilibet Vicarius qui electus fuerit pro Vicario, teneatur, antequam uadat ad officium prædictum, iurare in consilio generali ciuitatis MontisRegalis obseruare suo posse, & bona fide, & obseruari facere per homines dicti loci, omnia capitula & ordinamenta, ac reformationes consilii dictæ ciuitatis facta, & facienda tangentia ad locum, & homines dicti loci Rochæbaudorum: Et quòd non facient ibi iustitiam de aliquo, nec pro aliqua causa ciuili, uel criminali, quæ excedat summam solidorum decem.

Quòd

Quòd commune Montis Regalis non soluat aliquam guardiam castrorum. *Caput.* LXXXVIII.

ITEM statutum est, quòd commune ciuitatis MontisRegalis non debeat soluere aliquam guardiam castrorum, uel aliquid ratione guardiæ pro aliquo castro, nisi commune dictæ ciuitatis illud castrum haberet munitum.

Quòd quilibet possit vendere, permutare, seu alienare. *Caput.* LXXXIX.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona possit emere, vendere, & permutare in tota iurisdictione ciuitatis MontisReg. possessiones, saluo iure in soluendo fictu, seu debito consueto dari pro ipsa possessione, non obstante aliquo iure scripto in legibus & decretis: Et quòd ipsa possessio propter alienationem inde factam, sine consensu cui daretur fictum siue debitum, auferri non possit ab ipso emptore. Et prædicta fieri possint dummodo non uendatur seu ematur, uel quocunque modo alienetur contra formam capitulorum dictæ ciuitatis supra scriptorum & infra scriptorum.

Quòd venditio possessionum prope communia existentium non valeat, nisi sit facta ad mensuram. *Caput.* XC.

ITEM statuerunt & ordinauerunt pro euidenti vtilitate Reipublicæ, quòd si contingat de cetero aliquem contractum emptionis seu acquisitionis de aliqua re existente prope possessionem aliquam communis per aliquem fieri, quòd illa uenditio seu acquisitio, per quamcunque personam cuiuscunque conditionis existat, fieri non possit, & facta non ualeat, nisi facta fuerit ad mensuram, nominando iornatas, siue trabucos, in instrumento talis uenditionis, seu acquisitionis: Et quòd omni anno eligantur personæ ad perquirendum communia, & illa separandum a propriis.

De debitoribus communis detinendis. *Caput.* XCI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis erit debitor communis ciuitatis MontisReg. uel successerit alicui debitori dictæ ciuitatis, possit & debeat per curiam MontisReg. personaliter detineri, & detentus stet quousque debitum integrum soluerit: & in prædictis nullus ordo iuris communis seruetur: nec etiam possit dictus debitor, antequam soluerit debitum, ad honores communis, scilicet syndicatus, gubernatorum, & similium aspirare seu uenire.

De

De illis ad quos peruenerit aliquid de communi. *Caput.* XCII.

ITEM statutum est, quòd quilibet officialis, siue syndicus uel clauarius, uel collectores fodrorum & rerum communis ciuitatis MontisReg. uel alicuius terræ de eius districtu, & generaliter quilibet officialis dictæ ciuitatis, ad quem seu ad quos aliquid de rebus communis peruenisset, quocunque nomine censeatur, teneatur illud restituere, quod ad eum peruenisset, infra octo dies, postquam ratio facta fuerit per rationatores communis, uel alios ad hoc electos, sub pœna dupli eiusdem quantitatis, quam restituere teneretur. Et omnes prædicti officiales teneantur dare idoneas securitates, quòd legaliter facient officium suum, & de restituendis his quæ ad eos peruenissent, sicut in isto capitulo continetur. Et aliter non recipiantur in officio. Et syndicus facere teneatur rationem de tribus mensibus in tres menses, & D. Vicarius teneatur facere obseruari præsens capitulum, & si non fecerit, amittat de suo salario solidos centum Asten. Et si non soluerint infra dictos octo dies, D. Vicarius teneatur & debeat uinculo iuramenti eos personaliter detinere, usque ad integram solutionem & satisfactionem fiendam syndico cõmunis, de his quæ dare debeãt communi, & de bãno, prædicta occasione incurso, ita quòd a prædictis bannis appellare non possint, nec cognitorem petere, non obstante aliquo capitulo.

Quòd qui dare debent communi, non possint appellare.
Caput. XCIII.

ITEM statutum est, quòd omnis qui dare debeat aliquid communi, occasione emptionis, uel officii, uel aliqua alia occasione, non possit appellare a præceptis sibi factis per dominum Iusdicentem, præcipiendo quòd restituat uel soluat communi, id quod ei dare debet uel restituere, & D. Iusdicens possit & debeat præcipere cuilibet qui deberet aliquid dare uel restituere communi, quòd soluat uel restituat infra octo dies, & a dictis præceptis non possit appellari. Et D. Iusdicens possit inde ponere pœnam usque in duplum quantitatis restituendæ, uel ualoris eiusdem rei, & ipsum debeat personaliter detinere vsque ad satisfactionem prædictam, nisi persona, cui fuerit factum præceptum prædictum, uellet dicere se non teneri de prædictis, quo casu D. Iusdicens teneatur ei facere cognosci infra octo dies, per Iudicem maiorem, si fuerit

præſens; & ſi non fuerit præſens per alium iudicem non ſuſpectum: & hoc ad expenſas petentis cognitorem, & pendente cõgnitione D. iuſdicens nihilominus eum detineat, niſi ſatis dederit ſufficienter de ſoluendo id, occaſione cuius procederet contra eum, ſeu detineretur.

De uolentibus conſtruere fontes de nouo. *Caput.* XCIIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet qui uoluerit conſtruere fontes de nouo, D. Vicarius teneatur ſibi dari facere ad expenſas communis muratores neceſſarios, & calcinam neceſſariam.

Quod omnia ſtatuta quæ eſſent contra dominum, ſint caſſa & nulla. *Caput.* XCV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliquod capitulum ex ſupra uel infraſcriptis, eſſet factum in præiudicium uel damnum Illuſtriſsimi & excellentiſsimi D. noſtri domini Ludouici de Sabaudia principis Achaiæ, &c. & domini dictæ ciuitatis & poderii eiuſdem, dictum capitulum ſit caſſum, irritũ & nullius ualoris ſeu momenti, & D. Vicarius, Iudex, uel alius rector ciuitatis prædictæ, non teneatur in aliquo de prædicto capitulo, nec illud pœnitus debeat obſeruare.

Item ſtatutum eſt, quòd omnia & ſingula ſtatuta deſcripta tam in libro pergameni veteri, quàm in libro præſenti, & alia quæcunque ſtatuta facta & fienda in dicta ciuitate MontisReg. & diſtrictu eiuſdem, quæ ſint & eſſent contra honorem ſtatutum & utilitatem prælibati Illuſtriſsimi & excellentiſsimi D. noſtri Ludouici de Sabaudia, Achaiæ principis, ſint ipſo iure nulla, & nullius effectus & efficaciæ. Et quòd ipſe prælibatus Illuſtr. D. noſter dicta omnia ſtatuta, tam facta quàm facienda, quouis modo cõtra honorem & vtilitatem prælibati Illuſtr. D. noſtri principis pro ſuo libito voluntatis, poſsit mutare, corrigere, addere & minuere, prout eidem videbitur, & placuerit faciendum.

Finis primæ Collationis.

SECVNDA COLLATIO
De iure reddendo in ciuilibus causis.

DE OFFICIO DOMINORVM
Vicarij, & Iudicis curiæ ciuitatis Montis Regalis. Caput. I.

STATVTVM est efficaciter & prouisum, quòd D. Vicarius, & D. Iudex, qui pro tempore electi, & recepti fuerint in regimine ciuitatis Montis Regalis, rectè & ritè secundum formam traditam per capitulum primum primæ collationis tractans de electione D. Vicarii, & secundum formam diu usitatam in electione D. Iudicis dictæ ciuitatis: Habeant post adeptum per eos, uel eorum officium, & habere debeant in dicta ciuitate, durante eorum officio ordinariam iurisdictionem, uidelicet merum & mixtum imperium gladii potestatem, & mulctandi licentiam, & omnimodam iurisdictionem: iuxta tamen obseruantiam iuris & statutorum, & ordinamentorum dictæ ciuitatis, & dispositionem eorum factorum, & fiendorum, cuius officii uirtute teneatur, & debeant dicti domini Vicarius, & Iudex, qui pro tempore fuerint, morari simul, & semel, & sedere siue alter eorum ad banchum iuris pro iure reddendo omni die iuridica bis, scilicet in mane usq; ad tertiam, & à nona usque ad uesperas horis congruis & consuetis, exceptis diebus quadragesimæ, quibus solum semel in die sedere teneantur, scilicet à mediis tertiis usque ad meridiem, nisi iusto remanserint impedimento. D. Iudex tamen toto anno utsupra sedere teneatur, exceptis diebus feriatis, de quibus fiet infra mentio specialis. Teneantur etiam prædicti D. Vicarius, & Iudex, & maxime dominus Iudex definire, & determinare causas, coram ipsis, uel eorum altero motas & mouendas, tam ciuiles, quàm criminales infra terminos suis locis per statuta limitatos: Et teneatur dictus D. Iudex dictare instrumenta, & scripturas cōmunis, si inde fuerit requisitus, sine aliquo salario. Et caueant dicti domini Vicarius, & Iudex, & quilibet eorum, ac prudenter attendant, ne ultra eorum ordinata salaria a quauis persona exigant, uel acceptent ex aliqua illicita inhonesta, uel turpi causa aliquam pecuniæ quantitatem: uel

aliquam aliam rem loco pecuniæ, nec etiam aliqua munera, uel encænia, etiam ex decreti interpositione, nisi esculenta & poculenta, & ex illis in tantum, quantum ius commune permittit, & non ultra. Item nec pro aliqua quæstione ciuili, uel criminali, quæ uertatur coram curia ciuitatis, audeant, uel præsumant accipere aliquod seruitium quouis modo: Nec etiam possint, uel debeant alicui partium litigantium consulere de & in aliqua quæstione, quæ uertatur coram curia prædicta sub pœna periurii, & librarum decem Asten. pro quolibet dictorum officialium contrafaciente in aliquo prædictorum, & qualibet vice exigenda & retinenda per Clauarios dictæ ciuitatis de salario ex dictis dominis, qui contrafacerent: quam pœnam ipso iure etiam incurrat pro qualibet uice quælibet persona, quæ daret dicto D. Vicario, uel domino Iudici aliquod seruitium quouis modo, occasione alicuius quæstionis, ut supra: uel aliquam promissionem faceret alicui alteri personæ nomine dicti D. Vicarii, uel Iudicis. Et idem intelligatur de quolibet alio officiali. Et dominus Iudex curiæ dictæ ciuitatis non possit, nec debeat in se recipere aliquod compromissum: & si secus fieret, non ualeat, nec teneat tale compromissum ipso iure.

Item additũ est ibi, ubi dicitur, itẽ nec pro aliqua quæstione ciuili, uel criminali quæ uertatur, coram curia ciuitatis audeat uel præsumat accipere aliquod seruitiũ, quouis modo &c. quod nec etiam pro aliqua quæstione sibi delegata, si in ipsa curia fuerit ordinariè inchoata, nec etiam pro aliquo decreto interponendo, quod uinculo iuramenti, nihilominus interponere teneatur: pro testibus uero examinandis dominus Iudex capere possit pro suo labore, pro quolibet teste solidos duos, & non ultra.

Item additum est, quòd dictus dominus Iudex non habeat dictos duos solidos, nisi intersit examinationi, in qua interesse debeat uinculo sui iuramenti præstiti, & si per ipsum D. Iudicem commissio examinationis fieret, nõ habeat dictus D. Iudex nec ab eo deputatus dictos solidos duos, nec aliud pretium capere possit sub pœna periurii, & restitutionis eorum, quæ habuisset a persona, quæ examinare fecisset.

De Nuncijs, & Decanis, & eorum officio & salario.

Caput II.

QVIA iudicia incipiunt ab ea parte, quæ est de in ius uocando

cando,& in ius uocationes fiunt per decanos. Ideo statutum est quòd omnes & singuli decani, siue nuncii curiæ, & communis ciuitatis MontisReg. qui electi fuerint prout placuerit sapientibus consilii dictæ ciuitatis,& qui pro tempore fuerint in dicta curia, teneãtur & debeant singulis annis in principio regiminis cuiuslibet Vicarii iurare ad sancta Dei euangelia, bene & legaliter,& sollicite exercere eorum officium, & commissiones eis fiendas, & res sibi commissas, fideliter nunciare, cridas & proclamationes legaliter publicare, relationes tam cridarũ, quàm aliarum commissionum, & citationum eis factarum ueridicè referre, & hoc quàm primum hoc facere potuerint. Ita quòd per eorum negligentiam, culpam, uel dolum, curia uel singula res personæ nullum dãnum incurrant, scituris dictis decanis,& quolibet eorum, quòd si prædicta non fecerint, & proinde curia, uel aliqua singularis persona aliquod damnum senserit, ipsi decani, uel alter eorum contrafacientes punientur pœna periurii ordinata per formam statuti de periurio loquentis: & ultra ad restitutionem dãnorum, & expensarum parti læsæ fiendam per decanos prædictos. Et insuper teneatur quilibet decanus uinculo iuramenti,& sub pœna quinque solidorum, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, citare quamlibet personam,& quamlibet citationem,& quamlibet pignorationem, & quodlibet præceptum,& quodlibet sasimentũ, quæ sibi a persona qualibet committatur, facere legaliter, non obstante aliqua exceptione, seu excusatione. Item & alia facere teneantur, quæ suo incumbunt officio sub pœna prædicta: quæ pœnæ auferantur per iusdicentem quotiens commissæ fuerint, sine aliqua condemnatione, uel eius solemnitate, sed sola ueritate cognita,& inspecta.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd nulla persona possit exercere officium decanariæ, nec esse decanus, nisi fuerit electus & deputatus per Dominos Vicarium, Syndicum & gubernatores & iurauerit eius officium bene, & fideliter exercere, ac iustas relationes facere qui si aliquando inueniatur falsam relationem fecisse, quæ probari possit saltem per unum testem incurrat pœnã librarum uigintiquinque pro quolibet, & qualibet uice applicanda pro duabus partibus Fisco, & pro alia tertia accusatori, seu denuntiatori:& si pœnam soluere non potuerit, fustigetur a campanili sancti Andreæ, usque ad cam-

panile sancti Donati, eundo & redeundo, nec possint ulterius admitti ad præfatum officium, & præsens capitulum domini Vicarius, & Iudex obseruari faciant uirtute eorum iuramenti.

ITEM additum est, quòd dicti decani teneantur & debeant, ac cogi possint citare per curiam quālibet personam, quæ stet, seu reperietur tempore citationis in burgo superiori dictæ ciuitatis, pro denariis tribus pro qualibet citatione, & quolibet citato. Et si aliquis uoluerit citari facere aliquam personam in aliis burgis dictæ ciuitatis teneantur eam personam citare pro denariis sex, pro quolibet, hoc addito, quod si dicti decani reperiantur in dictis burgis, teneantur quamlibet personam existentem in burgo, in quo tempore requisitionis reperirentur, citare pro denariis tribus, & plus non possint capere sub pœna solidorum decem, pro quolibet & qualibet uice. Sequestra uero, & sasimenta facere teneantur ubique pro solido uno cum relatione eorum, in uillis uero teneantur citare, & sasimenta facere, ut infra, uidelicet in loco Vici pro quolibet citando denarios sex, & solidos duos pro labore sui itineris, & pro quolibet præcepto, & sequestro solidum unū cum relatione, & solidos duos pro labore sui itineris hoc intellecto, quòd si ad instātiam alicuius citarent multas personas pro labore sui itineris & citationis, non habeant nisi solidum unum cum dimidio, pro quolibet. In locis Bastitæ, Rochæbaudorum, Morocii, S. Blasii, Molinarum, Pissi, Margheritæ, Villenouæ, Rochæfortis, & Monasterii Vaschi, habeant pro quolibet citādo denarios sex, & pro quolibet præcepto & sasimento, cum relatione solidū unum, & habeant semper solidos tres pro labore suo, & ultra petere non possint sub pœna solidorum decem pro quolibet, & qualibet uice. In locis uero Freboziæ, Montisalti, & Reburenti habeant pro qualibet persona citanda denarios sex, pro quolibet præcepto, & sasimento solidum unum, & semper habeant pro mercede sui itineris solidos quatuor, & ulterius petere non possint sub pœna solidorū decem, intellecto in qualibet parte, ubi supra fit mentio de labore itineris, quòd non possint accipere, nisi unum salarium pro itinere, etiam si irent pro pluribus citandis.

De Minoribus, & his qui non habent legitimam personam standi in iudicio. *Caput.* III.

Cum

CVM prius de personis, quàm iuris ratio sit habenda, maxime minorum, uel eorum qui imbecillitate ætatis uel mentis, defensioni ipsarum suarum rerum nequeunt superesse. Ideo statutum est, quòd si deinceps contingat ullam litem, quæstionem, uel causam moueri alicui pupillo, uel adulto minori tamen uiginti quinque annis, uel furioso, uel mente capto, aut simili personæ, tutore uel curatore carenti, ne talis persona remaneat ne ius suum perdat propter carentiam legittimi defensoris, teneatur & debeat quæuis persona agere uolens cõtra aliquem ex prædictis, prius moneri, & citari facere talem minorem, uel egentem defensionis auxilio, coram magistratu, & etiam aliquos ex eius proximioribus agnatis, uel attinentibus, si qui erunt præsentes. Et si non adessent agnati, aliquos ex proximioribus amicis, & uicinis eiusdem, & unà cum ipsis, uel saltem eis præsentibus, aut legitime citatis instare, & requirere coram Iudice, uel Magistratu ciuitatis MontisReg. quòd illi, cõtra quem ipsam litem mouere uoluerint, detur & decernatur per dictũ Iudicem tutor, uel curator idoneus secundum cõditionem personæ, cum solemnitatibus oportunis generalis uel saltem specialis ad litem prædictam, cum quo possit litem agitare, & qui iura illius, cui dabitur, defendere debeat, qui do minus Iudex teneatur infra octo dies continuos a die requisitionis sibi Iudici factæ numerandos, eidem prouidere de idoneo tutore, uel curatore utsupra, & ad dictam tutelam, seu curam, uel defensionem subeundam teneatur compellere illos agnatos, cognatos, uel affines, prout ipsi D. Iudici uidebitur expedire cum cautionibus, obligationibus, sacramentis, decreto, & iuris solemnitatibus oportunis, sub pœna ipsi Iudici, si præmissa nõ fecerit, & illi uel illis, quibus Iudex iniunxerit, ut tutelam uel curam, aut defensionem assumant, si nõ acceptauerint, pro quolibet, & qualibet uice librarum decem Asten. cameræ domini & communis applicand. & hoc nisi iustam facerent excusationem, de qua stetur summariæ determinationi domini Iusdicentis. Si uero tales personæ, tutores uel curatores, haberent testamentarios, uel eis datos, tunc illi agant uel conueniantur, secundum formam iuris cõmunis, & statutorum ciuitatis prædictæ. Si autem fuerit filius familias, quem uel quam aliquis uo lucrit conuenire in iudicio, teneatur dictus dominus Iudex ex debito sui officii, & sub pœna prædicta cogere iuris remediis

oportunis patrem talis personæ conuentæ, uel co̅ueniendæ ad consentiendum tali filio uel filiæ suæ, ut posit illi iudicio interesse infra terminum trium dierum, postquam dictus dominus Iudex de hoc fuerit requisitus, & ob hoc posit dictus dominus Iudex, si fuerit oportunum, talem patrem personaliter arrestare, donec co̅sensum præstiterit ut supra, & ultra eum punire & mulctare, si consentire non uoluerit, usque in libras decem Asten. ut supra. Hoc tamen sic intellecto, quòd per talem consensum præstitum, uel præstandum per ipsum patrem nullum ipsi patri præiudicium generetur, ut de suo in plus teneàtur pro dicto eius filio, quàm teneretur ex forma iuris communis, uel alicuius statuti dictæ ciuitatis, si quod esset, quod disponeret, ut pater pro filio in aliquibus casibus teneretur.

De pronunciatione bonorum excussorum. *Capur.* IIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate MontisRegalis uel districtu eius decesserit, & non appareat hæres talis personæ defunctæ, uel si aliqua persona de dicta ciuitate uel districtu fuerit absens, & non appareat persona quæ bona eius absentis teneat uel defendat, D. Vicarius, uel Iudex, si inde fuerint requisiti, faciant cridari publicè in platea dictæ ciuitatis, & ante domum solitæ habitationis personæ defunctæ uel absentis bis, dando terminum octo dierum pro prima crida, & trium dierum pro secunda, quòd quicunque uoluerit esse hæres talis personæ defunctæ, uel uoluerit defendere personam & bona talis absentis, referendo singula singulis, compareat & comparere debeat, infra prædictos terminos coram D. Iusdicente, ad instantiam hoc petentis: & si non apparuerit infra prædictos terminos persona quæ velit esse hæres talis personæ defunctæ, uel quæ velit defendere personam & bona talis absentis, quòd intelligantur talium absentis & defuncti bona, sufficienter excussa: Et Iusdicens in dicta ciuitate tunc pronunciare teneatur bona talis personæ defunctæ, uel absentis fore sufficienter excussa: Et creditores siue petitores, qui fecerint fieri dictas cridas, posint habere, & ex tunc habeant regressum contra bonorum uel pignorum possessores cum effectu, eo saluo, quòd persona quæ fecerit fieri dictas cridas, si sibi ostensæ fuerint aliquæ res expeditæ talis personæ defunctæ, uel absentis per illum qui posideret uel conueniretur, teneatur eas primo facere æstimari sibi, & insolutum dari, & tradi per æstimatores

matores communis, antequam agat cōtra bonorum, vel pignorum possessores: quam ostensionem, seu demonstrationem teneatur facere possessor, postquam fuerit coram Iudice requisitus infra tres dies: Et si aliquis de dicta ciuitate, uel eius iurisdictione fuerit præsens, & conuentus pro aliquo debito, iurauerit se nihil habere, vel se non habere, unde posśit satisfacere in totum, licet haberet in parte, postquã condemnatus fuerit, Iudex tunc debeat pronuntiare bona talis sic iurantis fore legitime excussa, videlicet in totū, si iurauerit se nihil habere, vel in ea parte, pro qua iurauerit, soluere se non posse: Et creditor habeat regressum contra bonorum, vel pignorū possessores, nisi ostenderentur creditori aliqua bona talis iurãtis fore expedita: quæ ostensio, siue demonstratio dicto casu fieri debeat per tales bonorum, vel pignorum possessores infra terminum dictorum trium dierum, postquam requisitus fuerit a creditore. Et si aliquis comparuerit coram domino Iusdicente, vel opposuerit dictis cridis, & dixerit se uelle defendere bona talis cridati, tunc dominus Iusdicens teneatur facere coram ipso præsentari iura seu probationes, & instrumenta talis personæ præsentatæ; & facere sibi asśignari de bonis dicti cridati, si fuerint, usque in quantitatem debitam dictæ personæ præsentatæ infra terminū congruum: Et hoc si talis persona præsentata fuerit prior in tempore, & potior in iure quàm persona quæ fecerit fieri dictam cridam, & aliter non. Nihilominus teneatur Iusdicens pronuntiare bona dicti cridati fore excussa vt supra, & teneat excusśio & pronunciatio facta ad instantiam petitoris: saluo quàm in quantitate quam habere deberet dicta persona, quæ præsentasset: & hoc si haberet potiora iura ut supra.

De curatoribus bonorum vacantium & indefensorum.

Caput V.

ITEM statutum est, & vtiliter prouisum & ordinatū, quòd quolibet anno eligantur per syndicum & gubernatores ciuitatis MontisRegalis, tres boni viri, videlicet vnus pro quolibet tercerio, qui vocentur & sint ipso iure curatores bonorum vacantium & bonorum absentium & indefensorum, qui curatores & quilibet eorum, iurare teneantur in consilio generali, postquam fuerint electi, & antequam officium exerceant, defendere bene & legaliter bona cuiuscunque personæ absentis & bona quæcunque vacantia, & bona cuiuscunque personæ

personæ indefensæ, quæ quouis tempore defendenda occurrerint in tercerio illius curatoris, & hoc expensis bonorum. Et teneatur talis curator, cui incumbet defendendi necessitas, facere inuentarium bonorum defendendorum infra spacium decem dierum postquam fuerit requisitus, vel monitus a Iudice. Et possit talis curator causari & experiri tā agendo, quàm defendendo, sicut posset dominus bonorum, si personaliter præsens esset, & duret eius officium & cura in causa incepta quousque ad finem perduxerit. Et procedatur hoc ordine, videlicet quòd dominus Iudex ad instantiam petentis, citari faciat curatorem bonorum vacantium illius tercerii, cuius fuit persona conuenta, contra quem curatorem Iudex ita procedat, sicut si pars principalis personaliter interesset: Et ita valeant omnia gesta cum eo. Et dictus curator quæcunque facere possit & facere teneatur semper expensis bonorum, quæ facere posset principalis persona, si personaliter se defenderet, etiā iuramento de calumnia & positionibus respondendo, & omnia alia denique faciendo, quæ principalis faceret, vt supra: ita quòd causa finiatur infra tempora, & terminos supra & infra limitatos & limitata. Et si qua parte Iudicii principalis venerit & causæ adesse voluerit, tunc prosequatur post gesta facta per curatorem illis semper firmis manentibus, & efficaciter ualentibus: nec propter hoc mutetur aut differatur forma uel ordo præsentis statuti, nec conditio actoris deterior fiat, etiam si principalem sæpe adesse causæ & abesse contingeret: sed semper vbi defierit principalis, faciat Iudex curatorem adesse vsque ad finem litis & latam diffinitiuam sententiam inclusiue, & si quidem lata fuerit sententia contra eum, uel curatorem ut supra, tunc habeat & teneat victor pleno iure rem petitam, si immobilis petita fuerit, uel satisfactionem plenariam quantitatis, uel rei mobilis petitæ: & hoc nisi sententia fuisset per appellationem uel nullitatem suspensa, quo casu expectetur appellationis, uel nullitatis euentus, & secundum illius exitum res sequatur, si uerò absolutoria lata fuerit pro reo uel curatore, ut supra, nec fuerit per appellationem uel nullitatem suspensa, tunc pars rei liberationem consequatur, vt supra.

ITEM additum est, quòd curator bonorum vacantium, finita & decisa lite, habeat super bonis debitoris, vt infra, & primo si quæstio fuerit a decem libris, vsque in vigintiquinque li-

que libras, habeat & habere debeat solidos viginti, & a dictis libris vigintiquinque usque in centum, habeat libras duas, & a libris centum supra quantacunque sit quantitas, habeat videlicet pro eius salario & mercede, tantum libras quatuor.

De aduocatis & procuratoribus, & de eorum officio & iuramento. *Caput.* VI.

CERTVM est, quòd causarum merita honestorum & prudentum aduocatorum interuentu breuiori uia, & tutiori modo ad iustitiæ veritatis exitum deducuntur: Ideò vt eorum officium de cætero sine suspicione cuiuscunque procedat, proinde statutum est, quòd omnes & singuli Aduocati ciues, & natiui de ciuitate MontisReg. præsentes & futuri, uel aliunde, tamen ibidem nunc vel in posterum habitantes, singulis annis in principio regiminis cuiuslibet Vicarii, quando de hoc fuerint requisiti, teneantur, & debeant in pleno & generali consilio, hoc generale sacramentum præstare in manibus D. Vicarii, vel Iudicis, videlicet quòd cuiuslibet causæ, uel litis, super qua de patrocinio uel aduocatione fuerint requisiti, à persona de ciuitate MontisRegalis uel districtus, qualitatem & conditionem examinabunt, & cauebunt eorum posse, ne iniustas causas ac desperatas assumant: & si susceperint ab initio ignoranter, semper quando de vicio, vel iniustitia causæ patuerit eis, cessabunt. Et quòd in aduocando modestiam, ueritatem & legalitatem obseruabunt: modestiam, non pertinaciter conuiciando uel maledicendo proponent, nisi quatenus litium exposcit utilitas: ueritatem ut non mentiantur, nec falsa iura allegent, siue falsas rationes aut allegationes scientes inducant: & quòd cauillationibus non utentur, & quòd dilationes nisi necessarias non petent: legalitatemq; vt de contingentibus nihil omittant, & salarium moderatum petant & conueniens pro magnitudine causæ & laboris, & pro sui facundia & fori consuetudine & ciuitatis prædictæ: Et quòd inter se non faciant aliquas conuentiones, de communicando inter se aliqua lucra uel salaria, nec aliquã præuaricationem, per quam habeantur a ciuibus cariores. Nec possit aliquis Aduocatus aduocationis officium exercere, nisi prius prædictum præstiterit sacramentum, sub pœna decem librarum proquolibet & qualibet uice. Teneantur insuper omnes & singuli Aduocati, & etiam omnes & singuli procuratores in dicta ciuitate quouis

tempore habitantes, ut supra, præter prædictum generale sacramentum, in singulis causis & litibus specialiter de calumnia iurare in animam, & super animam ipsius Aduocati, uel procuratoris, semper & quandocunque principales personæ iurabunt, uel postea in quacunque parte iudicii, ut Aduocati, uel Procuratores causæ aderint, uel fuerint requisiti, itaquòd per generale sacramentum prædictum speciale de calumnia non omittant: & si omissum fuerit, ita uicietur processus, ac si omitteretur iuramentum calumniæ principalium personarum, & ultra quilibet Aduocatus, & quilibet Procurator omittens de calumnia iurare, in quacunque parte iudicii ueniat, siue in principio causæ, siue in medio, siue in fine: & fortè per eius omissionem processus redderetur nullus, teneatur parti de hoc læsæ ad expensas illius iudicii, siue instantiæ, iuxta taxationem D. Iudicis perinde faciendam. Forma autem iuramenti specialis de calumnia per quemlibet Aduocatum & quemlibet procuratorem præstandi sit talis: Istud iuretur, quòd lis uobis Aduocato uel tibi procuratori iusta uidetur, & si quid in aliqua parte iudicii ad causam pertinens a te uel a principali quæretur, ueritas per te uel tuum Clientulum, uel principalem de tuo consilio respondebitur, & non negabitur uel inficietur, vt lis tardetur, dilatio nulla petetur per te, nec per principalem de consilio tuo, imò finietur infra tempus instantiæ, capitulis de hoc loquentibus limitatum per sententiam Iudicis, uel de partium concordia, quantum sit ex facto uel opere ipsius Aduocati uel Procuratoris, Nil promittetur per te, uel per principalem de tuo consilio Iudici uel alteri personæ, ut falsa sententia detur.

De non aduocando contra commune ciuitatis Montis Regalis. Caput VII.

ITEM statutum est, quòd aliquis Iudex, seu Aduocatus ciuitatis MontisRegalis, siue aliqua alia persona cuiuscunque conditionis existat de ciuitate MontisReg. uel ibi habitans non debeat aduocare, siue consilium dare alicui personæ contra commune dictæ ciuitatis, palam uel occultè, quouis modo vel ingenio: & si quis cõtrafecerit in præmissis, incurrat pœnam florenorum quinquaginta auri: cuius pœnæ duæ partes sint curiæ, alia uerò tertia sit accusatoris, quæ pœna totiens committatur, quotiens contrafactum foret: & ultra dictam pœnam sit priuatus

uatus talis Aduocatus ab officio suo, sic & taliter, quòd eius aduocationes & patrocinia non admittantur palàm, uel priuatim spacio unius anni, postquam per Syndicum communis foret denunciatum dicto tali Aduocato, seu aduocatis, quòd contrà commune aduocare non debeat, seu debeant. Et D. Vicarius, seu Iudex non possit, nec ualeat talibus aduocatis licentiam dare, seu concedere aliqua causa, modo, uel ingenio sub pœna sacramenti sui officii, quæ pœna suprascripta exigi possit & debeat per curiam incontinenti & illico, sine ulla condemnatione. Et si aliqua persona, qualiscunque conditionis existat, habere uoluerit, siue præsumpserit litem, siue quæstionem cum cõmuni, ex quo habere uoluerit Aduocatum pro tali sua quæstione sustinenda ipsum Aduocatum petere debeat in consilio generali, & eo casu tunc per consiliũ sibi prouideri debeat de Aduocato, prout, sicut, & de illo, de quo placuerit consilio prouidere.

De his qui contraueniunt capitulis, qui non possint procurare.
Caput VIII.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd nulla persona quæ contrafecerit, directè vel indirectè conuentionibus, pactis, franchisiis, & capitulis præsentis ciuitatis audeat, uel præsumat procurare in curia præsentis ciuitatis, nec patrocinium procurationis præstare pro aliqua persona dictæ ciuitatis, sub pœna librarum decem, & ulterius acta, facta per eum non ualeant, sed sint nulla, & quælibet persona bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem banni.

Quòd in litigando, aduocando, vel procurando non possit contrauenire pactis, & capitulis præsentis ciuitatis. *Caput* IX.

ITEM, quia multoties machinari cõtingit per multas personas, quæ non uerentur contrauenire pactis, conuentionibus, capitulis, & ordinamentis, ac iurisdictioni præsentis ciuitatis, & ut taliũ audacia, & temeritas, saltem metu cõpescant, & pro euidenti utilitate iurium, & iurisdictionis dictæ ciuitatis, statuerunt, & capitulauerunt, quòd nulla persona cuiuscunq; gradus, status, & præeminentiæ existat de præsenti ciuitate, & posse, seu quæ ibidem habitet, & de cætero habitabit, audeat, uel præsumat facere, vel attentare directè uel per indirectum, quouis modo, ingenio, uel colore aliquid, quòd habeat præiudicare, uel per iudicium inferre pactis, conuentionibus, capitu-

lis, ordinamentis, franchisiis, & bonis iuribus & iurisdictioni præsentis ciuitatis, maximè in aduocando, procurando, litigando, seu aliter qūocunque contraueniendo, & qui contra fecerit, uel reperiatur contra fecisse, uel uelle contra uenire, directè vel indirectè, non posit nec ualeat uti, frui, nec gaudere honoribus, nec pertinentiis dictæ cōmunitatis, nec communibus eiusdem, imò sit ipso iure & ipso facto extra protectionem communis & etiam eius bona, & vlterius incurrant pœnam centum librarū, applicandarū pro duabus partibus Illustr. D. D. nostro Sabaudiæ &c. Duci, & pro alia tertia parte accusatori uel denunciatori, & quòd quælibet persona bonæ famæ possit contra facientes denuntiare & accusare, & eorum iuramento credatur.

De non acquirendis iuribus per Aduocatos vel Procuratores.

Caput. X.

ITEM statutum est, quòd aliquis publicus Aduocatus uel Procurator, uel qui publicè exerceat officium aduocationis uel procurationis in ciuitate MontisRegalis, uel posse, non posit uel debeat acquirere sub aliquo ingenio contra aliquam personam de ciuitate MontisReg. uel districtu, aliqua iura per quæ, uel quorum acquisitionem conditio alicuius personæ de dicta ciuitate uel districtu, fiat deterior uel durior aliquo respectu, & maximè si in talibus iuribus acquisitis alia tertia persona, præter eam, a qua essent per Aduocatum acquisita, prætenderet ius habere, quo casu teneatur quilibet Aduocatus uel Procurator, qui ea acquisiuisset, vt supra, cum primum lis uel quæstio de ipsis iuribus in iudicio moueretur, illa iura dimittere, & in totum relinquere illi personæ a qua acquisiuisset, donec cognitum esset de iure inter ipsas personas litigantes. Nec tunc dum litigaretur de talibus iuribus posint sub aliquo ingenio ille Aduocatus uel procurator, qui ea acquisiuissent, oretenus uel in scriptis, per se uel alium palā uel secretè aduocare, uel procurare, uel allegare pro illa persona, a qua acquisiuissent, & hoc sub pœna periurii, ipsi Aduocato uel Procuratori contra præmissa facienti: Et ultra non ualeat talis acquisitio ipso iure. Et prædicta locum habeant, nisi talis Aduocatus uel Procurator acquireret uel acquisiuisset talia iura ad sui uel suarum rerum uel iurium defensionem, uel nisi pro aliquo esset uel fuisset obligatus, pro quo solueret uel soluisset,

& con-

& contra quem iura acquireret, dummodo fraus uel dolus in præmissis casibus minimè committatur, de quo possit inquiri per D. Iudicem, quotiens casus acciderit & opus foret deferendo sacramentum, prout ipsi Iudici videretur.

Quòd Aduocati non debeant venire sub porticu curiæ, quando Iusdicens sedet pro tribunali. *Caput.* XI.

ITEM statutum est, quòd nullus iurisperitus Aduocatus occasione aduocandi, seu patrocinium præstandi, possit seu ualeat aliquo modo venire uel intrare sub porticu domus cōmunis, vbi ius redditur, quando iusdicens stat ad banchum pro iure reddendo, & hoc sub pœna pro quolibet Aduocato & qualibet uice librarum decem Asten. quæ pœna possit & debeat excuti ipso facto, sine aliqua condemnatione per curiam seu clauarium curiæ, cuius pœnæ medietas applicetur cameræ Illustr. D. nostri, & alia medietas communi huius ciuitatis, & quilibet homo bonæ famæ possit contra facientes accusare, & habeat quartam partem banni siue pœnæ, saluo quod pro eorum facto tantum possint aduocare impunè. Et quòd nullus iurisperitus Aduocatus seu Procurator, possit emere seu acquirere ab aliqua persona, aliqua iura occasione litigandi, sub dicta pœna, quæ pœna excutiatur ut supra, & applicetur ut supra, & quòd dicto tali emptori nullo modo fiat ius, imò non ualeat talis emptio seu acquisitio.

Item additū est, quòd nullus qui uenerit ad habitandū in ipsa ciuitate a decem annis citra, & qui uenerit in futurū possit procurare pro aliquo in curia ipsius ciuitatis, nisi habuerit domū in ipsa ciuitate, iuxta formam capituli primæ collationis sub rubrica de non recipiendo aliquem in habitatorem, sub pœna librarum decem cuilibet contrafacienti, totiens quotiens contra factum fuerit cōmittenda: Item & sub eadem pœna nullus comparens procurator in iudicio audeat se subscribere.

Item additum est, & statuerunt, quòd ultra ipsam pœnam quòd acta fienda per ipsos Procuratores, & quemlibet eorum, qui se subscripserint contra formam huius capituli, & additionis sint ipso iure nulla, & teneatur soluere expensas ipsorum actorum suo clientulo.

De dandis Aduocatis, & Procuratoribus personis, illis indigentibus. *Caput* XII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona agens, vel con-

 uenta

uenta coram Magiſtratu ciuitatis MontisReg. petierit a domino Vicario, uel Iudice Aduocatũ, vel Procuratorem pro cauſa, quæ ſibi moueretur, vel quam alii mouere vellent teneatur & debeat dictus D. Vicarius vel Iudex dari tali perſonæ petenti vnum de aduocatis, vel procuratoribus in dicta ciuitate commorantibus, vel unum aduocatum, & unum procuratorem, ſi hoc fuerit requiſitum, non obſtantibus aliquibus arris, quæ multis, uel omnibus aduocatis, per alteram partium datæ forent, quæ tunc debeant rèſtitui, imò reſtituantur ad mandatum Iuſdicentis. Et ſuper hoc habeat D. Vicarius, uel Iudex potestatem & bailiam, non obſtante aliquo capitulo conſtringendi quemlibet aduocatum, uel procuratorem de dicta ciuitate ad acceptandum aduocationem, uel procurationem ſic requiſitam, & arras ſi quæ datæ forent reſtituendas ut ſupra, & arreſtandi perſonaliter, uel condemnandi, uel mulctandi, prout ſibi placuerit uſque ad libras decem Aſten. pro quolibet & qualibet uice, dummodo talis aduocatus, & procurator legitimam non opponeret excuſationem, de qua cognoſcatur tunc per dominum Iuſdicentem, & intelligatur legitima excuſatio, ſi aduocatus, uel procurator eſſet conſanguineus in tertio gradu uel infra, uel affinis in ſecundo uel infra illius perſonæ contra quam peteretur, vel de eius parentela, vel inimicus capitalis illius per quem peteretur: Quibus caſibus teneatur Magiſtratus de alio prouidere, quàm citius fieri poterit ſub vinculo iuramenti.

De Aduocatis, Procuratoribus, ciuitatis MontisRegalis, & pauperum, & miſerabilium perſonarum. Caput XIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quolibet anno in conſilio generali ciuitatis MontisRegalis eligatur unus probus vir ſufficiens & expertus, tam in ſcientia, quàm in practica, qui ſit Aduocatus, & procurator communis ciuitatis prædictæ, & pauperum ac miſerabilium perſonarũ eiuſdem, qui uir bonus ſtatim cum fuerit electus, uel poſtea ad mãdatum Syndici iurare teneatur in dicto conſilio aduocare ſolicitè, & procurare fideliter, negocia communis, uel talium perſonarum ut ſupra, tam in agendo, quàm in defendendo, & ſine perſonarum differentia remotis timore, odio, & amore, præmio, & ſpe præmii, ita tamen quòd legalitate poſsit ſemper & ueritate uti: qui bonus uir teneatur acceptare, cum fuerit electus, ſub pœna librarum uiginti

ginti quinque applicandarum domino, & communi: Et habeat pro eius labore salarium, quod fuerit ei in dicto consilio taxatum per Syndicum, & Gubernatores dictæ ciuitatis. Et si dictus bonus vir deliquerit committendo, uel omittendo in aliquo circa dictum officium, si quidem negligentia, uel ignorantia puniatur in solidos sexaginta, pro quolibet & qualibet uice: Si uero dolo, vel lata culpa, priuetur officio, ita quòd inde ad quinquennium aduocare, uel procurare non possit in dicta ciuitate in, uel pro quauis persona uel causa: & ultra puniatur in libras decem Asten. quarũ dimidia applicetur domino, & alia communi, & intelligatur persona pauper & miserabilis, & pro eà teneatur aduocare dictus bonus vir, quam declarauit maior pars consilii generalis, uel in casu necessitatis Syndicus, & Gubernatores dictæ ciuitatis.

De causis ciuilibus, vel aliys, tamen ciuiliter motis & mouendis summam centum solidorum excedentibus, infra quadraginta dies utiles terminandis. Caput XIIII.

VT vulgarium clamosæ uoces, & ciuium frequentes querelæ, de causarum instantiis, & instantiarum prolixitatibus hactenus habitæ de cætero cõquiescant, & ut dispendia litium, quanta fieri potest solertia, euitentur, ac cauillationes, & calũniantium subterfugia amputentur, & iustitiæ debitũ commodius ministretur, & proinde prouideatnr commodis ciuium, & utilitatibus subditorum, statutum est & ordinatum, quòd omnes & singulæ causæ, uel lites, quæstiones, vel controuersiæ ciuiles, uel quæ ciuiliter agitentur, & quas de cætero moueri contigerit in ciuitate MontisRegalis, desuper & pro quacunque quantitate excedente, vel quacunque re vel iure ualente ultra solidos centum, coram D Vicario, uel Iudice curiæ dictæ ciuitatis, uel utroque eorum, uel altero eorum, uel quocunque eorundem, uel alterius locumtenentium, uel etiam quocunque, & a quouis delegato, dumtamen de causa cognoscat in ciuitate prædicta inter & per quascunque personas seculares, commune collegium, & uniuersitatem, uel inter aliquam secularem personam, & cõmunitatem, uel uniuersitatem quouis modo, uel ex quauis causa, in causa principali, cognoscãtur & decidantur, & fine debito terminentur iuridice, & seruatis statutis, & ordinamentis ciuitatis MontisRegalis, factis & fiendis, præsenti tamen statuto, & eius obseruantia in aliquo non

obſtantibus, reiectis cauillationibus, & friuolis exceptionibus, quibuſcunque per præfatos dominos Vicarium, & Iudicem, vel alterum eorum, aut alterius eorum locũtenentem, uel delegatum, coram quibus uel quo, cauſa, uel lis, quæſtio, uel controuerſia mota fuerit, uel agitata, & hoc infra terminos ſuper hoc inferius limitatos, ſub pœna periurii ipſis dominis Vicario & Iudici, & cuilibet eorum, uel eorum locumtenenti, uel alteri delegato omittentibus, uel omittenti ipſam litem uel cauſam, quæſtionem uel controuerſiam terminare, & finire infra terminos infraſcriptos, & decem librarum Aſten. pro quolibet prædictorum officialium, & qualibet cauſa uel lite: cuius pœnæ dimidia pars applicetur parti de dicto domino Iuſdicente iuſtè conquerenti, pro eo, quòd cauſam uel litem non finierit infra tempus ut ſupra, & alia dimidia Cameræ domini & communis, niſi talis Iuſdicens iuſtam excuſationem ſupra inde allegaret, & legitime eam probaret corã bonis uiris ſuper hoc, cum caſus accideret, & per conſilium, & Syndicum eligendis. Et teneatur dominus Vicarius, quotiens dictus dominus Iudex foret condemnatus, vel contra eum aliter declaratum per dictos bonos viros ad inſtantiam conquerentis conſtringere dictum dominum Iudicem ad ſoluendum incontinenti tali conquerenti, dictam pœnæ dimidiam ſine ulla condemnatione proinde fienda: Et quòd a tali actu, vel executione dictus D. Iudex appellare non poſsit, nec dictam pœnam aliter euitare, ſi contrafecerit ut ſupra. Et ſi dominus Vicarius cauſam non finierit, & proinde in dictam pœnam inciderit ut ſupra, teneantur Sapientes, & Gubernatores facere ſolui tali conquerenti, etiam ante finem regiminis ipſius D. Vicarii, ut eius culpa etiam non remaneat impunita.

Et ut conſtet Iudici uel alteri Iuſdicenti, quid circa ſupra & infra ſcripta eius & etiam partium incumbat officio ſtatutum & declaratum eſt, quòd inſtantia cauſæ principalis excedentis ſummam ſolidorum centum, duret & durare poſſit ſolũmodo tempore & ſpacio quadraginta dierũ utilium, & non ultra quouis modo, inchoandorum a die cauſæ uel litis inceptæ, & intelligatur cauſa uel lis incepta petitione porrecta in iure & in actis dimiſſa, & parti legitime notificata, ubi per uiã libelli, uel petitionis contingerit in cauſa uel lite procedi: & notificata petitio parti intelligatur, ſi conſtiterit de hoc iuſdicenti

centi per partis præsentiam, quæ in iudicio petitionem recipiat, uel per relationem nuncii, seu decani, qui eam dedisse reo, uel ad domum eius habitationis dimisisse referat, apud acta: teneatur etiam quilibet iusdicens in dicta ciuitate quamlibet litem coram se agitatam finire ante terminum dictorum quadraginta dierum vtilium, si & quandocunque ei iusdicenti de causa prius liquerit, seu ueritatem causæ videre poterit per confessionem partium, uel probationes alias, & alio quouis modo ita quod causa uel lis posit ante finiri, sed non ulterius protelari.

Ceterum dies quadraginta termino instantiæ præfixi sunt vtiles, ut supra: dies vero infra statuendorum terminorum sunt continui, ideò est prouisum, si in aliqua parte instantiæ dies in qua aliquis præfigetur terminus ad comparendum, & aliquid faciendum fuerit feriata, quòd pars, cui præfixus terminus fuerit, comparere teneatur die proximè sequenti non feriata, aliæ uerò dies feriatæ, si quæ infra terminos occurrerint, dummodo non fuerit vltima, ut supra, in diebus continuis computentur.

Et ut termini deliberandi, respondendi, probandi, reprobandi, allegandi, concludendi, & diffiniendi, clarius dignoscantur, & suis locis & temporibus seriosius collocentur, & ne productiones iurium & probationes cautellosè & fraudulenter usque prope finem litis, differantur, ideò statutum est, quòd petitione porrecta coram iusdicente in causa principali, & in actis dimissa, & parti notificata, ubi per uiam petitionis procederetur, ut supra statutus sit & esse intelligatur, ipso iure terminus trium dierum continuorum immediate sequentium, reo uel personæ conuentæ, si ibi præsens fuerit, alias parti conuentæ notificetur personaliter, uel ad domum eius habitationis, & hoc sufficiat per decanum, quando petitionem ei portauerit ad deliberandum & respondendum dictæ petitioni, & exceptiones proponendas, & litem super ea contestandum, & de calumnia iuramentum præstandum, & fiet dicta responsio in iudicio hora iuridica, & D. iusdicenti in aliquo dictorum trium dierum.

Et ne exceptio ineptæ petitionis iudicium differat uel retardet, inductum est, quòd quæcunque petitio qualiscunque sit, dummodo sit tolerabilis, admittatur & admissa esse intelliga-

tur, & tolerabilis sit, & esse intelligatur, si contineat personam actoris & rei, & quantitatem, rem vel factum, vel ius, quæ uel quod petitur, & causam qua quid petitur, nec sit necesse nominare nomen actionis in ea, nec per hoc differatur ordo præsentis statuti, etiam si petitio esset intolerabilis, sed reseruetur huiusmodi exceptio ad tempus allegationum, sicuti ceteræ exceptiones ut infra, uel procedatur super ea cum limitationibus infrascriptis.

Elapso autem termino trium dierum personæ conuentæ præfixo ut supra, si persona conuenta per se uel alium legittimum responsalem comparuerit, & contenta in petitione cõfessa fuerit, tunc Iusdicens præceptum faciat tali confitenti de soluendo, uel restituendo, uel condemnet confitentem ad dãdum vel restituendum sibi petita infra terminum uiginti unum dierum, exceptis debitis manualium, in quibus terminus sit arbitrio iudicantis, & in quorũ causis procedatur ut infra capitulo proximo cõtinetur, quo termino elapso fiat executio per Iusdicentem contra confitentem, & eius bona secundum formam iuris & statutorum de hoc loquentium. Et intelligatur legitimus responsalis in quolibet casu in præsenti statuto, & in proximo comprehenso, quælibet persona quæ habeat legitimam administrationem rerum personæ conuentæ de iure, vtputa pater, tutor, curator, vel procurator de cuius mandato constet vt infra, vel etiam in casu absentiæ quælibet coniuncta persona, siue agnatus, siue cognatus, vel affinis, vel etiam amicus, casu quo non essent consanguinei, uel affines, & hoc in casu quo persona conuenta non esset in ciuitate uel districtu, ut supra, quo casu scilicet absentiæ, & aliter nõ, quælibet persona coniuncta ut supra admittatur ad defendendum tã cum satisdatione, quàm sine, & valeant acta facta cum tali defensore, ac si forent gesta uel facta cum principali persona, ita quòd actori si vincet sit plenum ius ex sententia ferenda quæsitum, ut reo plena liberatio si actor non probauerit, quod intendit, & hoc nisi dolus uel fraus interueniret, quo casu daretur tali defenso in alio iudicio restitutio in integrum, & etiam si haberet aliquam bonam exceptionem uel defensionem, quam deffensor ignorasset uel non proposuisset in primo iudicio: & si quis fuerit procurator ab aliqua persona constitutus in iudicio apud acta, & de eius mandato rogatum fuerit instrumentum per constituentem a notario

notario curiæ & actorum intelligatur esse, & sit talis ipso iure legitimus procurator quantū ad illam causam uel litem, idem & si fuerit extra iudicium ubique constitutus, dummodo per publicum instrumentum appareat de eius mandato, licet instrumen tum mand ati non foret in aliis clausulis solemniter stipulatum uel dictatum, nec posſit aliquid opponi contra taliter constitutos procuratores, dummodo aliter habeant legitimam personam standi in iudicio, imò tales procuratores admittantur in iudicio ut supra quo ad commodum, uel incommodum constituentis, nec per hoc retardetur iudicium, uel sententia differatur, sed reseruetur hæc exceptio cum ceteris, vt infra, uel nisi super ea cognosceretur, nihilominus cognitio principalis negocii antecedat.

Si autem persona conuenta per se uel legitimum responsalem ut supra expresse confessa non fuerit, sed aliter petitioni responderit, tunc qualiscunque fuerit responsio lis sit & ipso iure esse intelligatur legitimè cōtestata, & debeat Iudex in actis scribi facere post responsionem petitioni factam, & pronuntiare litem fore legitimè contestatam, nec per aliquam exceptionem quæ fuerit opposita, etiam si fuerit rei iudicatæ, transactæ, uel finitæ, uel procuratoria, uel quæcunque alia impediatur, quo minus lis prædicto termino contestetur, uel cōtestata esse intelligatur & pronuntietur, sed reseruentur tales exceptiones, ut infra cōtinetur, vel procedatur super exceptionibus oppositis ad instantiam excipientis: & etiam nihilominus super intentione actoris, ita quòd per cognitionem super exceptionibus non moretur cognitio intentionis actoris, sed super ea procedatur, utpote super negocio principali.

Si uero persona conuenta nullo modo comparuerit, uel petitioni aliquid non responderit per se, uel responsalem legitimum ut supra, tunc detur actori in odium cōuenti possesſio tedialis, ut conuenta persona tedio affecta ueniat responsura, & hoc illius rei quæ in iudicio peteretur, si immobilis esset, uel ius super immobili re: Si autem quantitas, uel res mobilis peteretur, tunc detur possesſio tedialis in aliis bonis personæ conuentæ pro mensura debiti, uel rei petitæ: & duret possesſio tedialis ut supra, spacio uiginti dierum a die dictæ datæ possesſionis continuo numerandorum, infra quos persona conuenta ueniens audiatur ad recuperandā rem, super qua data fuerit posſesſio

ſeſsio tedialis, refectis prius expenſis & dãnis & integrè ſolutis parti petenti, quas & quæ ipſa corã Iudice iurau erit ſe feciſſe & ſupportaſſe etiam ſine alia taxatione, niſi ſic immenſè iuraret, quòd Iudici incredibile videretur, quo caſu iudicialis taxatio intercedat, & data idonea fideiuſsione de proſequenda lite, vſque ad finem, & de reſtituendis expenſis, ſi in cauſa eũ ſubcumbere contingat, quæ fideiuſsio etiam præſtetur, ſi perſona conuenta mobilia uel immobilia poſsideat in ciuitate prædicta: reſoluta uero poſſeſsione tediali ut ſupra, procedatur in cauſa tam per Iudicem, quàm per partes, iuxta modos & terminos infraſcriptos, ita quòd ex tunc finiatur inſtantia infra tempora præſenti capitulo ordinata: nec ſit neceſſe de nouo libellum offerri, ſed ſuper primum procedatur, ſi actori placuerit, & ex tunc lis habeatur pro legitime conteſtata, & Iudex ac partes ad ulteriora procedant, ut infra per ordinem continetur: Si vero pars conuenta non comparuerit per ſe uel alium, vt ſupra, infra dies viginti prædictos, & poſſeſsionem tedialem non redemerit, vt ſupra, tunc procedatur ad poſſeſsionem corporalem, pro menſura quantitatis debiti declarati, cum expenſis: quæ conſequuta & obtenta vim & effectum habeat ſecundi decreti & ſententiæ diffinitiuæ.

Conteſtata autem lite uel facta reſponſione, contra petitionem, & proinde lite pro conteſtata habita & pronuntiata, ut ſupra, ſtatim iurent partes ipſæ principales per ſe uel per procuratores de calumnia, & eodem tempore iurare debeant & teneantur Aduocati & Procuratores cauſæ prædictæ, tam actoris, quàm rei, ut ſupra in capitulo continetur de aduocatis, non obſtante iuramento calumniæ principalium, & ſi aliqua partium principalium, aliquo caſu iuraret per Procuratorem, tunc teneatur Procurator iurare in animam propriam, & in animam principalis, & præſtetur iuramentum per Aduocatos uel per Procuratores, modo & forma contentis in capitulo de Aduocatis: principalibus autem perſonis deferatur iuramentum calũniæ per dominũ Iuſdicentem, in iſta forma, videlicet:

Iſtud iuretur quòd lis tibi iuſta videtur:
Et ſi quæretur, verum non inficietur:
Ut lis tardetur dilátio nulla petetur,
Nihil promittetur vt falſa ſententia detur.

Et declarentur iſta quatuor clarè per dominum Iuſdicentem

tem, ita quòd quælibet partium intelligat benè uel ea verisimiliter intelligere possit, & si aliqua partium principalium ad mandata Iudicis, iurare de calumnia recusaret, tunc Iusdicens incontinenti pronunciare teneatur contra talem de calumnia iurare recusantem: & si fuerit pars agens, pronuncietur per Iusdicentem talem agentem a iure agendi totaliter cecidisse: si autem pars conuenta, statim condamnetur ad contenta in petitione contra eam porrecta ab agente: Aduocati uerò iurare recusantes, puniantur secundum formam contentam supra in capitulis de Aduocatis & Procuratoribus &c. Et eodem modo puniantur Procuratores recusantes, ut suprà, & faciat Iusdicens scribi in actis sicut per partes fuerit de calumnia iuratum & etiam per Aduocatos.

Iuramento autem calumniæ præstito, vt supra statuat D. Iudex, vtrique parti tam agenti, ad probandum eius intentionem, quàm conuentæ ad probandum eius exceptiones, si quas probare voluerit, terminum trium dierum continuorum, ex tunc proximè futurorum ad faciendum & etiam iure reddendum earum & cuiuslibet positiones.

Redditis autem positionibus Iusdicens faciat incontinenti illas legi parti contra quam producuntur hinc inde, & eam partem cogat ad respondendum dictis positionibus, si Iusdicenti videbitur, quòd incontinenti debeat responderi, si autem aliqua partium dixerit non esse respondendum aliquibus positionibus uni uel pluribus propter aliquod uitium, quod dicat esse in illis, uel si uideatur Iusdicenti, quòd statim non debeat responderi pro eo, quòd sint aliquæ obscuræ, duplices, deceptoriæ, impertinentes, uel aliter non admittendæ, tunc Iusdicens teneatur & debeat dictas positiones, siue utriusque, siue alterius partis, prout productæ fuerint, examinare & corrigere, nec in hoc possit Iusdicens suspectus ab aliqua parte allegari, & illas sic correctas teneatur parti, cuius fuerint reddere die prima iuridica proximè sequenti, & statim illis redditis cogat quamlibet partium, contra quam producerentur ad respondendum clare unicuique positioni, affirmando, uel negando de scientia, uel de credulitate, prout Iusdicenti uidebitur sufficere: Et si altera partium ad Iusdicentis mandatum respondere statim hora eadem noluerit, uel recusauerit, aliquibus positionibus contra se productis, tunc tales positiones, quotquot fuerint, una uel plures habean-

habeantur pro confessatis, & ut confessatæ ipso iure esse intelligantur, & sic statim pronuncientur per D. Iusdicentem, ad instantiam producentis, & secundum quòd elegerit, & ad maius commodum cesserit eiusdem.

Positionum autem expedito negotio ut supra, statuatur terminus per Iusdicentem utrique parti trium dierum continuorum ex tunc proximè sequentium, ad faciendum, & ipsi Iusdicenti præstãdum earum & cuiuslibet earum intentiones, si quas facere uoluerint, nec expectet pars conuenta ad probandũ eius intentiones, donec agens probauerit eius intentionem, sed utatur iure suo, si uoluerit, sicut agens terminis supra & infrascriptis aliter de se ipso, & non de Iudice conqueratur, nec per exceptionem impertinentium impediatur ordo præmissus, sed reseruetur ista exceptio in fine, ut infra, uel procedatur super ea: sed per hoc cognitio principalis negotii non moretur.

Intentionibus autem utriusque, vel alterius partis Iusdicenti productis, vel termino statuto ad eas producendum elapso, statuat terminum Iusdicens parti contra quam intentiones producerentur duorum dierum continuorum ex inde proximè sequentium ad accipiendum copiam dictarum intentionum contra se productarum, & ad faciendum eius contratitulos, si quos facere uoluerit, & dictos contratitulos, ipsi Iusdicenti in iure præsentandum, & illis præsentatis teneatur dictus dominus Iusdicens eos corrigere, & superfluos resecare.

Contratitulis autem, seu interrogatoriis productis, uel elapso termino ad eos producendum statuto ut supra, statuat Iusdicens terminum decem dierum continuorum, ex tunc proximè sequentium ad nominãdum, producendum, iurare, & deponere faciendum testes, si quos quæuis partium producere uoluerit, ad probandum earum intentiones ut supra. Et etiã quæcunque instrumenta, scripturas, & quaslibet alias probationes: Et hic terminus decem dierum locum habeat, & maior non detur, si testes uel instrumenta fuerint uel requirantur, in & de ciuitate MontisRegalis, uel districtu, si autem ab extra, tunc detur terminus super hoc inferius ordinatus.

Et ne hic terminus probatorius frustratoriè dilatetur, expresse cautum est, quòd in omni causa, uel lite ut supra, omnes & singuli testes per aliquam partium producendi cogantur indilatè per Iudicem litis realiter & personaliter ac omnibus remediis

mediis iuris, ad iurandum & ueritatis testimonium perhibendum in dicta causa sub pœna cuilibet testi inobedienti, & pro qualibet uice solidorũ uiginti Asten. & plus & minus arbitrio Iusdicentis, inspecta qualitate facti, & conditione personarum: cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ domini & cõmunis, & alia medietas parti ipsum testem producere uolenti, quæ pœna statim per Iudicem litis exigatur. Et ne testes se trahant, aut excusent sub prætextu operarum, seu iornatarum suarum, ordinatum est, quòd cuilibet testi satisfiat ab eo producente secundum taxationem domini Iudicis proinde fiendam, & notarii quicunque fuerint deputati ad examinandum, & recipiendum testes, statim cum fuerint electi, teneantur & debeant iurare coram Iusdicente, coram quo causa agitabitur, ad sancta Dei euangelia tactis scripturis, quòd testes per eos examinandos benè & legaliter examinabunt, & diligenter interrogabunt, eorumque dicta & testimonia fideliter recipient & scribent, uel scribi facient, pro utraque parte, bona fide, sine fraude, omni dolo & malignitate cessantibus, eruendo ab ipsis testibus ueritatem eius quod sciuerint de negocio super quo producti fuerint, cũ interrogationibus debitis, & non superfluis uel cauillosis, uel cum interrogationibus a parte productis, si productæ fuerint, & non deuiando ullo modo a tramite ueritatis, & iustitiæ: & quòd non propalabunt, seu ullo modo manifestabunt, directè uel indirectè, uerbo, nutu, uel alia demõstratione, dicta testium alicui partium, nec alteri personæ, sed ea tenebunt, & teneri facient secreta, donec fuerint publicata sub pœna florenorum decem, pro quolibet & qualibet uice applicãdorum Cameræ domini & communis: ultra pœnas a iure limitatas. Et D. Iudex teneatur & debeat uinculo iuramenti posse suo personaliter interesse examinationi, cuiuslibet testis examinandi in qualibet causa librarum decem, & ab inde supra.

Et si aliqua partium uoluerit producere in aliqua causa testes aliquos absentes, uel instrumenta quæ essent extra territoria ciuitatis MontisRegalis, & districtus, tunc nominatis prius dictis testibus & instrumentis, quibus semel nominatis, nihil addi posit, & facta fide summatim de huiusmodi absentia, & carentia instrumentorum extra territorium existentium Iudici le ctis, prout sibi uidebitur: & parte quæ producere uoluerit iurante ad sancta Dei euangelia corporaliter tactis scripturis,

quòd hoc non facit, nec fieri petit dolo nec calumnia, uel fraude, nec animo protelandi litem, sed putans ipsis testibus, & instrumentis indigere ad probationem iuris sui, eo casu assignetur sibi per Iusdicentem terminus competens secundum distantiam locorum, & negocii qualitatem, infra quem dicti testes recipi & examinari possint debita forma iuris, eorumq; dicta Iusdicenti solemniter præsentari, & ipsa iura produci. Et in eo termino assignando ut supra possit etiam altera pars ostendere, & probare de iure suo quicquid uoluerit, quo termino pendente non currãt tempora præsentis statuti, nisi terminus statutus ad probandum, quo ad testes & alias probationes præsentes, quo termino elapso currant tempora utrique parti præsenti statuto supra, & infra ordinata.

Testibus autem examinatis, & instrumentis productis, uel elapso termino ad producendum testes & instrumenta ut supra præfixo, dominus Iusdicens dicta testium aperiat, & publicet, & aperta & publicata pronunciet; & de ipsis, ac omnibus instrumentis hinc inde in causa productis iubeat dari copiam partibus, si eam habere uoluerint, & utriq; parti terminum statuat quinque dierum continuorum, ex tunc proximè sequentium ad opponendum, contradicendum, & reprobandum dicta testium, & alia quæcunque instrumenta, & alia omnia hinc inde producta: quo termino ad probandum præfixo durante, si aliqua partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos, uel capitula tendentia ad reprobandum probata & producta, per alteram partem in primo termino probatorio, tunc liceat ipsi parti contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri, cuius intersit, coadiuuare & corroborare per legitimas probationes probata & producta in primo termino probatorio, & eo termino reprobatorio elapso, quælibet agitata producta, & ostensa in dicto termino, intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de ipsis fiat copia per notarium absque ulla pronunciatione domini Iusdicentis, & ex tunc sit conclusum in causa ipso iure, siue iusdicens pronunciauerit in causa conclusum, siue non.

Insuper quia sæpe dictum est supra, quòd etiam discussis uel non discussis exceptionibus procedatur, ne processus causæ impediatur, statutum est, quòd omnes exceptiones, replicationes, & triplicationes, dilatoriæ, declinatoriæ, peremptoriæ: & ceteræ cuiuscunque generis sint, de quibus non fue

rit in

rit in processu cognitum inter partes sint saluæ utrique parti in fine litis tempore disputationum & allegationum, ne processus causæ differatur, vt supra, quæ quidem exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, & ceteræ, vt supra, reiectæ intelligantur ac si vnquam oppositæ non fuissent, si de ipsis in sententia uel pronũciatione fienda super causa principali non fuerit mentio proinde facta, hoc sanè intellecto, quia si aliqua exceptio competisset legitimè alteri partium, & de eà mentionem fecisset ante sententiam, & illam probare non potuisset propter breuitatem temporis instantiæ, tunc posit illa pars eam probare tempore appellationis, si sua putauerit interesse, & si sibi de remedio prouiderit appellandi.

Concluso autem in causa, uel elapso termino reprobationum & publicationum, & causa habita pro conclusa vt supra, statuatur terminus vtrique parti duorum dierum continuorum immediatè sequentium, ad liquidandum scripturas earum cum libro actorum curiæ, & ad ipsas liquidatas repræsentandum iusdicenti, de qua liquidatione constare debeat per subscriptionem notarii actorum per eum scribendam in fine cuiuslibet quinterni vtriusque partis.

Liquidatis autem scripturis uel termino præfixo ad liquidandum elapso ut supra, statuat dominus Iusdicens, terminum vtrique parti ad allegandum in causa octo dierum continuorum ex tunc proximè sequentium, & ad allegationes eidem præsentandum & eorum confidentes nominandum, & salarium consultoris & nuncii persoluendum, nec posint de cætero partes dare uel nominare suspectos, sed solummodo confidentes in qualibet causa. Et teneatur quælibet pars tot nominare confidentes, & totiens ad mandatum Iusdicentis, quòd, uel donec in uno ab utraque parte concordetur, & hoc in casu quo partes ambæ, uel eorum altera, uoluerit quòd D. Iusdicens in causa pronuntiet de consilio alterius consultoris. Si autem ambæ partes uellent quòd D. Iusdicens in dicta causa pronuntiaret, uel diffiniret per eius sententiam, absque alterius consiliatura, tunc sufficiat allegationes iuris producere, & non alia hoc termino contenta, & de tali partium uoluntate, certum se reddat D. Iusdicens ex eà hora quà terminum statuet ad allegandum ut supra, ita quòd per hoc tempus frustratoriè non labatur, & in casu quo D. Iusdicens debeat ipse sine consilio

ſententiam ferre, de partium voluntate, tunc teneatur incontinenti audita partium voluntate, ipſe Iuſdicens iurare ad requiſitionem partium, uel alterius earum, non obſtante generali iuramento, quod præſtiterit in principio ſui officii ad ſancta Dei euangelia tactis ſcripturis, quòd iuſtè, & rectè pronunciabit in cauſa illa ſecundum eius ſcientiam, & purã conſcientiam, habendo ſemper præ oculis ſolum Deum, eiuſque tremendum iudicium expectandum, quod ſacramentum ſcribatur in actis curiæ & cauſæ illius, nec poſsit Iuſdicens ſub aliquo ingenio pro tali pronunciatione recipere aliquod ſalarium, ſub pœna quadrupli, de quo poſsit, & debeat etiam ſyndicari.

Allegationibus autem receptis, uel elapſo termino præfixo ad eas præſentandas, & ſalarium cõſultoris ut ſupra, ab utraque parte uel altera earum, & hoc in caſu quo cõſilium ſapientis ab extra debeat haberi, teneatur Iuſdicens infra diem proxime ſequentem mittere diligenter, & bona fide omnes ſcripturas, & allegationes partium, uel illius partis quæ eas produxerit infra terminum ut ſupra, & literam conſultoriam ipſius Iuſdicentis, de qua fiat antequam mittatur utrique parti copia, ſi eam habere uoluerint, ad unum ex cõfidentibus utriuſque partis: quem tamen Iuſdicens non nominet alicui parti: & ſi aliqua pars recuſaret dare, uel contumax eſſet in dando ſuos confidentes, & tot quòd de uno concordetur ab utraque parte ut ſupra, tunc Iuſdicens mittat ſcripturas uni ex cõfidentibus partis producentis confidentes ut ſupra: uel pronunciet contra ipſam partem recuſantem dare, uel contumacem in dando cõfidentes, prout ipſa pars recuſãs, uel cõtumax elegerit, itaquòd de duobus alterum incontinenti fiat, uel quòd contumax, ſeu recuſans ut ſupra ſtatim eligat unũ de confidentibus partis aduerſæ, poſtquam aliud facere noluerit, uel quòd Iuſdicens infra tempus inſtantiæ pronunciet, & teneatur pronunciare contra talem contumacem, uel recuſantem dare confidentes ut ſupra, ita quòd litem, uel cauſam perdat talis contumax, ac ſi iniuſtitiam foueret omnino Et eo caſu quo ſcripturæ extra mittantur, ſic ſtudeat Iuſdicens, & eius littera conſultoria ſic inſtanter requirat conſilium a conſultore, ut infra tale tempus, quòd poſsit ſuam proferre ſententiam infra tempus inſtantiæ ſuperius limitatum, notificando diem, in qua debet ſententiam proferre: nec arctet ſe Iuſdicens nimis prope finem termini inſtantiæ, nec permittat ab utraque

partium

partium se deludi,cum sciat,si non pronuciauerit infra tempus pœnam periurii,& aliam pecuniariam ut supra,se irremisibiliter incursurum.

Consilio Sapientis autem recepto in casu quo tale consilium fuerit requisitum ut supra, dominus Iusdicens cum primum fieri poterit,illud aperiat præsentibus partibus,uel absentibus legitimè citatis:& eo aperto pronunciet diffinitiuè,uel interlocutoriè absoluendo, uel condemnando iuxta dicti consilii continentiam,& tenorem: & hoc infra tempus instantiæ,aliter incurrat pœnam periurii, & pecuniariã ut supra. Et si sententia condemnatoria ueniat ferenda, tunc statuat Iusdicens in dicta eius sententia, condemnato terminum uiginti unum dierum ad soluendum,uel restituendum, uel faciendum contenta in petitione actoris,uel in condemnatione prædictã,exceptis debitis manualium, de quibus terminus sit in arbitrio iudicantis, prout in capitulo infra proximo cõtinetur,& uictus uictori semper condemnetur in expensis, nisi aliter iudicatum esset per consultorem,uel ipsum Iusdicentem, si sine consilio alterius iudicauerit: quo termino elapso dicta sententia executioni mandetur iuxta formam capituli de hoc loquentis,nisi forte dicta sententia foret remedio appellationis suspensa. Et si quo casu, uel ex quauis causa Iusdicens non posset publicare consilium Sapientis propter breuitatem temporis,& per consequens sententiam secundum illius tenorem proferre: postquam ei portatum foret,& interim instantia lapsa esset, tunc & eo casu publicatio dicti consilii, & pronunciatio dicti Iusdicentis ipso iure facta esse intelligatur: ita quòd per partes seruetur in omnibus & per omnia, prout in dicto consilio scriptum fuerit, & sic executioni mandentur contenta in eo consilio,eo casu sicut si esset expresse sententia proinde lata infra terminos, uel post terminos iudicantis,uel condemnantis,supra proximè limitatos,& hoc in casu quo dictum consilium portatum foret domino Iusdicenti per aliquod spacium ante finem instantiæ prædictæ, siue die feriata, siue non feriata esset ipsi Iusdicenti a consultore dictum consilium reportatum:& eo casu posit pars contra quam ueniret, uel scriptum esset tale consilium ab eo appellare, ac si sententia diffinitiua per Iusdicentem solemniter lata esset.

Item additum est, quòd instantia causæ duret quinquaginta dies utiles, & quandocunque posint fieri positiones, & proba-

tiones in qualibet causa ciuiliter mota, lite contestata, & iurato de calumnia, usque ad triginta dies utiles: Et tunc elapsis dictis triginta diebus sit, & intelligatur esse in causa conclusum, & si partes uel altera ipsarum infra cōclusionem causæ petierit a D. Iudice sententiam ferri per se, uel de consilio iuris periti partibus non suspecti expensis partis perdentis, tunc & eo casu instantia quinquaginta dierum utilium non pereat, sed duret, & si dominus Iudex infra dictos quinquaginta dies utiles sententiam non tulerit diffinitiuam, pœnam incurrat, & incurrere debeat florenorum uigintiquinque: cuius pœnæ duæ partes applicentur Cameræ Illust. Domini nostri: & alia pars petenti, & ultra teneatur ad damna & interesse partibus, Et nihilhominus quòd D. Vicarius teneatur dictam causam decidere infra quindecim dies utiles immediate subsequentes de consilio iurisperiti, partibus non suspecti expensis dicti domini Iudicis negligentis, & hoc sub pœna prædicta & uinculo iuramenti.

ITEM quia vt vocifertur multæ perduntur causæ ciuiles, in curia præsentis ciuitatis, propter breuitatem temporis instantiæ & terminorum, de quibus in capitulo de causis ciuilibus fit mentio, & eius additione existentibus in uolumine capitulorum præsentis ciuitatis: hoc ideo addendo dictis capitulo & additioni, & illa declarando & ad tollendum omnes scrupulositates & dubia, quæ ex præmissis euenire possunt, ac pro conseruatione iurium dictæ communitatis & singularum personarum eiusdem statuerunt & capitulauerunt, quòd omnes causæ lites & quæstiones ciuiliter motæ seu mouendæ in curia præsentis ciuitatis agitentur, terminentur, diffiniantur, & in eis procedatur secundum formam & tenorem dictorum capitulorum & additionis in dicto uolumine existentium, & tam per officiales dictæ curiæ, quàm partes litigantes uel differentes. Et quòd in dictis causis motis uel mouendis domini Vicarius uel Iudex, præmissis nonobstantibus, seu alius eorum uel alterius eorum locumtenens, posśint & debeant requisiti uel non requisiti, & quatenus expediat uel eis aut alteri ex eis uisum fuerit necessarium, ad eorum libitum uoluntatis instantiam, & alios quoscunque terminos, de quibus in dictis capitulo & additione, fit mentio in ipsis causis procedendo uel diffiniendo, ac tempus & instantias dictorum capituli & additionis, dillatare, prorogare, minuere, uel allongare semel uel

pluries

pluries, ut eis & cuilibet eorum, uisum fuerit dictis capitulo & additione, non obstante.

De causis ciuilibus centum solidorum, uel infra per iuramentum, vel aliter infra octo dies vtiles summariè terminandis. Caput. XV.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius & Iudex ciuitatis MontisReg. vel alter eorum qui de causa cognoscit ut infra, possit, debeat, & teneatur uinculo iuramenti, & sub pœna librarũ decem Asten. pro quolibet iusdicente, & qualibet causa quæ terminata non fuerit, culpa uel negligentia Iusdicentis, infra terminum infrascriptum, & applicandarum pro dimidia parte de hoc iustè conquerenti, & per alia dimidia cameræ domini & communis, terminare, decidere, uel finire, quamlibet causam, uel litem, uel quæstionem, seu controuersiam ciuiliter motam, uel mouendam in curia, & coram quocunque iusdicente dictæ ciuitatis, de super, uel pro quacunque quantitate, re mobili vel immobili, iure vel facto, valoris uel æstimationis, centum solidorum, uel ab inde; infra octo dies vtiles à die causæ uel litis inceptæ proximè numerandos: Et intelligatur causa uel lis incepta petitione agentis corã Iusdicente qualitercunque porrecta, dicta uel insinuata oretenus, uel in scriptis: ita quòd pars agens non teneatur offerre libellum in scriptis: sed sufficiat qualitercunque eius intentionem indicet ut supra. Tamen cautè facient Iusdicens & pars petens, si in actis scribi facient intentionem petentis, ut proinde possit melius & conformius absolutoriè & condemnatoriè iudicari, & tempus instantiæ cognosci facilius: Nec possit instantia talium causarum centum solidorum vel infra, ultra dictum tempus dictorum octo dierum vtilium prorogari, uel differri, nisi de vtriusque partis & Iusdicentis voluntate processerit.

Et ut commodius dictæ causæ possint terminari infra tempus instantiæ prædictæ, prouisum est, quòd D. Iusdicens in qualibet talium causarum centum solidorum, uel infra procedere possit & debeat summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu & figura Iudicii, sola facti veritate inspecta, reiectis cauillationibus quibuscunque, recipiendo quascunque legitimas probationes, si quæ fuerint uel fieri poterint, tam ex parte actoris quam rei, uel deferendo iuramentum in defectum plenæ probationis illi parti, quæ per unum testem

H iiii uel

vel aliter semiplenè probauerit, & si quidem pars actoris plenè probauerit, uel semiplene, ita quòd ei deferri debeat iuramentum ut supra, tunc Iusdicens condemnet reum infra tempus instantiæ ut supra: si autem pars actoris nihil probauerit, uel minus legitimè, uel aliquid probauerit, & pars rei plus probauerit pro eius defensione quàm pars actoris pro eius intentione, tunc absoluatur reus infra tempus prædictum diffinitiue, uel ab obseruatione iudicii, prout Iusdicenti uidebitur iudicādum uictum uictori in expensis condemnando, nisi Iusdicenti iusta causa uidebitur subesse.

Ceterum quia scriptum est in lege, quòd maximum remedium est decidendarum litium iusiurandi religio, item quòd manifestæ turpitudinis & confessionis est non uelle iurare, nec iuramentum referre, ideò additum est prædictis, quòd in causis prædictis centum solidorum, uel infra, ut supra, si pars actoris in quacunque parte iudicii uoluerit stare iuramento partis conuentæ, uel ei per Iusdicentem iuramentum deferri, tunc Iusdicens teneatur illud deferre, & pars conuenta teneatur iuramentum recipere uel deferenti referre. Quòd si alterum prædictorum pars conuenta facere recusauerit, Iusdicens teneatur partem condemnare conuentam infra tempus instantiæ supra dictum: & econuerso, si pars conuenta voluerit agenti per Iusdicentem iuramentum deferri, tunc pars agens similiter teneatur iuramentum recipere uel referre deferenti, aliter ut supra Iusdicens pronuntiet contra agentem, & partem conuentam totaliter absoluat: attamen in præmissis Iusdicens sic prudenter attendat, quòd nemo deinceps periurium subeat, scilicet quòd alteram partium uerisimiliter dubitantem non cogat recipere iuramentum, puta si esset tutor uel curator, uel procurator, uel quicunque alius, qui de facto alieno uerisimiliter dubitaret, quo casu statuat Iusdicens parti uerisimiliter dubitanti terminum competentem Iusdicentis arbitrio limitandum, & postea iuramentum deferat, quo delato, uel condemnet, uel absoluat ut supra, singula singulis referendo, & quotiens condemnationem fieri oporteat, uel contingat in aliquo ex casibus & summis præsenti capitulo comprehensis: tunc Iusdicens statuat parti condemnatæ ad soluendum, uel dandum, uel restituendum, uel faciendum petita per actorem, uel contenta in condemnatione Iusdicentis, ter-

minum

minum quindecim dierum ex tunc proximè uenturorum, exceptis debitis, uel loeriis, aut salariis, manualium, seu laboratorum, uel operarum eorum, siue eorum loeria, qui ut plurimum locant operas suas, in quorum causis, & quando petent mercedes laborũ uel operarum eorũ siue eorũ loeria, Iudex posit procedere & cognoscere & finire infra tempus prædictum, & citius si fieri poterit, quantacunque sit quantitas, etiam si excederet summa centum solidorum, & semper etiam in quacunque causa manualium ut supra sæpe dictum est, terminus sit in arbitrio D. Iusdicentis non obstante præsenti capitulo, nec etiam capitulo supra proximè præcedenti, uel aliquo alio.

Insuper studiosè vigilet & attendat D. Iusdicens, ut tempus dictorum octo dierum vtilium a principio litis usque ad finem sic prudenter distribuat quòd causam finire uel terminare possit infra illos ut supra, nec permittat se negligentia uinci, uel ambagibus partium se deludi, quoniam scire debet quòd si causam non finierit ut supra, ipso facto incurret pœnam periurii & pecuniariam ut supra, pro qua pœna exigenda recurratur ad modum traditum in alio capitulo de causis proximè suprascripto.

De appellationibus & nullitatibus, ac petitionibus reductionum ad arbitrium boni viri, inter quæ tempora debeant ciuiliter interponi, & postea terminari. Caput. XVI.

CVM appellationum remedia fuerint ab antiqua iuris prudentia post diffinitiones iudicum introducta, ut iniquitas uel imperitia iudicantium corrigatur, vnde merito est statutum quòd instantia cuiuslibet causæ appellationis uel nullitatis interponendæ semel tantum ab utraque parte in ciuitate MontisReg. ciuiliter uel instantia petitionis reductionis ad arbitrium boni uiri non duret uel durare posit, uidelicet instantia primæ appellationis, uel nullitatis, uel reductionis, ultra tempus & spacium vigintiquinque dierum vtilium, & instantia secundæ causæ appellationis, uel nullitatis, uel reductionis ut supra, alterius partis non duret, nec durare posit ultra tempus & spacium aliorum vigintiquinque dierum utilium, qui dies utiles tam primæ quàm secundæ causæ appellationis uel nullitatis currere incipiãt appellanti, uel de nullitate dicenti, uel petenti reductionem à die, qua libellus appellatorius

uel

uel in quo de nullitate uel reductione dicitur, coram Iudice appellationis, uel de nullitate, uel reductione cognoscentis, uel coram notario ad officium appellationum deputato porrectus fuerit, & in actis dimissus: nec possint dicti termini alterouis modo ut supra excedi, dilatari, uel in aliquo prorogari, nisi de expressa utriusque partis processerit uoluntate: quinimo quilibet Iusdicens, qui de appellationibus cognoscet ciuiliter in ciuitate MontisReg. uel qui ad cognoscendum de aliqua causa appellationis uel nullitatis pro tempore fuerit ibidem ordinatus, teneatur & debeat vinculo iuramenti, & sub pœna librarum decem Asten. pro qualibet appellationis causa, quam non expedierit infra tempus, præsenti statuto comprehensum, ab eo irremissibiliter auferenda, & applicanda pro dimidia, parti de facto Iudicis in hoc conquerenti, & pro alia dimidia cameræ domini & communis, finire & terminare per eius sententiam, confirmando uel infirmando primam sententiam, vel declarando bene vel malè appellatum, & bene vel malè iudicatū, vel pronunciando appellationem fore desertam vel alio his æquipollenti modo, quamlibet causam appellationis vel nullitatis coram eo uel eius notario ciuiliter motam vel mouendam infra tempora suprascripta, uel citius, si ante de causæ meritis iusdicenti liquerit, vel aliter legitimè fieri poterit. Et possit quælibet pars litigantium & quælibet persona, cui de iure competat ius appellandi uel dicendi nullam a qualibet sententia uel determinatione ut supra, appellare, vel de nullitate dicere, semel tantum, & non ultra, quouis modo, & hoc locum habeat in causis seu casibus ciuilibus, vel ciuiliter motis vt supra: In criminalibus autem seruetur modus infra collatione tertia, suis locis in criminalibus limitatus, hoc sanè intellecto quòd in causis & casibus specialibus, & in quibus prohibita sit appellatio vel nullitas à iure communi, vel ex forma alicuius statuti vel ordinamenti ciuitatis MontisReg. facti vel fiendi, non liceat alicui personæ appellare, vel de nullitate dicere, nec etiam possit aliquo modo appellari, vel de nullitate dici a præceptis vel cōdemnationibus, tam ciuilibus quàm criminalibus factis per Iusdicentem in sponte confitentes, nisi Iudex in plus uel minus condemnauerit quàm debuerit, nec possit a præceptis, siue sententiis, uel determinationibus factis in fauorem communis, uel personis debentibus ipsi communi, nec

nec etiam posſit appellari, uel de nullitate agi coram aliquo Iudice, uel ad aliquem Iudicem appellationis, qui fuerit Aduocatus uel Procurator in cauſa ſuper qua lata fuerit ſententia uel aliter teminatum, & a qua fuerit appellatum: nec posſit aliquis iudex appellationum, ſiue primus, ſiue ſecundus aduocare, uel officium aduocationis exercere oretenus, uel in ſcriptis in ciuitate MontisReg. uel diſtrictu pro aliqua perſona uel in aliqua cauſa, quæ litigauerit, uel quæ uentilata fuerit in curia ciuitatis prædictæ, durante eo tempore, quo fuerit iudex talium appellationum: & hoc ſub pœna periurii, & ultra ſub pœna florenorum vigintiquinque proquolibet & qualibet cauſa, in qua foret contrafactum. Et quilibet homo bonæ famæ posſit accuſare, & habeat tertiam partem banni & pœnæ prædictæ, & reliquæ duæ partes applicentur cameræ domini & communis, & ultra non ualeant ipſo iure aliqua acta uel aliquæ ſententiæ factæ uel facta coram eo, ſi contra factum fuerit in præmisſis.

Et ut termini appellationum & nullitatum ſerioſius dignoſcantur, ſtatutum eſt, quòd latà diffinitiua ſententia per Iuſdicentem, uel facta aliqua cauſæ determinatione, uel diffinitione in quacunque cauſa ſummariè uel ordinariè agitata, per quam finem imponere uoluerit Iuſdicens cauſæ, liti, uel controuerſiæ, uel pro facta habita, ſicut eſſet in caſu poſito ſupra in fine capituli de cauſis ordinariè terminandis &c. pars illa quæ ſuccubuerit, ſiue quæ de tali ſententia uel determinatione expreſſa, uel ſubintellecta, dixerit ſe grauatam, uel dicere eam nullam uoluerit, & quælibet alia perſona, cui de iure appellare liceat, uel de nullitate dicere, posſit & ualeat ab ipſa diffinitiua ſententia uel determinatione; & etiam a quolibet alio præcepto, uel grauamine factò per iuſdicentem ſine cauſæ cognitione uel iuris ordine, appellare, uel nullum, uel nullam dicere, infra terminum decem dierum continuorum a die ſcientiæ numerandorum, de qua credatur ſi dubium oriretur appellanti cum iuramento, & non ultra, computandorum a die latæ ſententiæ uel factæ determinationis uel præcepti ſeu grauaminis, uel ut ſupra ad Iudicem appellationum, & illi officio deputatum uel deputandum.

Qua appellatione uel nullitate interpoſita procedatur in ipſa cauſa appellationis uel nullitatis coram domino Iudice, ad quem

quem fuerit appellatum, uel de nullitate dictum, uel eius notario hoc ordine, videlicet, quòd post ipsam appellationem uel nullitatem propositam, uel interpositam, teneatur appellans uel nullam dicens infra terminum duorum dierum vtilium coram Iudice, ad quem appellauerit, uel notario appellationum petitionem suam in scriptis porrigere, uel parti notificare personaliter, uel ad domum, uel notificari facere per decanum, & hoc sufficiat. Quæ petitio qualiscunque sit, dummodo tolerabilis, admittatur & admissa esse intelligatur ipso iure, & nulla litis contestatio exigatur, & teneatur idem appellans uel nullam dicere uolens iurare coram Iudice, ad quem appellauerit, uel notario appellationum, & præsente parte aduersa, uel legitimè citata, se non dolo nec calumnia appellasse, uel nullã dixisse, sed credens fouere iustam causam: & idem iurare teneatur aduocatus uel Procurator, si quis fuerit in tali causa appellationis uel nullitatis, non obstante iuramento calumniæ præstito in causa principali. Et teneatur appellans uel de nullitate dicere uolens, satisdare cum idoneo fideiussore parti aduersæ, uel notario appellationum, ut publicæ personæ: Et sufficiat ut parti aduersæ efficaciter teneatur de restituendo, alteri parti omnia damna, interesse, & expensas litis prædictæ, quæ passa fuerit, & taxata fuerint per iudicem dictæ causæ, si ipse appellans uel nullam dicens succubuerit in dicta causa appellationis uel nullitatis, uel si ipsam appellationem uel nullitatem, non fuerit prosecutus usque ad finem: alioquin transactis, siue finitis dictis diebus uigintiquinque utilibus, infra quos, si appellans non fuerit prosecutus, ipsi appellationi renunciasse, intelligatur, & prima sententia firma maneat, & executioni mandetur per Iudicem primæ causæ, etiam si Iudex appellationum non pronuntiauerit appellationem fuisse desertam.

Post præmissa statim, & sine interuallo statuat Iudex appellationis, uel de nullitate cognoscens, uel notarius appellationum, si Iudex præsens non fuerit appellanti, uel nullam dicenti, uel appellato, uel ei contra quam, uel quos de nullitate agitur, terminũ octo dierum utilium immediate sequentium, ad probandum, producendum, ostendendum, & opponendum, tam super nullitate quàm iniquitate dictæ sententiæ, & aliis ad dictam causam pertinentibus, quicquid ipsæ partes, & quilibet earum uolẽ-

uoluerint,& interim posſint hinc inde poſitiones produci,quibus reſpondeatur, & reſponderi debeat clarè per partem contra quam producentur. Et ſi aliqua partium reſpondere recuſauerit ad mandata Iudicis uel notarii, tunc habeantur poſitiones quibus reſponſum non fuerit pro confeſſatis: & in omnibus, & per omnia quantum ad poſitiones ſeruetur, ut ſcriptum eſt ſupra in ordine cauſæ principalis, ſcilicet in capitulo, ſiue ſtatuto de cauſis infra quadraginta dies ordinariè terminãdis: ipſoque termino finito ſtatim omnia agitata, producta, & oſtenſa in ipſo termino intelligantur, & ſint ipſo iure publicata, & de eis utrique parti fiat copia, ſi fuerit requiſita.

Elapſo autem termino dictorum octo dierum, ſtatim præfigat Iudex appellationis uel nullitatis, ſi præſens fuerit, uel notarius prædictus utrique parti terminum quatuor dierũ utilium ex tunc proximè ſequentium, ad reprobandũ, impugnandum, & excludendum quæcunque hinc inde agitata, producta, & oſtenſa in dicto primo termino. Et ſi aliqua partium in ipſo termino reprobatorio produxerit articulos, uel capitula tendentia ad reprobandum probata, & producta per alteram partem in primo termino probatorio, quæ capitula, & articula produci debeant per duos dies ante finem termini reprobatorii parte præſente, uel legitimè ad hoc citata, & ſibi de ipſis capitulis, & articulis copia dimiſſa perſonaliter, uel ad domum, & poſt produci non poſſint, nec admitti, tunc liceat illi parti, contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri, cuius interſit coadiuuare, & corroborare per legitimas probationes probata, & producta in dicto primo termino, quo termino reprobatorio elapſo quælibet agitata, probata, & oſtenſa in dicto termino, ſint & eſſe intelligantur ipſo iure publicata, & de eis fiat copia, ut ſupra.

Et omnes exceptiones, replicationes, triplicationes, dilatoriæ, declinatoriæ, peremptoriæ, & ceteræ, cuiuſcunque generis ſint, de quibus non fuerit in proceſſu cauſæ appellationis cognitum, inter partes ſint ſaluæ utrique parti in fine litis, & tempore diſputationũ, ne proceſſus cauſæ differatur: quæ quidem exceptiones quæcunque fuerint, reiectæ eſſe intelligantur, ac ſi unquam oppoſite nõ fuiſſent, ſi de ipſis in ſententia ferenda per iudicem appellationis, non fuerit facta mentio ſpecialis, & omnis bona exceptio, ſiue ius alicui partium competens, de qua ta-

men uel quo protestatum fuerit in causa principali,& quam vel quod non poterit aliqua partium probare in causa principali, possit nūc probari in causa appellationis, dummodo probetur infra tempora dictorum octo dierum, supra proximè ad probandum ordinata, ita quòd per hoc instantia causæ appellationis minimè differatur.

Finito autem termino dictorum quatuor dierum ad reprobandum supra proximè præfixo, statuat Iudex, si præsens fuerit, uel notarius appellationum, utrique parti terminum quatuor dierum utilium inde proximè sequentium, ad allegādum in dicta causa,& earum allegationes ipsi Iudici uel notario præsentandum,& confidentes nominandum, & totiens ad mandata Iudicis uel notarii, quòd in & de uno concordetur: nec dentur suspecti, sed confidentes ut supra,& salarium consultoris,& nuncii persoluendum:& etiam omnes alias scripturas actorum causæ appellationis liquidatas,& omnia alia instrumenta,& iura ab inde retro hinc inde producta,& etiam omnia acta, & scripturas,& allegationes, causæ principalis,& hoc in casu quo ambæ partes, uel earum altera uoluerint pronunciari per iudicem appellationis de consilio alterius iuris periti quàm sui ipsius. Aliter si ambæ partes cōsentirent, quòd ipsemet Iudex pronunciet absque alterius cōsilio, tunc sufficiat produci allegationes & iura, ac acta causarum,& de tali partium uoluntate declaret se D. Iudex appellationum, si præsens fuerit, uel notarius prædictus ex tunc cum primum statuit terminum prædictum ad allegādum: & eo casu quo partes conueniant, quòd iudex appellationis ipse solus pronunciet, tunc teneatur, idem iudex appellationū ad requisitionem partis unius, uel ambarū cum primum fuerint sibi acta præsentata, iurare ad sancta Dei euangelia tactis scripturis, quòd iustè & rectè pronunciabit in illa causa secundum eius scientiam,& ueram conscientiam non declinando ad unam partem, uel ad aliam, sed habendo ante oculos Deum, & eius tremendum iudicium. Nec possit dictus D. Iudex sub aliquo ingenio aliud recipere ab aliqua partium pro eius pronunciatione.

Receptis autem allegationibus,& iuribus, ac scripturis partium, uel alterius earum quæ eas in termino præsentauerit, & aliis supra proximè scriptis, uel elapso termino dictorum quatuor dierum ad hoc statuto, si partes cōsenserint, ut supra quòd

iudex appellationũ per se solum debeat iudicare, statuat idem iudex, si præsens fuerit, terminum partibus eius arbitrio limitandum, ad eius sententiam audiendam: uel si iudex non fuerit, tunc notarius prædictus statuat dictum terminum partibus ad se præsentandum cum earum iuribus coram dicto iudice, ubi fuerit, dummodo talem statuat terminum Iudex, uel notarius, quòd possit pronunciari infra tempus instantiæ. Si autem debuerit haberi consilium aliunde, tunc receptis dictis allegationibus, & iuribus, & reliquis suprascriptis, infra unum diem utilem proximè sequentem, mittat dominus Iudex, si præsens fuerit, uel notarius prædictus omnia acta, & omnes scripturas, & allegationes partium prædictarũ, uel alterius earum, quas & quæ habuerit benè & diligenter, ac legaliter omni fraude cessante, cum eius litera consultoria, cuius literæ copiam retineat, & cuilibet partium eam ostendat: si eam uidere uoluerint, ad unum ex confidentibus utriusque partis, quem tamen Iudex, uel notarius non nominet alicui partium. Et si aliqua partium recusaret dare uel contumax esset in dando confidentes, & tot et totiens ad mandata dicti domini Iudicis uel notarii, quòd in, uel de uno ab utraque parte concordetur, tunc iudex appellationis pronunciare teneatur contra talem contumacem, uel recusantem, ut supra, uel mittere ipse, si præsens fuerit, uel notarius scripturas ad unum ex confidentibus partis aduersæ, quem tamen elegerit talis contumax, uel recusans, & unum de duobus teneatur iudex appellationis, uel notarius facere, sub pœna periurii, uidelicet, uel mittere ut supra, uel expectare consilium, & secundum illud postea iudicare, uel infra duos dies pronunciare contra talem cõtumacem, uel recusantem, & hoc si iudex ibi præsens fuerit: aliter notarius prædictus teneatur isto casu mittere infra dies duos ad iudicem appellationum, qui pronunciet contra talem recusantem, uel contumacem. Unde sic studiosè uigilet Iudex appellationis uel notarius, in præmissis siue mittere habeat ad consultorem siue non, quòd negotium expediat infra tempus instantiæ superius limitatum, nec permittat se a partibus uel a propria culpa deludi, sed notificet consultori sicut infra tale tempus habet suam proferre sententiam, cum sciat se pœnam periurii, & aliam pecuniariã incursurum.

Habitoq; consilio sapientis prædicto, in casu quo pro consilio fuerit missum ut supra, teneatur D. Iudex appellationis, si

præſens fuerit, in ciuitate tunc temporis incontinenti partibus præſentibus, uel eis citatis aperire dictum conſilium, & ſecun dum illud conſilium iudicare, ſi autem dictus dominus Iudex præſens non fuerit, tunc notarius prædictus teneatur legere, uel legi facere dictum conſilium & aperire ſub porticu communis, ubi ius redditur præſentibus D. Vicario, ſeu Iudice ciuitatis eiuſdem, præſentibus dictis partibus uel abſentibus, tamen legitimè citatis, & hoc infra tempus inſtantiæ, ita quòd non pereat inſtantia cauſæ, & hoc ſub pœna librarum decem applicandarum ut ſupra, & aperto & lecto dicto conſilio, habeatur pro ſententia, & de ipſo conficere inſtrumentum & exe cutioni mandari, proinde ac ſi per Iudicem appellationis fuiſſet apertum, & pronunciatum.

Et quia ſæpè uariiſque locis in præſenti capitulo, fit mentio de appellatione & nullitate ſimul & uniformiter, ideo ad tollendum omne dubium ordinatum eſt in principio medio atq; fine præſentis capituli, quòd quæcunque dicta ſunt de appella tionibus, & earum cauſis, ſint & eſſe intelligantur dicta, de nullitate, & nullitatis cauſa, ita quòd utraque debeat interponi infra idem tempus, & interpoſita terminari, & quòd tantum duret inſtantia unius cauſæ, quantum alterius, & quòd ſicut non poſſet appellari ultra decem dies continuos ut ſupra, ita nec de nullitate dici, & breuiter, quòd in una dicitur in alia penitus obſeruetur, non obſtante quòd de nullitate poſſet ſemper opponi de iure communi, quia hoc per præſens capitulum ſpecia liter eſt ſublatum, poſsit tamen pars quæ de nullitate dicere ve lit eius cauſam proſequi, ſi ſibi placuerit, tam coram iudice cau ſæ principalis, quàm iudice appellationum, dummodo in cauſa nullitatis ſeruentur ſemper tempora, & termini inſtantiæ ſupra dictæ, & idem in omnibus & per omnia intelligantur, & obſeruentur in quacunq; cauſa petitionis, reductionis ad arbitrium boni viri, uidelicet, quòd quæcunque perſona quæ uoluerit ali quam arbitramentalem ſententiam, uel aliquod laudum, ſeu arbitramentum, petere eum reduci ad arbitrium boni uiri, illud petat infra decem dies continuos a die ſcientiæ numerãdos de qua credatur iuramento de nullitate dicentis, ſeu reductionem petentis a die dictæ arbitralis ſententiæ latæ, uel dicti laudi uel arbitramenti prolati, & non ultra, & in proceſſu talis peti-

tionis,

tionis reductionis ad arbitrium boni uiri, seruentur termini & ordo præsenti capitulo in appellationibus & nullitatibus ordinati, nec duret instantia petitionis reductionis ad arbitrium boni viri, vltra vigintiquinque dies vtiles, ut supra in causa appellationis & nullitatis, clarius est expressum.

Postquam verò lata fuerit dicta sententia in dicta causa appellationis, uel nullitatis, uel petitionis reductionis ad arbitrium boni viri, inquantum & quatenus confirmata fuerit prima sententia lata in causa principali, vel primum arbitramentum, siue laudum, nõ liceat amplius prouocare, nec appellare, à dicta sententia, nec nulla dici, vel de nullitate agi nec petere reduci ad arbitriũ boni viri, nec eidem aliqualiter contrauenire nec contra eam quicquam posit excipi, uel opponi: sed prout lata fuerit dicta prima sententia vel primum laudum, seu arbitramentum, cum omnibus iuris remediis executioni mandetur, Si verò per ipsam sententiam latam in dicta causa appellationis, vel nullitatis, vel petitionis reductionis ad arbitrium boni viri, fuerit dicta prima sententia, vel laudum annullata, vel reuocata, vel aliter reformata, vel reformatum in aliqua parte, vel in totum, tunc liceat parti succumbenti in dicta causa appellationis, uel nullitatis, vel reductionis ad arbitrium boni viri, & infra terminum decem dierum continuorum, a die latæ sententiæ appellationis, uel nullitatis, vel reductionis, &c. & non vltra, à dicta tali sententia appellationis, nullitatis uel reductionis ad arbitrium boni viri appellare, uel nullam dicere, vel petere reduci vt supra, singula singulis referendo ad alium Iudicem appellationis, & illi officio deputatum uel deputandum &c. prout in prima causa appellationis, latius & clarius est expressum, In qua quidem causa appellationis, uel nullitatis, uel reductionis, secundò interposita procedatur & intelligantur sic termini limitati, in omnibus & per omnia, prout in prima causa appellationis est superius expressum, mutatis mutandis, & singula singulis, & congrua congruis referendo. Ita tamen quòd dicta secunda causa appellationis uel nullitatis, uel reductionis decidatur, & fine debito terminetur, infra tempus uigintiquinque dierum utilium ut supra, inchoandorum a die qua libellus appellatorius, uel in quo de nullitate uel reductione proponitur, porrectus fuerit coram Iudice secundarum appellationum, uel eius notario ut supra, nec pos

sit dictus terminus excedi ullo modo, sub pœna prædicta, & sententia quæ proinde lata fuerit, omnino obseruetur, & prout lata fuerit omnibus iuris remediis executioni mandetur, nec ab ea amplius appelletur, uel nulla dicatur, nec contra eam possit peti reductio ut supra, nec aliquid aliud obiici, uel opponi, nec eidem aliquo modo contraueniri.

Et ut res in posterum sine suspicione procedat, & ut ille qui fuerit notarius in una causa in illa, illi primæ contraria notarius non existat, prouisum est quòd de cætero singulis annis in ciuitate MontisRegalis per consilium dictæ ciuitatis, uel eius ordinationem, eligantur duo notarii appellationum boni & legales uiri, & ex melioribus practicis, quorum unus sit & appelletur notarius Iudicis primarum appellationum, & allius sit notarius Iudicis secundarum appellationum, & quale officium habet unus in instantia prima, tale habeat alius in secunda, & quæcunque fienda fuerint & fieri debeant, per unum & coram uno, in prima instantia, fiant & fieri debeant per alium & coram alio in secunda, cum eisdem iuramentis & paribus pœnis tam pecuniariis, quā periurii, & denique, quæ in uel de uno ordinata sunt uel fuerint, in & de alio in omnibus, & per omnia ordinata intelligantur, & qui fuerint notarii uno anno ad dictum officium ad idem esse non possint, inde ad tres ànnos proximè sequuturos, nisi per consilium dictæ ciuitatis, cum eisdem uel eorum altero foret aliter dispensatum.

De Sententijs, condemnationibus, præceptis, arbitris, arbitramentis, laudis, executioni mandandis, & in libro ponendis. Caput. XVII.

QVIA parum prodesset sententias ferri, nisi esset, qui eas executioni mādaret, ideo statutum est, quòd D. Vicarius, vel Iudex ciuitatis MontisRegalis, qui pro tempore fuerit teneatur & debeat ex debito sui officii exequi, & executioni mandare quotiens fuerit requisitus omnes sententias diffinitiuas, & condemnationes per eum, uel eius prædecessores latas, quæ transiuerint in rem iudicatam, & quæcunque præcepta in confessos facta, & quascunque sententias arbitramentales, & quæcunque arbitramenta & lauda, quæ non pendeant per petitionem reductionis ad arbitrium boni uiri, transactis terminis consuetis in talibus sententiis, condemnationibus, præceptis, uel arbitramentis, ac laudis prædictis contra personas, & bona con-

condemnatorum,& contentorum in illis,uel aliqua earum,vel contra hæredes,uel bonorum possessores talium condemnatorum,uel alterius eorum,& hoc sine aliqua exceptione,uel dilatione, & omni tempore, siue feriato, siue non, dummodo non essent feriæ inductæ in honorem Dei, & sine libello, uel alia iuris solemnitate, sed solummodo instrumento inspecto talis sententiæ condemnationis, præcepti, arbitrii, uel laudi, & coram eo Iusdicente producto, uel aliter de eis fide facta legitimè, & hoc contra personas cōdemnatorum,& eorum bona, ut supra, maxime secundum formam statutorum supra, & infra scriptorum,& specialiter attenta forma capituli positi sub rubrica,de rebus & bonis debitorum dandis creditoribus insolutum.Possit etiam quælibet persona recipere debens uigore alicuius condemnationis in confitentem,uel summariæ conuictum latæ, ela pso termino condemnationis comparere apud acta curiæ,& facere ponere cōdemnationem in libro more solito, & si quidem quantitas fuerit solidorum centum, uel inde infra, debitor soluat bannum solidorum trium Asten.si uero debitum fuerit a solidis centum supra,usque in libras uiginti quinque,condemnatus soluat bannum solidos decem, si autem debitum fuerit a libris uiginti quinque supra quantacunque fuerit quantitas,soluat bannū solidos uiginti Asten. hoc saluo, quòd si creditorem pœnituerit infra tres dies postquam condemnatio posita fuerit in libro fecisse poni dictam condemnationem in libro, tunc ad eius creditoris instantiam,notarius actorum teneatur cancellare talem descriptionem condemnationis de libro,& condemnatus dicto casu nullam pœnam soluere teneatur, præterquam denarios duodecim pro dicta cancellatura.

De Instrumentis,& scripturis publicis executioni mandandis.
Caput XVIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona produxerit, uel ostenderit per se, uel aliam legitimam personam coram domino Vicario, uel Iudice ciuitatis MontisReg. aliquod publicum instrumentum,seu publicam scripturam,per quod,uel quam appareat, quòd ipsa pars producens, uel illa persona a qua causam habuerit,uel haberet recipere debeat aliquam pecuniæ quantitatem, uel aliquam aliam rem uigore alicuius obligationis, uel alicuius cōtractus, uel quasi,& petierit oretenus, uel in scriptis, ita quòd qualiscunque sit petitio, uel requisitio

sufficiat in hoc, quòd dominus Iusdicens exequatur, & executioni mandet dictum exhibitum instrumentum, seu publicam scripturam in persona, uel rebus, siue contra personam, uel res illius personæ, quæ uigore dicti instrumenti, seu scripturæ debitrix diceretur, & dictus dominus Iusdicens, teneatur, & debeat ad instantiam dictam executionem petentis, incontinenti uiso dicto instrumento, uel scriptura publica, non abolitis, non cancellatis, nec in aliqua sui parte suspectis statuere personæ conuentæ, si ibi præsens fuerit, uel ad domum eius habitationis per decanum curiæ, terminum quinque dierum utilium, ad accipiendum copiam dicti instrumenti, seu scripturæ, & ad opponendum contra illud, seu illam aliquam, seu aliquas de exceptionibus infrascriptis, scilicet, solutionis, quitationis, seu liberationis, præscriptionis, transactionis, & falsitatis, simulationis, uel nullitatis, rei iudicatæ, uel pacti de non petendo, nec aliqua alia exceptio possit opponi contra publicum instrementum, uel publicam scripturam, præter prædictas uel aliquam prædictarum, quouis modo, nec aliquid aliud obiici contra executionem eiusdem. Et si quidem pars conuenta in dicto termino uel per se uel aliam legitimam personam nullam de dictis exceptionibus opposuerit contra dictum instrumentum, seu scripturam, tunc dictus dominus Iusdicens, teneatur & debeat dictum instrumentum seu scripturam exequi, seu executioni mandare, sicut quamuis diffinitiuam sententiam uel condemnationem, quæ transiuisset in rem iudicatam, in persona uel in rebus, siue contra personam & res dictæ personæ conuentæ, sequendo formam capituli de bonis & rebus debitorum dandis creditoribus insolutum, uel capituli, quòd emptores soluant in pecunia numerata. Si uero dicta persona per se uel legitimam personam, in dicto termino, uel infra opposuerit aliquam uel aliquas de exceptionibus supra scriptis: tunc D. Iusdicens iterum statuat dictæ personæ conuentæ, terminum octo dierum utilium, ad probandum, & probatam, seu probatas habendum exceptiones per eam oppositã, uel oppositas unam uel plures, & hoc casu possint fieri huic inde positiones, & intentiones, & aliæ probationes, in quibus omnibus D. Iudex habeat largam bailiam, etiam pronuntiandi positiones pro confessatis contra recusantem, uel contumacem in respondendo eis, ita quòd dictæ probationes fiant infra dictum terminum,

Et si

Etſi quidem pars conuenta in dicto termino probatorio, uel infra legitimè probauerit exceptiones per eum oppoſitas, unam uel plures, & per hoc appareat eam non teneri in totum uel in parte, ad quãtitatem uel rem ab ea uigore dicti inſtrumenti, uel ſcripturæ petitam, tunc D. Iuſdicens teneatur & debeat dictam perſonam conuentam, abſoluere, & abſolutam pronunciare a petitione actoris, & hoc in totum, ſi de toto probauerit, & etiam teneatur Iuſdicens eo caſu dari facere dictæ perſonæ conuentæ, dictum inſtrumentum, ſeu ſcripturam inciſum, uel inciſam in ſignum ueræ liberationis. Si uero in parte probatum foret, tunc de parte D. Iuſdicens perſonam conuentam abſoluere teneatur: Si uerò pars conuenta non probauerit, in dicto termino exceptiones per eum oppoſitas unam uel plures, tunc dominus Iuſdicens teneatur exequi, & executioni mandare, dictum inſtrumentum, ſeu ſcripturam, modo & forma quibus ſupra, & hoc ſine aliqua exceptione, & uictus uictori ſemper condemnetur in expenſis.

Contra negantes ſcripturam propriam. Caput XIX.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd qui negauerit in iudicio aliquam ſcripturam per eum ſcriptam, & ſubſcriptam, fuiſſe ſcriptam & ſubſcriptam manu ſua, incurrat pœnam librarum uiginti quinque, ſi ſumma contenta in tali ſcriptura fuerit a libris centum infra, & ab inde ſupra incurrat pœnam librarum centum, quæ pœna applicetur pro duabus partibus Fiſco, & pro tertia parte accuſatori.

De bonis & rebus debitorum dandis creditoribus in ſolutum, & de ſalario æſtimatorum communis. Caput XX.

ITEM ſtatutum eſt, & ordinatum quòd, ex quacunque legitima cauſa exceptis caſibus contentis in capitulo, ſub rubrica quòd emptores teneantur ſoluere in pecunia numerata, &c. D. Vicarius & Iudex ciuitatis MontisReg. ad inſtantiam cuiuslibet recipere debentis, & hoc requirentis, teneatur & debeat, per æſtimatores communis, dari facere cuilibet creditori, de rebus debitorum, in ſolutum, modo infraſcripto, uidelicet, quòd primo compellatur quilibet debitor, alterius per Iuſdicentem, ad inſtantiam creditoris, iurare, manifeſtare, omnia bona & res ipſius debitoris, in ſcriptis infra terminum ſibi per Iuſdicentem aſsignandum, pro quo poſsit D. Vicarius uel Iudex, quemlibet debitorem, conſtringere remediis opportunis

portunis, & imponere pœnas, uſque ad ſolidos ſexaginta A-ſten. & ultra detinere perſonaliter, quemlibet recuſantem iurare manifeſtare bona ſua, uel cōtumacem in manifeſtādo, donec manifeſtauerit, eo ſaluo, quòd ſi debitor cōſignauerit creditori tantum bladum, legumina, caſtaneas, carnesſalſas, beſtias, argentum, perlas, & pannos, quæ omnia, uel aliquæ ipſarum rerum aſcendant ad duplum debiti petiti, non teneatur talis debitor alia eius bona iurare, nec conſignare, ſed creditor de ipſa re, uel rebus, in duplum conſignatis, de quibus maluerit ſolutionem accipere teneatur, per manus æſtimatorum, denariatam, pro denario, ut infra. Hoc etiam intellecto, quòd in caſu, quo omnia bona debeat conſignare, ut ſupra, non intelligatur periurium incurrere, ſi non conſignauerit bona mobilia, non aſcendentia pro qualibet ipſarum, ad ualorem ſolidorum uiginti. Sed de ipſis tamen omiſsis, creditor poſsit accipere inſolutum, ſi uoluerit. Qua manifeſtatione bonorum facta dentur creditori, primò tot de bonis mobilibus debitoris inſolutum, quouſque integram ſatisfactionem habeat creditor ſui debiti, & hoc de illis bonis, quæ elegerit creditor, uel habere voluerit, dando denariatam, pro denario tantum, & talia bona mobilia ſic inſolutum per æſtimatores data, ſtatim fiant, & pleno iure ſint ipſius creditoris, & creditor exinde poſsit facere ad ſuam liberam voluntatem, exceptis in his pannis de dorſo, lectis, armis, & libris, quæ inſolutum non dentur, dummodo debitor habeat alia bona mobilia, vel immobilia, ad ſatisfaciendum creditori. Secundo detur de rebus immobilibus, etiam ſecundum electionem creditorum, de quibus maluerit, dando denariatam vnam pro denario, excepta domo quæ non æſtimetur, nec inſolutum detur, dummodo aliæ res immobiles, ſeu poſſeſsiones, ſupereſſent ad æſtimandum & inſolutum dandū ipſi creditori. Et creditor teneatur poſſeſsiones, ſiue res immobiles ſibi datas inſolutum cuſtodire per ſex menſes, Ita quòd debitor poſsit eas recuperare, infra dictos ſex menſes, ſi ſoluerit creditori debitum cum expenſis: ſi vero debitor non ſoluerit infra dictos ſex menſes, totum debitum & expenſas, pro quibus res æſtimatæ ſunt, & datæ in ſolutum, dictæ res ſic inſolutum datæ, tranſactis dictis ſex menſibus, ſint irreuocabiliter ipſius creditoris, ita quòd de illis, vt de rebus propriis ſuam poſsit facere voluntatem & creditor

ditor teneatur denuntiare debitori, quòd vadat uel mittat ad videndum fructus collectos ex re data insolutum deductis semper necessariis expensis, circa fructus, siue godias factis, quæ ipsi creditori soluantur, vna cum dicto debito, & aliis expensis antequam dicta res immobilis restituatur. Et æstimatores prædicti debeant habere, pro æstimo & labore eorum, denarios sex, pro libra rei æstimatæ, & non plus. Et quicunque æstimatores, qui emerint, uel electi fuerint, æstima, uel ad æstima, prius quam se intromittant de dicto officio, teneantur & debeant in consilio iurare, attendere, & obseruare præsens capitulum, & eorum officium bene & legaliter exercere, & solutiones accipere; modo prædicto. Et si repertum fuerit ipsos accipere, uel accipisse, occasione alicuius æstimi, vel occasione sui laboris, vltra quantitatem dictorum sex denariorum, pro qualibet libra, quòd ad restitutionem teneantur in duplum, & vltra incurrant pœnam pro quolibet, & qualibet vice, solidorum centum Asten. quæ pœna ab eis exigi possit ac debeat, per dominum Vicarium, vel Iudicem, sine aliqua condemnatione, & quilibet homo bonæ famæ, possit accusare, & habeat tertiam patem banni. Et si dicti æstimatores non iurauerint, vt supra, non possint dictum officium exercere: Et præsens capitulum non habeat locum in condemnationibus tangentibus Dominum, sed possint personaliter detineri.

Item statutum, & additum est, ibi dum dicitur, si consignauerit bestias &c. quod si de cætero contingat casum euenire, de quo in ipso capitulo mentio habetur, uidelicet consignationem fieri crediori de bestiis. Quòd de talibus bestiis consignatis creditori, insolutum capere non teneatur, si debitum fuerit de summa librarum uiginti, uel ab inde infra, nisi modo proximè descripto, uidelicet, quòd ipse bestiæ consignatæ pro solutione fienda de debito quantitatis prædictæ ponantur ad incantum, & subhastentur in platea maiori præsentis ciuitatis, duobus diebus continuis, in qualibet die duabus uicibus, uidelicet in tertiis una uice, & in uesperis alia uice, & plus offerenti ultima uice deliberentur, quarum pretium per creditorem usque ad concurrentem quantitatem cum expensis legitimè importatis recipiatur, & si pluri pretio uenderetur una bestia, uel plures, illud superfluũ debitori reddatur. Et si autem ad minorem quantitatem ascenderet, quam sit creditum de tali remanentia

debitor

debitor solutionem creditori facere teneatur, ut supra est expressum, præallegato capitulo in reliquis firmitatem obtinente.

De offerenda solutione creditori suo. *Caput.* XXI.

ITEM statutum est, quòd quæcunque persona de ciuitate MontisRegalis & posse, quæ sit obligata alicui alteri personæ de ciuitate prædicta & posse, aut iurisdictione, aliqua ratione, uel causa, pòssit in præsentia domini Iusdicentis, venire & offerre suo creditori, solutionem, siue se paratum offerre velle solutionem in pecunia, vel rebus, illud quod sibi debet, iuxta formam capitulorum, & facta dicta oblatione, uel numerata pecunia, iuxta formam capitulorum, in præsentia D. Iusdicentis, & posita penes idoneum mercatorem, qui eam det creditori, vel facta fieri æstimatione de rebus ipsius debitoris, & præstito iuramento, de manifestando omnia bona sua in casu, quo omnia bona sua debeat consignare iuxta formam capitulorum dictæ ciuitatis, quam æstimationem facere fieri pòsit per æstimatores communis, & tradita possessione prædictarum rerum, vel si steterit per creditorem, quo minus eam possessionem recipiat, vel acceptet, ipse debitor sit liberatus ipso iure, ab ipso debito, quod obtulit in pecunia, uel in rebus, vt superius est expressum, & prædicta solennitate seruata ab ipso debitore, D. Iusdicens teneatur personaliter detinere dictum creditorem, donec fecerit prædicto debitori instrumentum pacis, & finis, & reddiderit instrumentum, seu condemnationem dicti debiti, eo saluo, quòd si creditor retinere uoluerit instrumentum, seu condemnationem, pro defensione rerum quæ darentur insolutum hoc facere possit: sed de hoc appareat, & præcipiatur publicum instrumentum.

De restitutione mutui. *Caput* XXII.

ITEM statuerunt & capitulauerunt, quòd si aliqua persona de præsenti ciuitate & posse, manualiter mutuauerit alicui de dicta ciuitate & posse pecuniam, quòd talis personæ cui mutuatum fuerit, vel hæredes sui non possint eius creditori consignare aliqua bona, nec bestias, sed teneantur soluere & restituere in pecunia numerata tantum, & hoc intelligatur quòd non possit aliquis contractus fictus, vel simulatus, committi, in quibus talibus celebratis contractibus præsentis capituli dispositio, locum non habeat.

De

De terminis dandis in condemnationibus. *Caput.* XXIII.

ITEM statutum est, quòd D. Iusdicens teneatur, & debeat, in condemnationibus, de soluendo debito, dare terminum soluendi ei, qui fuerit condemnatus, quantacunque sit quantitas; vsque ad viginti unum diem, si quantitas erit de solidis viginti supra, si vero fuerit de solidis viginti infra, vsque in solidos decem, detur terminus quindecim dierum, & a solidis decem infra, detur terminus octo dierum, exceptis debitis manualium, qui peterent mercedes suas, in quibus terminus, & solutio, sint in arbitrio D. Iusdicentis, & si condemnatus non soluerit infra prædictum terminum, amittat bannum, si debitum fuerit de solidis decem infra, solidum unum, & de solidis decem vsque in uiginti solidos, soluat bannum solidos tres, & a solidis viginti supra vsque in solidis centum, soluat bannum solidos quinque, & a solidis centum usque in libras uigintiquinque, soluat bannum solidos decem, & a libris uigintiquinque supra quantacunque sit quantitas, soluat bannum solidos uiginti: & si non soluerit termino prædicto, D. Iusdicens faciat debitorem detineri, donec satisfecerit creditori, seu creditoribus, iuxta formam capitulorum.

De debitore detinendo. *Caput* XXIIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de MonteRegali, uel aliunde erit debitor alicuius de MonteRegali, uel districtu, & de dicto debito appareret instrumentum uel condemnatio, seu per confessionem creditoris, uel per testes, D. Vicarius seu Iudex ad instantiam creditoris, possit & debeat detinere, & detineri facere dictum debitorem, donec soluerit creditori, iuxta formam aliorum capitulorum præsentis ciuitatis; & si fortè dictus detentus opponeret, uel opponere uoluerit aliquam exceptionum contentarum, in capitulo de instrumentis publicis executioni mandandis, contra instrumentum, condemnationem, uel scripturam publicam, productum, uel productam, ad instantiam dicti creditoris, aut contra testes, tunc seruetur forma dicti capituli, de instrumentis publicis executioni mandandis, & teneatur dare idoneas securitates de parendo iuri, & iudicatum soluendo. Et si aliquis esset iniustè detentus, ille qui fecisset eum iniustè detineri, restituat incontinenti expensas, & creditor similiter teneatur dare idoneas securitates, de parendo iuri & restituendis expensis, & fideiussores

deiussores dati per formam præsentis capituli, non posint se iuuare beneficio capituli loquentis, quòd principalis prius conueniatur quàm fideiussor, etiãsi non renunciauerint beneficio de principali, sed posint cum effectu conueniri & exigi antequam principalis aliquo capitulo uel iure non obstante, & specialiter dicto capitulo quòd principalis prius conueniatur. Et aliquis non posit detineri, non obstantibus supra dictis, donec condemnatio esset ad terminum, secundum formam capitulorum MontisRegalis, nisi persona esset extranea, uel fugitiua, quæ posit detineri, quamuis condemnatio non esset ad terminum, tam die feriato, quàm inferiato, donec dederit fideiussorem de soluendo in termino condemnationis. Et intelligatur persona fugitiua, & suspecta, quam iurauerit creditor esse fugitiuam, uel suspectam. Et si aliquis de dicta ciuitate & posse, se obligauerit ad tenendum ostagium, uel quòd posit incarcerari ad uoluntatem & requisitionem creditoris, dicta obligatio non ualeat, nec teneat quantum ad tenendum ostagium, uel posse incarcerari, etiam si iuratum esset in instrumento obligationis. Et si aliquis fecerit aliquem detineri, teneatur & debeat detentum pasci, si decenter egeret, dando sibi pro quolibet die, denarios decemocto pro alimentis, & si cessauerit per tres dies dare dictos denarios decemocto, quòd tunc detentus a carceribus relaxetur, nec ob eam causam qua fuerit incarceratus, posit postea incarcerari.

De Pœna non venientium coram Iusdicente *Caput.* XXV.

ITEM statutum est, quòd qui non uenerit coram domino Iusdicente quotiensceunque fuerit citatus, uel requisitus per nuncium communis, soluat bannum solidum unum: & idem soluat ille ad cuius instantiam citaretur, si non comparuerit in termino. Et quicunque fuerit citatus, uel requisitus ter ad instantiam alicuius, quòd ueniat coram Iusdicente, & non uenerit, & inde fuerit scriptus ter in banno, quòd D. Iusdicens teneatur postea facere eum proclamare in bãno solidorũ decem, si inde fuerit requisitus, per illum ad cuius instãtiam citabatur. Et dominus Iusdicens teneatur facere dare de bonis dicti citati nõ uenientis, creditori, usque ad quãtitatem debìti, si debitum fuerit liquidum per instrumenta, uel testes. Et si denunciatum fuerit Iusdicenti, quòd debitor siue persona requisita fuerit in terra, teneatur facere capi dictam personam, & detineri donec

dictum

dictum bannum soluerit, & creditori, siue creditoribus satisfecerit de eo quod debebit, nisi iustam fecerit defensionem, & prædicta teneatur facere dictus Iusdicens, sine aliqua condemnatione, saluo quòd illi de infrascriptis uillis, & uillariis Montis Regalis, uidelicet, Bastitæ, Carruci, Rechæbaudornm, Morotii, sancti Blasii, Villænouæ, Rochæfortis, Mōtisalti, Reburenti, Turris, & Freboziæ, non possint poni, seu scribi in bāno, ad instantiam alicuius personæ ante tertiam, nisi ante tertiam, personaliter reperirentur per decanos in ciuitate MōtisRegalis, & si dicta talis persona, quæ posita fuerit in banno se concordauerit cum creditore, seu cū eo qui fecerit eum cridari in banno infra tertiam diem post cridam prædictā, quòd non incurrat pœnam prædictam, & de dicta cōcordia credatur sacramento, ad cuius instantiam cridatum fuerit in banno.

Quòd personis ruralibus ad D. Iudicem non impediatur Additus. *Capur* XXVI.

ITEM, quia personæ rurales & illiteratæ, & multæ aliæ habentes in iudicio, & ad banchum ciuilium experiri, coram domino Iusdicente, quando sedet pro tribunali, propter assistentes procuratores, non possunt additum habere ad personam D. Iusdicentis, dum sedet pro tribunali, statuerunt quòd nulla persona, exercens procuratoris officiū in curia ipsa possit stare uersus partem, ubi stat D. Iudex pro tribunali, uidelicet a parte dextra, ubi aperitur barra banchi ciuiliū, sed ipse locus expeditus remaneat pro aliis personis ibidem acturis, & hoc sub pœna solidorū decem pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & qualibet persona possit accusare, & habeat tertiam partem banni aliis duabus partibus remanentibus curiæ.

De diebus solemnibus in honorem Dei, & aliis feriis in iudiciis celebrandis. *Caput.* XXVI.

DIGNVM est principaliter propter Deum, & hominum gratia est inductum, quòd strepitus Iudiciorum, certis diebus & temporibus conquiescant. Et ideò statutum est, quòd D. Vicarius & etiam Iudex, ciuitatis MontisReg. non teneantur, uel debeant sedere pro tribunali, uel ius reddere in causis & casibus ciuilibus, diebus & temporibus infrascriptis, sed sint dies infrascripti feriati, & feriarum tempora, intelligantur, & pro feriis obseruentur in foro iudiciali & curia ciuitatis prædictæ. Et primo in honorem Dei, sint feriæ, & dies

solemnes, dies infra scripti ut supra, dies sancti Thomæ Apostoli ante festum Natiuitatis Domini, & omnes dies sequentes, usque ad festum Epiphaniæ, siue apparitionis inclusiue. Item dies dominica Oliuarum, & omnes dies sequentes, usque ad octauam Paschæ inclusiue. Item dies dominica Pentecostes, cum duobus diebus proximè sequentibus inclusiue. Item dies festi corporis & sanguinis Domini. Item omnes dies Dominicæ totius Anni. Item omnes dies festiuitatum Beatæ Mariæ Virginis Dei genitricis. Item omnes dies festiuitatum duodecim Apostolorum. Item festiuitatum quatuor Euangelistarum. Item dies festi sancti Donati, sancti Nicolai, sancti Augustini, sancti Francisci, sancti Dominici, sancti Martini, sanctæ Agnetis, sanctæ Catherinæ, sanctæ Luciæ, sanctæ Margaritæ, sanctæ Crucis, sancti Georgii, sancti Antonii, sancti Antonini, sancti Ludouici. Item dies festi omnium sanctorum, & dies Mortuorũ. Item dies cõuersionis sancti Pauli. Item dies carnis priuii propter nabucardos. Item in honorem hominum & publicæ utilitatis, sint & incipiant feriæ messium in die sancti Ioannis Baptistæ, de mense Iunii, & durent usque ad festum sancti Laurentii, de mense Augusti inclusiue. Item feriæ Vindemiarum, seminum, sint & incipiant in die festi sancti Michaelis circa finem Septembris, & durent usque ad diem sancti Lucæ, de mense Octobris inclusiue. Item feriæ nundinarum sint & incipiant in die festi sanctæ Mariæ, de mense Septembris, & durent illa die, & duobus diebus ante, & duobus sequentibus inclusiue, uel aliter, prout consilia ordinabunt & sint etiam feriæ illis diebus, quibus Reipublicæ causa fuerint andate exercitus uel caualcatæ. Et omnibus diebus in quibus Iudex ordinarius, uel appellationum, steterit ad audiendum allegationes, & omnibus aliis diebus sint feriæ, quos consilia ciuitatis prædictæ, aliquibus emergentibus causis, pro tempore ordinauerint feriales, possint tamen præfati domini officiales, quibuscunque diebus feriatis, causas & casus criminalium, & rumorum & rixarum tractare, & in causis & casibus criminalibus maleficiorum procedere, & omnia & singula contra malefactores, & delinquentes in maleficiis criminalibus, uel delictis oportuna peragere.

De Feriis nundinarum franchis. *Caput* XXVIII.

ITEM ut auiamenta eueniant præsenti communitati statuerunt,

runt, & ordinauerunt, quòd nundinæ quæ fiunt in præsenti ciuitate, in tempore beatæ Mariæ virginis, de mense Septembris,& omnium Sanctorum de mense Nouembris,sint franchæ & liberæ,uidelicet a prima die Septembris, vsque ad quintum decimũ diem eiusdem mensis inclusiue,& a festo sãcti Lucæ de mense Octobris, usque ad festum sancti Martini inclusiue, ita quòd omnes conducere uolentes pannum & merces, siue merzarias, illas conducere posśint sine solutione alicuius gabellæ, & exinde reducere quò uoluerint sine solutione prædicta, & præsens capitulũ proclametur per quindecim dies antequam dictæ nundinæ eueniant, vt ad notitiam quorumcunque deuenire posśit,& tunc temporis sint feriæ, & cesset strepitus iudicialis, ita quòd dominus Vicarius, uel Iudex non ascendant banchum,et si fierent aliqui actus iudiciales,sint ipso iure nulli.

De Saximentis. *Caput* XXIX.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius, uel Iudex, uel miles, teneatur & debeat ad instantiam cuiuslibet personæ de dicta ciuitate, uel ibi habitantis, hoc requirentis facere, uel fieri facere, quocunque tempore etiam feriato quodcunque saximentũ, seu præceptum de saxiendo uel sequestrando quascunque res, & quæcunque bona cuiuslibet personæ terrigenæ uel forensis, quæ diceretur debitrix illius personæ, quæ peteret fieri saximentum apud illam personam uel personas, quam uel quas elegerit dictus officialis, teneatur insuper illa persona penes quam factum fuerit dictum saximentum,rem saxitam tenere,custodire & saluare, ad uoluntatem, & secundum præceptum D. Vicarii uel Iudicis. Et si contrafecerit in rumpendo uel restituendo dictum saximentum penes eum factum, soluat bannum pro qualibet uice solidos sexaginta, & restituat damnum illi qui fecisset fieri dictum saximentum. Et si illa persona penes quam factum fuerit dictum saximentum, negaret habere penes se rem saxitam, uel dixerit esse suam, D. Vicarius, siue Iudex teneatur & debeat facere illam personam, penes quam dictum saximentum factum fuerit, iurare de ueritate dicenda, si inde fuerit requisitus, & teneatur restituere, si mentita fuerit, uel maleficium in hoc fecerit,omne damnum quod habuisset ille qui fieri fecisset dictum saximentum, cum suo iuramento sine aliqua probatione:quod saximentũ,seu præceptum teneatur ille qui eum fieri fecerit,scribi facere in libro actorum

per notarium curiæ dictæ ciuitatis, infra tres dies, computata die qua factum fuerit dictum saximentum uel præceptum, alioqui non ualeat dictum saximentum, & notarii curiæ saximenta & talia præcepta teneantur scribere & recipere qualibet die etiam feriata, quibus tribus diebus elapsis, uel infra, teneatur dicta persona, ad cuius instantiam tale saximentum factum esset, infra alios duos dies ex tunc continuè numerandos, etiam si fuerint feriati, & non ultra, nec aliter ualeat saximentum, facere admoneri personam, contra quam fieri postulauerit dictum saximentum, si inueniri poterit in ciuitate MontisRegalis, personaliter, uel ad domum eius solitæ habitationis, uel uoce præconia in platea publica dictæ ciuitatis, si fuerit extraneus, uel non habuerit habitationem in dicta ciuitate, quod ueniat ad defendendum dictum saximentum, siue ad contradicendum, si quid contradicere vult, quo minus tale saximentum fiat infra quatuor dies a die dictæ admonitionis proximè secuturos, & scribatur talis admonitio in actis curiæ, & citationis, uel cridæ relatio. Et siquidem persona prædicta admonita comparuerit, & fideiussorem idoneum præstiterit, de iudicio sisti & iudicatum soluendo, & proinde rem saxitam expediri petierit, tunc res saxita præstita dicta fideiussione idonea, eidem illico & incontinenti expediatur, & præstare uolens dictã fideiussionem, teneatur eam præstare, præsente parte aduersa, uel ea absente, legitimè tamen citata per decanum personaliter, uel ad domum, & hoc sufficiat ut saximentum expediatur debitori, licet creditor non uenerit quando citatus fuerit ad videndum præstare fideiussionem prædictam. Qua fideiussione præstita, & dicto saximento expedito, agat creditor si uoluerit contra debitorem, seu fideiussorem eius, ad debitum principale secundum formam statutorum dictæ ciuitatis, & eo condemnato, uel conuicto, teneatur principalis debitor, uel fideiussor eius in pecunia numerata, dictum debitum soluere, uel rem saxitam tradere creditori, pro mensura debiti declarati. Si verò persona admonita ut supra, infra terminum quatuor dierum, non uenerit per se, uel legitimum responsalem, uel uenerit, & fideiussorem idoneum non præstiterit, tunc teneatur pars quæ dictum saximentum fieri fecerit, infra quindecim dies, ab ultima die dictorum quatuor dierum continuè numerandos, etiam si essent feriæ, ut supra, producere, ostendere,

& probare

& probare, & probatum habuisse, quicquid uoluerit super dictum saximentum siue debitum, propter quod factum fuerit. Et si quidem intentio actoris legitimè probata fuerit, uel dictũ debitum infra quindecim dies prędictos, sufficienter liquidum Iudici apparebit, tunc dictum saximentum, siue res saxita una uel plures expediantur de mandato Iusdicentis, & tradantur ipsi creditori pro mensura debiti declarati, siue probati, & expensarum factarũ occasione dicti saximenti taxandarum per D. Iusdicentem, præstito prius per dictum creditorem corporali iuramento. Et fiat dicti saximenti expeditio, siue insolutum datio, secundum æstimationem fiendam per æstimatores communis, si uero actor non probauerit infra terminum supra dictum, tunc D Iusdicens faciat expediri dictum saximentum siue rem aut res saxitas reo, siue illi personæ, contra quam factũ erat dictum saximentum, & ultra faciat restitui & persolui expensas dicto reo per eum factas, occasione defendendi dictum saximentum, & etiam damna & interesse quæ supportasset reus occasione impedimenti, sibi per dictum petitorem dati: quæ quidem expensæ, damna, & interesse taxentur per dominum Iusdicentem, præstito prius a parte cui deberetur corporali iuramento ut supra, & res saxitæ non possint postea sequestrari per eundem, seu ad eius instantiam, pro dicto debito non probato, uel etiam si nõ fuerint obseruatæ solemnitates antedictæ.

De mercatis attendendis, & conuentionibus, & contractibus obseruandis. Caput XXX.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius, uel Iudex ciuitatis MontisReg. teneantur, & debeant facere attendi, & obseruari omnia mercata, siue contractus, qui & quæ fient in dicta ciuitate, uel districtu, si denarius Dei, uel arræ datæ fuerint, uel si palmatũ fuerit, uel si mercatum, seu contractus celebratus fuerit, interueniente consensu utriusq. partis, ut de iure interuenire deberet, & contrahentes teneantur obseruare contractus & mercata, quæ & quas facerent, seu contraherent, sub pœna solidorum trium, si mercatum uel contractus fuerit a solidis uiginti infra, & si de solidis uiginti supra, sub pœna solidorum decem, semper tamen manente firmo mercato, uel contractu, siue pœna fuerit soluta, siue non, & dominus Vicarius, uel Iudex teneantur facere attendi mercata, et contractus quæ celebrata fuerint a personis, quæ de iure contrahere possint,

uel per capitula dictæ ciuitatis, & super illis rebus, uel de illis, de quibus contrahi posſit de iure, uel secundum capitula prædicta. Et quando dominus Vicarius, siue Iudex fuerint requisiti quod faciant attendi mercata, siue contractus, de quibus in præsenti capitulo fit mentio, teneantur præcipere, & pœnam imponere illi qui fecisset dictum mercatum, seu contractum, seu fecisse diceretur, quòd obseruet mercatum, seu cōtractum prædictum sub pœna prædicta dando terminum quatuor dierum illi personæ, quæ debuerit dictum mercatum, uel contractum adimplere, quas pœnas contrafaciens soluere teneatur, & quando liquerit de mercato, seu contractu prædicto, & posſint super prædictis probationes recipi, etiam sine oblatione libelli, & litis contestatione.

Quòd aliquis non emat instrumenta, vel sit Procurator contra ciuem Montis Reg. nisi vt infra, & de tali iure reddendo extraneo in monte Reg. quale redditur ciui extra Montem Regalem. Caput XXXI.

ITEM statutum est, quòd aliquis de ciuitate MontisRegalis & de eius districtu, uel ibi habitans non posſit, uel debeat emere aliqua instrumenta, siue iura alicuius extranei qui nō sit de dicta ciuitate, uel eius districtu contra aliquem ciuem dictæ ciuitatis: & si contra factum fuerit dicta instrumenta, & acquisitio iurium sint cassa, & nullius ualoris: & D. Vicarius, uel alius Iusdicens inde non faciant rationem, & nullus de dicta ciuitate, uel iurisdictione, nec ibi habitans ad focum, & catenam posſit esse procurator alicuius personæ extraneæ contra aliquem ciuem dictæ ciuitatis, uel iurisdictionis, nec iura cessa ex aliqua causa exigi posſint aliquo modo pro extraneo per aliquem hominem dictæ ciuitatis, uel districtus, nisi aliquis de dicta ciuitate qui haberet iura cessa intercesſisset, seu intercederet pro aliqua persona de dicta ciuitate, uel districtu uersus illum extraneum, a quo haberet iura cessa, & soluisset pro eo; uel nisi esset impeditus pro aliquo de dicta ciuitate occasione alicuius debiti, de quo debito ibi posſit acquirere iura a creditore extraneo, & posſit agere cum effectu, & ualeat iurium cesſio. Posſit tamen non obstante præsenti capitulo quælibet persona, quæ habet reditus, uel aliquas posſesſiones, uel decimas, seu debita annualia, uel fictus in dicta ciuitate uel posse, cōstituere homines de dicta ciuitate uel posse, unū, uel plures procuratores,

ratores, & inde iura cedere, uel uendere quantum ad prædicta superius expressa petenda posſint, etiam non obstante præsenti capitulo illi de familia domini Principis, & de familia domini Episcopi constituere procuratores de dicta ciuitate, uel posse simplices uel in rem suam: Et si aliqua persona de ciuitate prædicta susceperit procurationem alicuius personæ extraneæ, contra formam præsentis capituli, seu iura acquisiuerit de iure, uel de facto, & ipsis iuribus uel procuratione uteretur, incurrat pœnam solidorum sexaginta Asten. postquam ei denunciatum esset per aduersam partem, quòd ipsis iuribus, uel procurationibus non utatur, & aliquis officialis curiæ ciuitatis prædictæ non possit durante eius officio esse procurator ad lites alicuius personæ extraneæ, nec admittatur eius procura, Nec aliquis officialis extraneus, uel aliquis de eius familia possit esse procurator in dicta ciuitate. Et pro limitatione præsentis capituli, etiam statutum est, non obstantibus supradictis quòd in causis & in casibus ciuilibus omnibus fiat, & reddatur tale ius per Iusdicentem in dicta ciuitate Montis Regalis, cuilibet personæ extraneæ in omnibus & per omnia quale fiet, & redderetur homini de dicta ciuitate in terra dictæ personæ extraneæ, per capitula terræ dicti extranei, & dicta persona extranea litigans in foro dictæ ciuitatis probare debeat de modo iusreddendi extraneis in terra sua, & fidem facere de suis capitulis, si quæ allegauerit, & hoc per literas Domini, uel Potestatis, vel Rectoris terræ dicti extranei, sigillatas de dicto Rectoris sigillo, per ostensionem dicti statuti oculata fide fidendam homini de dicta ciuitate, si hoc requisiuerit.

Quòd principalis debitor prius conueniatur quàm fideiussor, & de duobus, uel pluribus debitoribus obligatis in uno instrumento. *Capitu* XXXII.

ITEM statutum est, quòd si plures debitores se obligauerint in uno instrumento, & quilibet insolidum, non obstãte quòd quilibet se obligauerit insolidum, nihilominus non possit conueniri unusquisque, nisi pro rata, seu parte debiti, uel crediti quæ peruenerit ad eum re uera, & hoc intelligatur cum omnes sint soluendo partem suam, siue sui debiti, & aliter non: Si uero aliqua persona de dicta ciuitate, uel posse, uel ibi habitans se pro aliquo obligauerit in aliquo instrumento fideiussorio nomine, uel aliter, non obstante dicta obligatione fideiussor, &

quicunque

quicunque se pro aliquo obligauerit, non possit conueniri, nec exigi, donec principalis debitor conueniatur, & exigatur, si sit præsens, & soluendo, absente uerò principali debitore a dicta ciuitate, uel posse, uel non existente soluendo, tunc fideiussor, uel alius intercessor obligatus pro dicto principali, possit conueniri, & exigi, quemadmodum principalis debitor, si præsens esset, & idoneus ad soluendum, & præsens capitulum sibi uendicet locum, etiam si in instrumento obligationis renunciatum fuerit, beneficio nouæ constitutionis de pluribus reis debendis, & de fideiussore, & epistolæ diui Adriani, nec huic capitulo renuntiari possit, & renuntiatio facta non ualeat, & in casu quo ex forma præsentis capituli unus pro alio exigeretur, creditor teneatur cedere actiones suas illi, cui soluerit pro aliquo, usque in quantitatem ipsi solutam, contra illum pro quo soluerit. In casu verò quo reperirentur aliqua bona illius pro quo fuerit solutum, & illæ qui soluerit pro eo cuius fuerint dicta bona, velit petere dicta bona, pro eius indemnitate. Iusdicens in dicta ciuitate, teneatur tali soluenti, seu qui soluerit pro alio ius summarium ministrare, saluo tamen iure cuiuslibet alterius personæ prætendentis se habere ius in illis bonis.

De banniendo debitore existente nonsoluendo. Capuт. XXXIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate MontisReg. vel districtu, iurauerit corã domino Iusdicente, in dicta ciuitate, uel dixerit se non habere unde soluat creditori, siue creditoribus, & inuenta fuerit non soluendo, tunc Iusdicens in dicta ciuitate, teneatur talem personam sic iurantem vt supra, de dicta ciuitate, & eius districtu, expellere, & etiam præconizari facere in banno, ad postulationem creditoris. Et qui eam hospitatus fuerit, & qui ad bibendum & comedendum tali personæ bannitæ dederit, soluat bannum solidos viginti, non obstante aliqua cessione bonorum quam fecisset, seu fecerit illa persona, quæ inuenta fuerit non soluendo. Et talis persona bannita, totiens quotiens fuerit inuenta in dicta ciuitate uel posse; soluat bannum solidos viginti Asten. Et si non soluerit termino sibi dato per dominum Iusdicentem, fustigetur per plateam dictæ ciuitatis, quotiens fuerit inuenta. Et nihilominus Iusdicens teneatur talem bannitũ expellere, de dicta ciuitate & posse, & ipsum extra tenere, inquantum fuerit de voluntate creditoris. Et præsens capitulum locum habeat contrafa-

tra facientes contra dictum capitulum, uidelicet contra scienter dantes bibere, uel comedere tali bannito.

Quòd emptores teneantur soluere in pecunia numerata.
Caput. XXXIIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona emerit aliquam possessionem, uel aliquã rem immobilem, uel aliquã quantitatẽ vini siue vinũ in aliqua quãtitate, uel aliquas bestias, unã uel plures grossas uel minutas in mercato, siue extra, emptor teneatur soluere uenditori pretiũ talis rei uenditæ, in pecunia numerata tantũ, sine aliquo æstimo alicuius alterius rei, ita quòd inuito uenditore aliud quã pecunia numerata solui nõ posit, propretio alicuius rei cõtentæ in præsenti capitulo. Et præsens capitulũ locum habeat in fauorem creditoris, si iurare uoluerit ad instãtiam emptoris, uel habentis causam ab eo, quòd vinũ vel bestias uel rem immobilem vendiderit tradiderit, seu iurauerit simpliciter, & sine fraude, uel non simulatè, & si iurare noluerit, tunc sit in potestate emptoris, uel habentis causam ab eo solue re secundum formam capituli positi sub rubrica de rebus & bonis debitorum dandis creditoribus insolutum.

De filio emancipato, uel in potestate, qui tamen non stat cum patre. *Caput* XXXV.

ITEM statutum est, quòd filius emancipatus a patre suo, si in illa emancipatione, pater eidem daret bona sua in toto, uel in parte, in præmium emancipationis, teneatur pro patre existente non soluendo in totum uel in parte pro debitis factis ante emancipationem, per dictum patrem, usque in quantitatem bonorum, quæ filius emancipatus habuisset a patre. Et hoc capitulum locum habeat, tam in filiis emancipatis, quàm emancipandis. Et quilibet filius familias, qui stabit, aut staret seorsum, siue separatus a patre suo, uel qui tenuerit per se familiam sine patre in dicta ciuitate uel posse, teneatur & debeat soluere sibi mutuantibus, & tenere firmas, & adimplere emptiones, venditiones, permutationes, siue baratas, & quoscunque alios contractus, uel quasi, quos, & quas, cum aliis celebraret, ac si esset pater familias, & sui iuris. Et pósit in iudicio interesse sine consensu patris. Et quæcunque acta iudicialia per eum, & quæ cum eo facta fuerint, iuris habeant firmitatem, & habeat locum præsens capitulum in omnibus casibus, tam præsentibus quàm futuris.

De

De non contrahendo cum filio familias & minoribus.
Caput. XXXVI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis mutuauerit aliquid alicui filio familias, manenti cum patre in eadem familia, uel alicui minori, uigintiquinque annis, uel aliquem contractum fecerit cum aliquo filio familias, uel minore vt supra, & denunciatum fuerit per filium familias, uel eius patrem, uel per minorem, uel eius tutorem, uel curatorem, uel per aliquem amicum ipsius minoris. Si tutorem, uel curatorem, non haberet, quod instrumentum, siue contractus talis mutui, uel alterius obligationis, factum uel factus fuerit occasione ludi, uel repelli, uel in fraudem ueritatis, D. Iusdicens in dicta ciuitate, teneatur & debeat, facta sibi fide per unum testem cum iuramento minoris, uel filii familias, uel alterius agentis nomine eorum, considerata tamen qualitate personarum & contrahentium. Puta si contrahens cum minore, uel filio familias, & esset tabernarius, uel usurarius, uel lusor, uel ludentes consuetus tenere, facere rescindi dictum contractum, & absoluere minorem, uel filium familias a tali contractu, uel obligatione in dicto contractu cõtenta. Et econtra, si filius, uel minor essent lusores, uel aliter dissoluti, & contraxerint cum persona bonæ famæ, tunc teneatur dictus dominus Iusdicens sequi fidem dicti instrumenti. Et si filius familias etiam cum patre manens, & publice mercata faciens, & consuetus contrahere, & mercari fecerit aliquem contractum, quòd quemlibet contractum, quem dictus talis filius familias cum aliquo celebrasset, teneatur obseruare, & effectualiter adimplere, pro quo bona patris, etiam teneantur; excepto in prædicto cõtractu mutui, in quo filius familias nullatenus teneatur, nec bona patris sint obligata, nisi filius familias mutuum reciperet patre præsente, uel consentiente, aut dictum mutuum in utilitatem ipsius patris esset cõuersum, Et prædicta de filio locum habeant, siue maior sit, siue minor uiginti quinq; annis, dũmodo sit maior decem & octo annorum. & prædictum capitulũ locum habeat in omnibus, & per omnia in contractibus præsentibus, & futuris. Et notarius qui scienter scriberet, seu reciperet aliquod instrumentum, quod fieret occasione ludi, uel repelli sub aliquo ingenio incurrat ipso facto pœnam solidorũ quadraginta Asten. & super hoc possit inquiri per curiam, & legatur istud capitulum ter in anno.

De non

De non faciendo credentiam per tabernarios. *Capue* XXXVII.

ITEM statutum est, quòd aliquis tabernarius, uel tabernaria, uendens uinum ad minutum in ciuitate MontisReg. uel posse, per se uel alium non possit, nec debeat tempore, quo uenderet uinum ad minutum, facere credentiam de aliquibus rebus, seu pecunia alicui personæ ultra solidos quinque Asten. & si de pluri credentiam fecerit, uel fieri fecerit, non audiatur, & instrumenta, & cōdemnationes, quæ inde fierent in futurum sint nulla, & nullius ualoris ultra dictam summam, & si de hoc esset quæstio, uidelicet, quòd diceretur aliquem nomine tabernarii, seu tabernariæ, uel pro eis contraxisse, seu obligationem prædictam, seu condemnationem aliquam recepisse, tunc teneatur dominus Iusdicens facere iurare notarium, qui fecisset instrumentum, & personam quæ diceretur recepisse prædictam obligationem de ueritate dicenda. Et si prædicti, uel aliquis prædictorum iurauerit obligationem prædictam, uel condemnationem fuisse a prædicto tabernario, siue in fraudem ueritatis, uel aliter, & hoc summarie probaretur per illum, qui fecisset dictam obligationem, seu contractum, uel quasi, habeatur proinde, ac si contractus, uel obligatio, seu condemnatio facta esset cum tabernario, uel tabernaria prædictis, nec inde audiatur, ut supra dictum est: Et D. Vicarius teneatur facere legi hoc capitulum in quolibet arengo cōdemnationum. Et istud capitulum locum habeat, & intelligatur in illis tabernariis, & contra illos, qui mutuarent, uel credentiam facerent filiis famil. uel minoribus, uel aliquibus lusoribus, uel infamatis de ludo, uel repello, & non in aliis personis, quibus dicti tabernarii bona fide, & sine fraude credentias facerent.

De non mutuando aliquid filio familias, uel manenti cum alio sub pignore. *Caput* XXXVIII.

ITEM statutum est, quòd aliquis non debeat mutuare, uel præstare alicui filiofamilias, uel alicui famulo uel famulæ cū alio manenti super aliqua re patris, uel domini, nec ab eis, scilicet filio, uel famulis, aliquid emere, quòd sit patris, uel domini, cum quo staret vt supra: & quicunque contrafecerit teneatur patri, uel domino restituere sine pretio rem, uel res super quam mutuasset, uel quam emisset, & idem intelligatur de manentibus cum matribus. Et quicunque contrafecerit, soluat ultra prædictam restitutionem, solidos quinque pro qualibet

L uice

De non contrahendo cum filio familias & minoribus.
Caput. XXXVI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis mutuauerit aliquid alicui filio familias, manenti cum patre in eadem familia, uel alicui minori, uigintiquinque annis, uel aliquem contractum fecerit cum aliquo filio familias, uel minore vt supra, & denunciatum fuerit per filium familias, uel eius patrem, uel per minorem, uel eius tutorem, uel curatorem, uel per aliquem amicum ipsius minoris. Si tutorem, uel curatorem, non haberet, quod instrumentum, siue contractus talis mutui, uel alterius obligationis, factum uel factus fuerit occasione ludi, uel repelli, uel in fraudem ueritatis, D. Iusdicens in dicta ciuitate, teneatur & debeat, facta sibi fide per unum testem cum iuramento minoris, uel filii familias, uel alterius agentis nomine eorum, considerata tamen qualitate personarum & contrahentium. Puta si contrahens cum minore, uel filio familias, & esset tabernarius, uel usurarius, uel lusor, uel ludentes consuetus tenere, facere rescindi dictum contractum, & absoluere minorem, uel filium familias a tali contractu, uel obligatione in dicto contractu cõtenta. Et econtra, si filius, uel minor essent lusores, uel aliter dissoluti, & contraxerint cum persona bonæ famæ, tunc teneatur dictus dominus Iusdicens sequi fidem dicti instrumenti. Et si filius familias etiam cum patre manens, & publice mercata faciens, & consuetus contrahere, & mercari fecerit aliquem contractum, quòd quemlibet contractum, quem dictus talis filius familias cum aliquo celebrasset, teneatur obseruare, & effectualiter adimplere, pro quo bona patris, etiam teneantur, excepto in prædicto cõtractu mutui, in quo filius familias nullatenus teneatur, nec bona patris sint obligata, nisi filius familias mutuum reciperet patre præsente, uel consentiente, aut dictum mutuum in utilitatem ipsius patris esset cõuersum. Et prædicta de filio locum habeant, siue maior sit, siue minor uiginti quinq; annis, dũmodo sit maior decem & octo annorum. & prædictum capitulũ locum habeat in omnibus, & per omnia in contractibus præsentibus, & futuris. Et notarius qui scienter scriberet, seu reciperet aliquod instrumentum, quod fieret occasione ludi, uel repelli sub aliquo ingenio incurrat ipso facto pœnam solidorũ quadraginta Asten. & super hoc possit inquiri per curiam, & legatur istud capitulum ter in anno.

De non

De non faciendo credentiam per tabernarios. Capu XXXVII.

ITEM statutum est, quòd aliquis tabernarius, uel tabernaria, uendens uinum ad minutum in ciuitate MontisReg. uel posse, per se uel alium non possit, nec debeat tempore, quo uenderet uinum ad minutum, facere credentiam de aliquibus rebus, seu pecunia alicui personæ ultra solidos quinque Asten. & si de pluri credentiam fecerit, uel fieri fecerit, non audiatur, & instrumenta, & cōdemnationes, quæ inde fierent in futurum sint nulla, & nullius ualoris ultra dictam summam, & si de hoc esset quæstio, uidelicet, quòd diceretur aliquem nomine tabernarii, seu tabernariæ, uel pro eis contraxisse, seu obligationem prædictam, seu condemnationem aliquam recepisse, tunc teneatur dominus Iusdicens facere iurare notarium, qui fecisset instrumentum, & personam quæ diceretur recepisse prædictam obligationem de ueritate dicenda. Et si prædicti, uel aliquis prædictorum iurauerit obligationem prædictam, uel condemnationem fuisse a prædicto tabernario, siue in fraudem ueritatis, uel aliter, & hoc summarie probaretur per illum, qui fecisset dictam obligationem, seu contractum, uel quasi, habeatur proinde, ac si contractus, uel obligatio, seu condemnatio facta esset cum tabernario, uel tabernaria prædictis, nec inde audiatur, ut supra dictum est: Et D. Vicarius teneatur facere legi hoc capitulum in quolibet arengo cōdemnationum. Et istud capitulum locum habeat, & intelligatur in illis tabernariis, & contra illos, qui mutuarent, uel credentiam facerent filiis famil. uel minoribus, uel aliquibus lusoribus, uel infamatis de ludo, uel repello, & non in aliis personis, quibus dicti tabernarii bona fide, & sine fraude credentias facerent.

De non mutuando aliquid filio familias, uel manenti cum alio sub pignore. Capu XXXVIII.

ITEM statutum est, quòd aliquis non debeat mutuare, uel præstare alicui filiofamilias, uel alicui famulo uel famulæ cū alio manenti super aliqua re patris, uel domini, nec ab eis, scilicet filio, uel famulis, aliquid emere, quòd sit patris, uel domini, cum quo staret vt supra: & quicunque contrafecerit teneatur patri, uel domino restituere sine pretio rem, uel res super quam mutuasset, uel quam emisset, & idem intelligatur de manentibus cum matribus. Et quicunque contrafecerit, soluat ultra prædictam restitutionem, solidos quinque pro qualibet

uice nomine pœnæ: Et si quæstio esset de dominio rei pignoratæ, uel uenditæ, tunc stetur, & stari debeat iuramento patris, uel matris, uel domini, quibus vel quorum alter si iurauerint rem esse suam credatur, & res tradatur sine aliqua solutione, & sine aliqua dilatione, uel mora.

Quòd furiosi, fatui, uel mente capti contrahendo nullatenus possint obligari. Capue. XXXIX.

ITEM statutum est, quòd nullus furiosus, fatuus, stultus, vel mente captus, masculus, vel fœmina, de ciuitate Montis Reg. vel districtu, posit aliquo modo donare aliquid, uel aliquem cōtractum facere, aliqua ratione, uel causa, uel bona sua aliqualiter obligare, nisi hoc faceret tutor, uel curator eorum, uel nisi aliquid prædictorum fieret in præsentia domini Vicarii, uel Iudicis dictæ ciuitatis, & trium, uel plurium consanguineorum suorum, & si aliter factum fuerit non ualeat aliquis contractus ipso iure.

De donationibus excedentibus uiginti quinque libras, cum insinuatione iudicis faciendis. Capue XL.

ITEM statutum est, quòd nulla persona de ciuitate Montis Regalis, uel posse, posit facere donationem de aliqua re mobili, uel immobili, uel in iure consistente, quæ excedat ualorem librarum uiginti quinque Asten. nisi cum insinuatione Iudicis, quæ scribatur in actis curiæ, interueniente auctoritate D. Vicarii, uel Iudicis, & in præsentia duorum uel trium proximiorum, dictæ personæ donantis, uel duorum, vel trium amicorum, si proximos non haberet consanguineos, uel affines: aliter non ualeat dicta donatio. Et si iuratum fuerit per donantem in instrumento donationis, non propter hoc valeat dicta donatio, sed rescindatur. Et nullius valoris esse intelligatur, nisi in ea interuenerint supra scripta, præsumatur fictitium, & simulatum, ita quòd nulla fides ei adhibeatur. Et notarius qui receperit, uel fecerit instrumentum contra formam præsentis capituli, incurrat pœnam librarum uigintiquinque Asten. pro quolibet & qualibet vice. Et teneatur ad omne damnum, & interesse illius personæ, quæ læsa esset ex dicto contractu uel instrumento, & ei credatur de suo damno, & interesse, suo sacramento, sine alia probatione. Eo saluo quòd præsens capitulum non habeat locum in donationibus factis in testamentis, uel aliis ultimis voluntatibus, nec etiam in uenditionibus, nec

In repudiationibus mulierum, quas faciunt fratribus, uel aliis dum repudiant parentum, uel attinentium hereditates, uel aliter eas refutant.

Item additum est supra scripto capitulo, ibi dum dicit, in præsentia duorum uel trium proximiorum, dictæ personæ donantis, uel duorum uel trium amicorum, si proximiores non haberet consanguineos, uel affines, addatur ut supra, præsentium, uolentium, & consentientium, & aliter non ualeat dicta donatio.

De extraneo admonendo vt soluat debitum homini ciuitatis Montis Regalis. Caput. XLI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis extraneus deberet dare uel in aliquo teneretur cum charta, uel sine charta alicui, homini de ciuitate MontisRegalis, uel eius districtu, uel ibi habitanti, D Vicarius dictæ ciuitatis teneatur, & debeat, per suas literas admonere, si de hoc fuerit requisitus, illum extraneum, ut soluat id quod debet habitatori uel ciui dictæ ciuitatis, infra vnum mensem, postquam fuerit admonitus, uel probet si voluerit solutionem factam esse, eius de quo admoneretur, si quam probare voluerit, quòd si non soluerit, uel soluere noluerit, nec solutionem debiti probauerit, D. Vicarius dictæ ciuitatis, teneatur ciuem, uel habitatorem suum iuuare, & manu tenere ad consequendum ius suum, & facere sibi chartam capiendi de rebus illius debitoris, & aliorum hominum illius terræ, in qua dictus debitor esset soluendo in loco habitationis suæ, aliter non concedatur cambium, nec etiam concedatur cambium, si creditor de dicta ciuitate, uel ibi habitans, posset habere iustitiam de debitore, in loco eius habitationis, & quòd sibi redderetur ius tanquã aliis habitatoribus, loci debitoris, ita tamen quòd ius ibi reddatur, ibidem & iustitia fiat, & sententia in dicta ciuitate feratur, infra quadraginta dies vtiles, a die eius petitionis numerandos, aliter elapso dicto termino, si infra eum causa finita non fuerit, & per dictum de dicta ciuitate, non steterit quin iudicetur per acta, uel debitum solutum non fuerit, tunc detur cambium ad creditoris instantiam, vt supra. Et teneatur in casibus præsentis capituli, D. Vicarius siue magistratus dictæ ciuitatis MontisRegalis, quotiens casus eueniret scribere literas rectori terræ debitoris extranei, in quibus notificet, quòd ius redda-

tur dicto ciui, infra tempus prædictum, & etiam continentiam statuti præsentis.

De cambio dando pro furto, vel robaria facta contra hominem ciuitatis MontisRegalis & poderij. *Caput.* XLII. 151

ITEM statutum est, quòd si aliqua robaria facta fuerit, seu furtum aliquod, alicui personæ de ciuitate MontisRegalis, uel eius districtu, uel ibi habitanti in dicta ciuitate, uel districtu, & dicta robaria, seu furtum reducta fuerint, seu receptata, in aliqua terra, uel apud aliquam personam, quæ venerit ad notitiam curiæ ciuitatis prædictæ, magistratus dictæ ciuitatis, teneatur & debeat ad instantiam damnum passi, scribere literas D. uel rectori illius terræ, in qua robaria, uel furtum receptata uel reducta essent, requirendo illum dominum, uel rectorem, quatenus dictam robariam, siue furtum, cum damnis & expensis, restitui faciat dictæ personæ damnificatæ & districtuali dictæ ciuitatis, & proinde iustitiam faciat de se reducentibus ad eius terram, cum dicta robaria, siue furto notificando, & quòd ipse magistratus in casu consimili, idem faceret pro eodem. Et si quidem dominus, uel rector terræ, in quam furtum uel robaria, reducta essent, ad primas literas præmissa non fecerint, tunc magistratus dictæ ciuitatis, teneatur & debeat, secundo alias literas mittere, similis continentiæ primarum literarum, hoc adito in fine secundarum, quòd si iustitiam, uel restitutionem de robaria, seu furto, & eius factore fieri non fecerit, ipse magistratus dictæ ciuitatis, contra res & homines, siue districtuales, talis domini terræ reducentis, dabit cambium damnum passo, & eidem de indemnitate prouidebit omnimode. Et si quidem dominus uel rector terræ reducentis, ad secundas literas restitutionem fieri non fecerit, tunc magistratus dictæ ciuitatis MontisRegalis, teneatur & debeat dare cambium eius districtuali, contra homines & bona illius terræ ad quam furtum, uel robaria, reducta fuissent, ut suprà, Et idem intelligatur, & in omnibus, & per omnia fiat, ut supra ordinatum est per magistratum dictæ ciuitatis, contra quemlibet dominum uel rectorem alicuius terræ uel loci, in qua aliquis districtualis dictæ ciuitatis turbatus esset, uel ei aliqua bona derobata, aut deprædata, seu res furtiuè subtracta, hoc addito, quòd aliqua persona de dicta ciuitate, uel eius districtu, non audeat, uel præsumat reducere, uel receptare, uel per ali-

quem modum emere aliquam robariam, uel aliquod furtum, extra districtum dictæ ciuitatis factam, uel factum, Nec debeat manuleuare aliquem forensem, seu intercedere pro aliquo forensi, qui furtum, uel robariam alicui contraxisset, & si contrafieret, & contrafaciens damnum aliquod pateretur, sibi imputet, & nullum subsidium, uel fauorem habere debeat a communi dictæ ciuitatis, nec possit habere cambium aliquod contra aliquam personam aliquo modo, uel represalias, occasione præmissa, Et quicunque reduxerit, uel uendiderit furtum, uel robariam alibi factam in dicta ciuitate, uel posse capiatur, & puniatur, si fieri poterit, secundum formam iuris, & capitulorum dictæ ciuitatis, & rem restituat libere, & sine aliquo pretio domino repetenti, & cuilibet derobato, credatur de robaria sibi facta cum iuramento, si fuerit homo bonæ famæ, & præsens capitulum, non habeat locum contra subditos domini nostri Principis, sed habeatur recursus ad ipsum dominum Principem.

De recuperanda possessione ratione parentelæ, uel consortitus. Caput XLIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate Montis Regal. vel posse, uel ibi habitans uendiderit aliquam rem immobilem positam in ciuitate prædicta, uel posse, uel iura super aliqua re immobili, sibi competentia alicui personæ, propinquiores consanguinei uenditoris possint recuperare, & habere dictam rem uenditã, seu iura quæ uendita fuissent ab emptore, pretio quo dicta res, seu iura in rei ueritate uendita fuerint, Et intelligantur propinquiores consanguinei, siue de parentela, filii & ceteri descendentes, non in potestate constituti tempore uenditionis, pater & mater, auus & auia, & fratres & sorores, & nati ex fratribus, & sororibus, ex legitimo matrimonio, & patrui, & auunculi, & admittantur prædicti secundum ordinem gradus, scilicet, primo filius emancipatus, & ceteri imposterum descendentes, non in potestate constituti: secundo pater & mater, auus & auia: tertio fratres & sorores, & nati ex fratribus, & sororibus: quarto patrui, & auunculi: quinto consanguinei nati ex fratribus, uel sororibus, uel nati ex fratre, uel sorore. Hoc expressim intellecto, quòd æquales in gradu, si plures fuerint, æqualiter admittãtur, si omnes uoluerint, alioquin prius recuperare uolentis melior sit conditio, id est, si primus pretium obtulerit illi, qui rem acquisiuerat, & sic de aliis

ſequentibus gradibus, ſecundũ ordinem prædictum. Et ad prædicta admittantur prædicti propinqui, ſeu conſanguinei unus ſolus, ſi aliis proximior eſſet, uel plures modo prædicto, uſque ad ſex menſes continuos, a die uenditionis computãdos, ſi nulla crida facta fuerit modo inferius deſcripto. Et intelligatur dictam uenditionem fore factam, a die contractus celebrati.

Si verò emptor fecerit cridare publice in platea dictæ ciuitatis, & ante domum uenditoris, in die mercati duabus uicibus per interuallũ octo dierũ, inter unam cridã, & aliam, quòd ipſe emptor emit talem rem, nominãdo ipſam, & eius cohærentias, & quòd ſi aliquis vult prædictam rem recuperare ratione parentelæ, faciat ſe ſcribi in libro cridarum curiæ MontisRegalis, infra terminum octo dierum, a die cridæ: Tunc elapſo termino ultimæ cridæ, admittãtur prædicti propinqui, ſecundum graduum prærogatiuam, infra unum menſem, inter præſentes, & infra tres menſes, inter abſentes. Et poſsint poſteriores propinqui denuntiare prioribus in ordine, ſiue gradu, quòd ſi uolunt dictam rem uenditam habere, eam habeant, & recuperent, & de hoc teneantur denunciantibus reſpondere, infra tertiam diem, a die denunciationis prædictæ. Et ſi ille, cui facta fuit denunciatio prædicta, infra dictũm terminum non reſponderit, quòd dictam rem uenditam ſibi habere uult, uel ſi reſponderet ſe uelle dictam rem ſibi habere, & pretium non ſoluerit infra octo dies, aperiatur denuntianti ad habendum rem prædictam, ſiue recuperandam, ut ſupra.

Et ſi nullus fuerit de propinquis ſupradictis, admittãtur conſortes, ſcilicet qui tenent iuſta rem uenditam, uel ſuper qua ita uendita fuerint, ut ſupra de propinquis eſt expreſſum: Si uerò propinqui fuerint, & tempore fuerint excluſi, ut in præſenti capitulo continetur, tunc admittantur conſortes prædicti infra unum menſem continue computandum a die excluſionis propinquorum: Et ille conſors admittatur, & præferatur ceteris conſortibus in caſibus ſupradictis, qui primo rem emit ab emptore, uel acquiſitore, uel ei pretium obtulerit, Et ſaluò, quòd ſi emptor eſſet de propinquis, uel conſortibus, quòd alii conſortes non admittantur, nec alii propinqui, niſi eſſent priores in gradu, uel aliquis de prædictis propinquis, non tamen in gradu proximior, uoluerit ratione conſortitus, uel parentelæ rem aliquam recuperare non poſsit emptor ei obiicere, quòd

alius in gradu proximior eum precedit, ita tamen quòd per hoc nullum faciat præiudiciũ in gradu proximiori, si rem prædictam habere uoluerit, & recuperare ab emptore, uel a propinquis in gradu posterioribus, ubi proximiores essent exclusi tempore.

Et emptor, seu qui emisse diceretur, ut supra, quandocunque per consanguineos, uel consortes coram domino Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis fuerit requisitus, teneatur præstare dicto Iusdicenti, & parti hoc quærenti instrumentum emptionis, & cuiuslibet acquisitionis, quàm fecisset de rebus prædictis cum die, & consule, & iurare dicere uerum pretium, quòd iuramentum uenditor similiter præstare teneatur, quorum magis idoneo credatur in arbitrio Iudicis, si non fuerint concordes. Et notarius, qui de uenditione prædicta instrumentum recepisse diceretur, protocollum suum ostendat, & de ipso copiam faciat Iudici, & rem prædictam recuperare uolenti. Teneatur etiã emptor cuilibet, qui ex forma præsentis capituli ratione parentelæ, uel consortitus ad rem prædictam recuperandam fuerit admittendus, facere instrumentum uenditionis, & iura cedere, & rem tradere, sub pœna dupli, parti petenti applicanda. Ita tamen, quòd de euictione non teneatur, nisi pro facto suo tãtum, recepto tamen, uel ei oblato, & deposito pretio, quod dederit. cum expensis conuenientibus, si quas in re fecisset arbitrio iudicis moderãdis, si de ipsis discordia orir etur. De eo uerò, quòd dare debuerit, & restabit secundum terminos, & solutiones ordinatas, inter ipsos emptorem, & uenditorem, teneatur ipse accurrere uolens banchum idoneum facere in præsenti ciuitate, & penes idoneum mercatorem, de soluendo illud in ipsis terminis, & solutionibus assignatis inter uenditorem, & emptorem. Quæ autem dicta sunt in emptore, locum habeant in eius hæredibus.

Supra prædictis uerò iuribus consortitus, & parentelæ, siue consanguinitatis, nulla posit cesio uel alienatio fieri, & si facta fuerit omni careat firmitate. Et ille qui aliquam rem recuperare uoluerit ratione parentelæ, uel consortitus, teneatur iurare, si de hoc fuerit requisitus, quòd re uera, sibi rem prædictam acquirere uult sine fraude, & sine proposito in alium transferendi, nec posit aliqua persona rem aliquam uendere, alienare, uel acquirere causa faciendi fraudem super his, quæ in præ-

ſenti capitulo continentur, ſuper quo quilibet requiſitus ſe purgare, & ſuam cõſcientiam exonerare poſsit, & debeat, proprio iuramento, quod iuramentum D. Vicarius, uel Iudex deferat, & taliter ſicut ei uidebitur conuenire, & qui fraudem commiſerit, reſtituat intereſſe illi, in cuius fraudem quid factum fuerit ſacramento damnificati declarandum.

Et ſi qua perſona rem aliquam uendere uoluerit, poſsit denuntiare ſuis conſortibus, & conſanguineis, ut ſupra, quòd dictam rem emant, dicendo & iurando, ſi de hoc fuerit requiſita, pretium quòd re uera de re, quam uendere uult, ab alio habere poteſt: quam denunciationem facere teneatur coram D. Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis, uel coram duobus teſtibus, & uno notario, qui de hoc recipiat inſtrumentum. Et ſi tunc ille conſors, uel conſanguineus, ſeu propinquus, cui facta fuerit dicta denunciatio, non reſponderit infra tres dies, ſe uelle habere dictam rem, uel ſi reſponderit ſe uelle habere dictam rem, & pretium non ſoluerit infra menſem, ſi pretium fuerit a libris quinquaginta uel infra, aut infra duos menſes, ſi pretium fuerit a libris quinquaginta ſupra, tunc ille conſanguineus, uel conſors, cui dicta denunciatio facta fuerit, excluſus ſit a beneficio præſentis capituli ipſo iure. Et poſsit denuntians prædicto modo rem, de qua denunciationem fecerit, uendere, & alienare ad ſui libitum, quãtum ad illos quibus dicta denunciatio facta eſt.

Quæ autem dicta ſunt in emptione, & uenditione locum habeant in dationibus inſolutum, & in uenditionibus fictorum, ita tamen, quòd ſi per æſtimatores communis aliqua res data fuerit inſolutum, non habeat locum præſens capitulum, niſi tranſacto ſpatio unius anni. Si uero res aliqua fuerit pro parte uendita, & pro parte donata, ſiue permutata præſumatur eſſe pura uenditio, & in totum, & non donatio, niſi pars uendita bene ualuerit pretium conuentum, quo caſu præſens capitulum uendicet ſibi locum in parte uendita tantum.

Et ſi aliqua perſona de conſanguineis, uel de conſortibus dicat ſibi in aliqua re ius competere ratione conſortitus, uel parentelæ ex forma præſentis capituli, ille uerò qui dictam rem acquiſiuerit, dicat ſe tali titulo acquiſiuiſſe, quòd ius parentelæ uel conſortitus nulli competit ex forma præſentis capituli in dicta re, teneatur acquiſitor & alienator, coram domino Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis, cum ſacramento manifeſtare, &

declara-

declarare titulum uerum quo dictam rem acquisiuerit, & magis idoneo credatur, arbitrio Iusdicentis: Et postea procedatur secundum formam præsentis capituli.

Et in omnibus, & singulis casibus supra dictis procedatur summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, & sine libello, non obstante capitulo de causis diffiniendis infra quadraginta dies &c. Et posit dominus Vicarius, siue Iudex, & quilibet Magistratus, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate, occasionibus prædictis, & qualibet earum imponere pœnas, & banna, usque in libras decem, ad suam liberam uoluntatem aliquo capitulo non obstante, & hoc capitulum habeat locum in futuris casibus, hoc tamen denique semper intellecto, quòd ille qui recuperare uoluerit ratione parentelæ, seu cōsortitus, teneatur prius soluere cum effectu denarios duos pro qualibet libra pretii, pro quolibet mense illi, qui emisset talem rem quò recuperaretur prædicta ratione, si soluerit dictum pretium, uel de eo quod soluerit.

In omnibus uerò casibus supradictis prius admittantur consanguinei agnati, usque ad quartum gradum, secundū gradum & ordinem superius declaratum, & præferantur dicti agnati, quibuscunque cognatis, & postmodum admittantur dicti cognati, secundum ordinem prædictum, usque ad quartum gradum, postremo admittantur dicti consortes.

Item cum ex longa experientia situm sit multas, & crebras committi fraudes in alienationibus rerum, maximè permutando, & aliis pluribus modis, ut impediantur recuperationes ipsarum, & excludātur ratione parentelæ, uel consortitus, accurere uolentes & recuperare, secūdum saluberrimam dispositionem statuti suprascripti. Ideo omnibus fraudibus pro posse obuiare uolentes, statuerūt, quòd si fiat de cetero permutatio, de re mobili, ad immobilem, vel ecōtra de immobili ad mobilem, quòd talis contractus sit, & intelligatur, contractus veræ emptionis, & venditionis, quo ad hoc, vt volentes recuperare ratione parentelæ, aut consortitus, illam, vel illas recuperare posint, non obstante antiquo statuto, cui ad hoc derogarunt: Et pretium talis rei uerum ipso casu intelligatur, quod æstimatores communis dictauerint, sumptibus recuperare uolentis, Si uerò fieret permutatio de re immobili ad immobilem, liceat etiam parentibus, secundum ordinem gradus ueteris statuti, & consortibus

illam

illam recuperare, modo quo supra declarari faciendo, nisi qui talem contractum rei immobilis, ab immobilem fecisset, extiterit rei sibi traditæ ab altero, & alter ab unó, consors, id est, quòd is cum quo permutasset, habuisset rem contiguam suæ, & ipse alter contrahens etiam haberet rem contiguam rei alterius, & sic fecissent ipsam permutationem quisque ipsorum ad ampliandum eius prædium. Et talis permutatio durauerit tribus annis, per ipsos met contrahentes, possidendo & fructus præcipiendo, a die rogati instrumenti ipsius contractus, aliter proinde liceat recuperare, ac si fuisset a principio verus contractus emptionis & uenditionis celebratus: Et quòd in accurrimentis teneatur accurrere uolens, implorare obseruantiam statuti, præfingentis terminum sex mensium continuorum instantiæ, quæ nullo modo prorogari possit, remanente in cæteris, antiquo statuto in suo robore firmitatis. Et qui depositam pecuniam, aliquo sub colore, uel ingenio a deposito leuauerit, uel acceperit, antequam ius dicatur, sit incapax talis recuperationis, & ab illa sit ipso iure exclusus, & habeatur proinde, ac si nullum depositum fecisset.

Item ad euitandum multa dubia, quæ iam exorta sunt & in futurum exoriri possent super capitulo de recuperanda possessione, addendo & declarando, statuerunt & ordinauerunt, quòd ubi dicitur in. §. super prædictis, ibi, nec possit aliqua persona, rem aliquam vendere, &c. Quòd si facta fuerit aliqua venditio de aliqua re, quæ recuperari possit, ut in dicto capitulo, quòd talis emptor non possit dictam rem emptam alteri uendere, nec alienare, nec iura sua cedere, præterquam accurrere uolenti, & possenti infra tempus statuti ad ipsam accurrendam & recuperandam, ratione parentelæ, uel consortitus, & si aliter factum fuerit, non ualeat talis uenditio, uel iurium cessio, imò accurrere uolens, ratione parentelæ, uel consortitus, in ipsa prima uenditione admittatur, secundum formam dicti capituli. Et quòd, vbicunque dicitur, admittantur agnati & cognati usque ad quartum gradum, intelligantur ipsi gradus, & dinumerentur secundum formam iuris canonici. Et præsens capitulum & additio trahatur ad futura, non obstantibus aliis contentis in ipso capitulo.

Item quia propter acquisitiones bonorum immobilium, quæ fiunt, & fieri asseruntur a forensibus, in & super finibus præsen-

tis ciuitatis ea posse, damna eueniunt Reipublicæ, & etiam singularibus personis, statutum & ordinatum est, quòd quælibet persona præsentis ciuitatis posse & mãdamenti eiusdem, etiam si consors non foret talis rei acquisitæ, nec consanguinea personæ uendentis, posit & ualeat quamcunque rem immobilem, de cetero acquirendam, quocunque titulo per aliquam personam forensem, a quacunque persona ciue, uel forense, accurrere semper, & quandocunque eidem placuerit, faciendo tamen depositum pretii, uel ualoris talis rei, & si permutatio facta foret, & non uenditio, & si contentio foret de ualore talis rei permutatæ, debeat fieri æstimatio ipsius rei, per duos bonos uiros, a partibus eligendos, & si tales personæ electæ non possent esse concordes infra octo dies, quòd per æstimatores, qui pro tempore fuerint præsentis ciuitatis, id debeat & posit uideri summariè, & sine lite terminari, & æstimatio fieri, hoc tamen expressato, & intellecto, quòd cõtinentia præsentis capituli non uendicet sibi locum in domibus, & tectis, existentibus in ciuitate, & infra uillas iurisdictionis, & mandamenti eiusdem, circa quas alterius capituli de accurrimentis mentionem facientis obseruetur dispositio.

Item præfato statuto, additũ, & immutatum est, quod etiam casiamenta, tecta, & sedimina domorum, & tectorum quæ acquisita fuerint, uel acquirentur, per quamcunque personam forensem in ciuitate præsenti, ac iurisdictione, & uillis eiusdem sitas, & sita, accurri posint a quacunque persona, ciue, & de posse dictæ ciuitatis, prout, & quemadmodum accurri possunt aliæ possesiones, & res immobiles, secundum formam statutorum, & additionum, non obstante clausula, quæ est in fine antecedentis capituli, qua fit mentio, quod ipsum capitulum, seu additio non habeat locum in domibus, & tectis existentibus in ciuitate, & infra uillas iurisdictionis, & mandamenti eiusdem. Et intelligãtur forenses in præsenti capitulo omnes illi, qui non fuerint recepti in Ciues, secundum formam capituli.

Item quamquam pro euidenti, tã Reipublicæ quàm priuatarum personarum utilitate, & commodo saluberrime per statuta, & additiones factas in materia accurrimenti, tam ratione parentelæ, & consortitus, quàm etiam contra forenses prouisum extiterit. Sitque in eis cautum, & prohibitum emptori infra tempus accurrendi, rem ipsam emptam alteri uendere, uel

alienare

alienare, uel iura cedere præterquam accurrere uolenti: Et si aliter factum fuerit talis iurium cessio, uenditio, uel alienatio non ualeat: Imò ea non obstante admittatur accurrere uolens, quia tamen ex diuersitate corporũ insurgit animorum diuersitas. Sintque mille hominum species, & velle suum cuique est, Nec uoto uiuitur uno, Dubitare aliquando contingit, an talis prohibitio alienandi, uendendi, & cedendi iura, de qua supra sibi locum uendicet, etiam, quando contra forenses fit accurimentum. Igitur simulationis & fraudis materiam, quæ in ipsis accurimentis frequens est (experientia teste) trũcare uolentes, & ciuiũ utilitati, sublatis dubietatibus consulere. Declararunt prædictam prohibitionem, alienationis, uenditionis, & iurium cessionis, infra tempus accurrendi factam, ac annullationem contractus, militare, procedere, & locum sibi uendicare, etiam in accurrimentis cõtra forenses factis, & in futurum fiendis, Ita, & taliter, quòd omnis alienatio, uenditio, & iurium cessio infra tempus accurrendi a forense, cuicunque personæ facta, uel fienda infra annos decem, a die alienationis, uel iurium cessionis, computandos, nullius penitus sit ualoris, & ea non obstante procedat accurrimentum contra forensem, perinde ac si facta non foret. Et præsens declaratio, tam ad præterita, quàm ad futura, & quam etiam ad causas, quocunque modo etiam per appellationem, uel supplicationem pendentes trahatur.

Item addendo statuerunt, quia sæpe contingit, forenses recipi in ciues, qui solum cupiunt effici ciues, ad euitandum accurrimenta temporis decem annorum, quæ fieri possunt cõtra eos, & nõ aliter, vt euidens experientia edocet, & sic Respublica læditur, & ciues accurrere uolentes. Ideo statuerunt, quòd si de cetero aliqui recipi in ciues attentauerint, quod nihilominus contra tales receptos habeat locum ius accurrendi, per spatium decem annorum, postquam recepti fuerint in ciues, quibuscunque statutis in contrarium disponentibus, non obstantibus. Soluereque teneneantur tales, qui recipientur, & obseruare ordinamenta, & conditiones, in statuto, de acceptando, uel non acceptando aliquem in ciuem. Et præsens statutum uendicet sibi locum, etiam in his, qui fuerunt in ciues acceptati, qui hactenus nullam acquisiuerunt, nec habent domum in præsenti ciuitate. Et quòd omnes suprascripti acceptati, & acceptandi, non possint exercere aliquod officium publicum in ciuitate, nisi lapsis

decem

decem annis, postquam fuerint recepti.

Item vt Reipublicæ vtilitati sit prouisum, vt quæ populares personæ diutius non frustrentur, ac fatigentur laboribus, & expensis, sed ut omnibus celerius quàm fieri possit iustitia ministretur, Statuerũt, & ordinauerunt quod instantia omniũ, & singularum causarum accurrimentorũ, sit & esse debeat sex mensium continuorum tantum, inchoandorum a die oblati libelli, vel datæ petitionis, & non ultra, non obstantibus quibuscunque statutis, & additionibus in contrarium disponentibus, quibus derogatum esse uoluerunt. Infra quos sex menses teneantur domini officiales, & Iusdicentes, omnibus implorantibus obseruationem præsentis statuti ipsas causas omnes & singulas diffiniuisse, & per sententias diffinitiuas terminasse, sub pœna periurii, & ulterius sub pœna decem librarum pro qualibet causa non decisa ipso iure & facto incurrenda, applicanda pro dimidio Fisco & pro alia dimidia parti de eo conquerenti, de qua possit syndicari, & ulterius ad interesse partis damnum passæ teneatur. Citius autem si possibile fuerit, etiam teneantur diffinisse. Et infra quindecim dies, a die exhibitionis actorum realiter apud Iudicem dimissorum per literas testimoniales, postquam per partes fuerit petitũ ius sub eadem pœna, modo quo supra incurrenda, & applicanda, teneatur ius dixisse, & sententiasse.

De eo qui non soluerit fictum, uel debitum in termino, non perdat possessionem, sed aliter puniatur, vt infra.

Caput. XLIIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de ciuitate Montis Regalis, uel posse, quæ habuerit, uel tenuerit, aut conduxerit aliquam rem immobilem, seu possessionem, ad fictum, uel ad aliud debitum, teneatur & debeat soluere fictum seu debitum, in termino de quo conuentum fuerit inter personam; quæ dictam rem habuit ad fictum, uel conduxerit ut supra, & personam quæ dederit, uel locauerit. Et si quidem emphytheota, uel qui talem rem conduxerit, non soluerit in termino conuento, ut supra, & tribus uicibus monitus fuerit per Iusdicentem, uel decanum curiæ, quòd solueret domino, uel locatori rei emphytheoticæ ut supra, infra terminos sibi assignatos per dictum D. Iusdicentem, uel decanum, ut supra, tunc D. Iusdicens teneatur ad instantiam creditoris, emphytheotam siue debitorem facere personaliter detineri & arre-

ſtari, de qua detentione ſiue arreſto, non relaxetur, nec relaxari debeat, donec integrè ſoluerit domino, uel locatori, ut ſupra debitum uel fictum, prout conuentum fuerit, & expenſas factas occaſione dictarum citationum, in pecunia numerata tantum, & hoc ſine aliqua alia condemnatione, uel dilatione temporis, uel alterius defenſionis. Et ultra incurrat talis debitor, contumax in pœnam vnius ſolidi pro libra, quantitatis ficti, uel debiti prædicti, & non ualoris rei, quæ pœna incontinenti ſine aliqua condemnatione, & antequam relaxetur vt ſupra, exigatur & ſoluatur pro dimidia creditori, & pro alia dimidia D. & communi. Hoc intellecto in principio medio & fine præſentis capituli, quòd propter ceſſationem ſolutionis debiti, uel ficti vt ſupra, poſſeſsio uel res emphyteotica, uel locata vt ſupra, propterea non perdatur, nec reuertatur ad dominum, ſed ſufficiat domino uel locatori, quòd emphyteota, uel conductor puniatur vt ſupra. Nec poſsit emphyteota uel conductor rem ſibi in emphyteoſim datam uel locatam, nec a contractu, uel pactis ſuper inde factis diſcedere uel contrauenire, niſi de voluntate domini uel locatoris, quinimo teneātur partes talia pacta, inuiolabiliter obſeruare. Et prædicta locum habeant in fictis perpetuis: In aliis verò quæ ſunt data ad certum tempus, poſsit emphyteota, ſiue ille qui tenetur ſoluere fictum, & debitum, emere dictam rem emphyteoticam, ſiue releuare, & liberare dictum fictum, dando & ſoluendo vnam libram pro quolibet ſolido dicti ficti, ſiue viginti ſolidos pro ſingulis duodecim denariis, qui pro ficto debentur.

Quo tempore debeant ſolui penſiones domorum, & aliarum rerum locatarum. Caput. XLV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd penſiones domorum, ſeu loeria, & etiam aliarum rerum mobilium, uel immobilium, quæ locantur uel dantur ad penſionem, uel certum loerium pro ſingulis annis, uel ſingulis menſibus ſoluantur & ſolui debeant, per conductores ſiue penſionatores, in terminis de quibus conuentum fuit, inter partes: Et ſi conuentũ nõ fuerit, ſed ſimpliciter dictum, quod tantum debeatur in anno uel in menſe, tunc ſoluatur dimidia pars penſionis, in medio anno, uel in medio menſe, & alia dimidia in fine anni uel menſis. Et omnes res mobiles, per conductores, uel penſionantes, portatæ uel aliter poſitæ in domum conductam, uel ad penſionem acceptam, ſint

ſemper

ſemper & eſſe intelligantur obligatæ domino, uel locatori, pro penſione domus: Et in ipſis uel earum iure dominus, uel locator ſit potior & melior, quãtum ſit pro quantitate debita, nomine penſionis, quàm alii creditores etiam tempore anteriores.

De non occupando commune. *Caput.* XLVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona emiſſet, uel emeret, aut cambiaret, uel permutaret, ſeu aliquo alio titulo acquireret, uel acquiſiuiſſet ab aliqua ſingulari perſona, aliquam poſſeſsionem uel aliquam rem immobilem, quæ ſit cõmunis ciuitatis MontisRegalis, & quam dictum commune cæperit, D. Vicarius, uel Iudex teneatur ei, uel habenti cauſam ab eo facere reſtitui cambium, ſeu pretium, quòd ipſe dediſſet in ea cum melioramento, & expenſis melioramenti, quod & quæ in dicta poſſeſsione feciſſet ille, cui commune eam auferet, per illum qui eam ſibi vendidiſſet, ſeu pemuttaſſet vel eius hæredes, uel detentores bonorum ſummariè, & ſine ſtrepitu iudicii, & ſine libelli oblatione, non obſtante quòd prædicta poſſeſsio ab ipſo emptore uel acquiſitore fuerit per ordinariam viam iuris empta.

De poſſeſsionibus venditis franchis, quæ reperirentur affictatæ ſeu indebitatæ. *Caput.* XLVII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona vendiderit, uel alio titulo alienauerit aliquam poſſeſsionem in ciuitate MontisRegalis, & diſtrictus, francham, ſiue liberam, & de hoc conſtabit publico inſtrumento, & talis poſſeſsio reperiretur affictata, ſeu præſtare deberet aliquod fictum, ſeu aliquam præſtationem, uel debituram, teneatur D. Vicarius, uel Iudex dictæ ciuitatis, ad inſtantiam acquiſitoris, uel eius hæredum, ſummariè & ſine ſtrepitu, & figura iudicii & dilatione aliqua, cõſtringere illam talem perſonam, ſeu ſucceſſores eius qui dictam poſſeſsionem alienaſſent ad ſoluendum dictum fictum, uel aliam rem præſtandam, ſeu debendam, ei cui deberet ſolui, & ſuper prædictis poſſit D. Vicarius, uel Iudex imponere pœnam, & bannum, uſque in ſolidos ſexaginta, pro quolibet, eorum libito voluntatis. Et præſens capitulum intelligatur in præteritis & futuris.

De muliere alenda quæ non poteſt pati cum viro. *Caput* XLVIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua mulier honeſtæ uitæ, & honeſtæ famæ, uel alius pro ea, uenerit coram domino Vi-

cario, uel Iudice, dicendo quòd maritus malè tractat eam, ita quòd ipsa non potest pati stare cum marito, & probauerit hoc sufficienter, teneatur dominus Vicarius, uel Iudex, compellere eum dare & soluere ipsi mulieri, pro alimentis, illud quod sibi iustum uidebitur, inspecta qualitate mulieris, & mariti, & quantitate dotium, dum steterit extra domum mariti, & facere dare ipsi mulieri pro uestimentis, secundum quod ipsi Iudici uidebitur conuenire, considerata quantitate mulieris, & dotis, & facultatibus uiri, ut supra dictum est. Et dum mulier litigat cum marito, de alimentis in casu prædicto, interim alimenta ei præstari debeant a marito, & de præstatione alimentorum & uestium, in causis præmissis per dominos Vicarium uel Iudicem summariè cognoscatur, & præstentur incontinenti, secundum quod pronunciatum fuerit. Et D. Vicarius, uel Iudex, antequam pronunciet, coram se citari faciat tres, uel quatuor de melioribus uicinis dictorum iugalium, quorum consilio pronunciare teneatur & habeat. Et si a dicta pronuntiatione appellabitur, interim appellatione pendente, maritus ad præstationem alimentorum mulieri efficaciter teneatur, & per D. Vicarium uel Iudicem compellatur.

In quantum mariti succedant vxoribus, cum proximioribus, & proximiores cum illo. *Caput.* XLIX.

ITEM statutum est, quòd si aliqua mulier de ciuitate MontisRegalis, uel eius districtu, maritata decesserit sine liberis uel abintestato, maritus, eius ei succedat, & succedere debeat in dimidia parte omnium bonorum, & hæreditatis talis mulieris sic decedentis, & proximiores consanguinei, si plures essent eiusdem gradus, uel proximiores, si plures essent eiusdem gradus, uel proximior, si unus uel una prior esset in gradu aliis, succedant in alia medietate. Si uero aliqua mulier maritata decesserit ut supra, sine liberis, & condito per eam testamento, uel alia ultima voluntate ordinatæ, tunc maritus etiam succedat in dimidia parte omnium bonorum, ut supra. Et in alia dimidia succedant personæ in testamento, uel ultima uoluntate ordinatæ. Et si qua maritata decederet intestata, relictis liberis, ex uno uel ex diuersis maritis, quòd prædicti liberi ei succedant, in omnibus bonis suis, excepta tertia parte dotis dictæ mulieris, quæ ultimo màrito superuenienti ipso iure, peruenire debeat. Si uerò aliqua mulier testata decesserit, re-

ctis

lictis liberis ex vno, uel pluribus maritis eius, tunc maritus qui ſuperuixerit habeat tertiam partem dotis dictæ mulieris, ſiue dicta mulier, dictam tertiam partem reliquerit dicto marito, in dicta eius ultima uoluntate, ſiue non. Et prædicta uendicent ſibi locum in ſucceſsionibus mulierũ nuptarum, quæ trãſductæ fuerint ad domum mariti, vel quæ thorum habuerint cum marito. In aliis uero, quæ tranſductæ non fuerint, uel thorum aut copulam non habuerint, ius commune ſeruetur.

De Reſtitutione dotium. Caput L.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt addendo, & declarando, & nouiter ſtatuendo omnia, & ſingula capitula ſuper hoc diſponentia, quoniam ex euidenti, & comprobata iam diutius dotium reſtitutione, Reipublicæ infertur præiudicium, & datur occaſio ſæpe mulieres remanere indotatas, quòd ſi caſus eueniat de cetero dotium reſtituendarũ, in ciuitate Montis Regalis, eiuſdemque poſſe & territoriis, quòd illa perſona, quæ conuenietur pro reſtitutione dotiũ fienda, teneatur inſolutum dare, tradere, & cõſignare res, & bona infraſcripta ſuo iuramento, uidelicet, argentum, perlas, aurum, granum, cuiuſcunque generis uinum, & pannos de dorſo ad uſum ſolitum talis mulieris dotis recuperantis, de quibus derratam talis creditor recipere teneatur, quouſque de ipſis rebus conſignatis haberet, nec alias res mobiles accipere teneatur, quibus rebus non aſcendentibus ad ſummam, & quãtitatem, in quibus debitor teneretur, teneatur & debeat talis debitor conſignare tot bona immobilia exceptis domibus, quas conſignare non teneatur aliis bonis immobilibus exiſtentibus, uidelicet, tertiam partem de melioribus, aliam tertiã partem de mediocribus, & aliã de minoribus de quibus immobilibus dare poſsit, & ualeat inſolutum talis debitor, uſque ad integram ſatisfactionem dictæ dotis, nec poſſint aliqua bona immobilia conſignari, nec inſolutum dari, niſi ſolum ea quæ tempore mortis fuiſſent in bonis illius perſonæ, contra cuius bona exequutio peteretur. Et ſi controuerſia oriretur inter debitorem, & creditorem, quòd tunc D. Vicarius ſub pœna quæ eidem uidebitur partes ipſas compellat, & conſtringat ad eligendum unum probum uirum pro qualibet parte, qui electi recuſare non poſsint, & habeant poteſtatem, & bailiam, rés vt ſupra conſignatas æſtimare, iuxta eorum conſcientiam, & vt eis uidebitur ſecundum communem ualorem, qui-

bus D. Vicarius, ut supra teneatur, & potestatem habeat praecipiendi, et astringendi, sub pœna quae sibi uidebitur, ipsos electos ad aestimationem faciendam, infra quindecim dies, a die factae eorum electionis, qua facta insolutum datione rerum immobilium, habeat ipse dans insolutum, spatium sex mensium recuperandi res ipsas immobiles insolutum datas, soluendo pretium in pecunia numerata Hoc tamen expresso, quòd non possit vnā rem, si plures essent, uel partem unius, si sola fuisset recuperare, sed ipsas omnes insolutum datas recuperare possit, soluendo expensas necessarias, in eisdem rebus expositas.

Quòd mulieres maritatae, uel viduae, non possint impedire solutiones fiendas creditoribus mariti, nisi per primum instrumentum dotis. Caput. LI.

ITEM statutum est, quòd aliqua mulier de ciuitate MontisRegalis, uel posse, maritata, uel uidua, uel aliqua persona pro ea, uel habens causam ab ea, non possit impedire solutiones fiendas creditoribus mariti sui, occasione dotium suarum, nisi per primum instrumentum dotale. Et si alia instrumenta apparerent, praeter primum, non ualeant in praeiudicium creditorum, sed praesumantur fuisse facta in fraudem eorum, & inde non audiatur mulier, uel alius pro ea contra creditores, & datio insolutum facta uigore alicuius alterius instrumenti praeter primum, nō teneat in praeiudicium creditorum, sed pro nullo habeatur, nisi apparenter & manifestè probaretur, quòd praedictis mulieribus euenisset aliunde, per aliquam successionem, uel donationem, uel aliam iustam acquisitionem, sine bonis mariti factam, illud de quo factum fuisset illud instrumentum dotale, praeter primum. Et in aestimationibus mulieribus, de caetero fiendis, detur insolutum, per aestimatores communis de rebus mobilibus, & immobilibus, secundum quod aliis creditoribus dari debet, iuxta formam capituli positi sub rubrica, de bonis debitorum dandis creditoribus insolutum.

Quòd creditores debitorum possint auferre rem immobilem datam mulieri pro dote, uel alteri creditori pro debito, & reddere dotem mulieri, & debitum creditori. Caput LII.

ITEM statutum est, quòd creditores mariti, cuiuscunque mulieris de ciuitate MontisRegalis, uel posse, licet sint posteriores in tempore, possint offerre, & reddere dotem mulie-

ribus

ribus maritatis, uel uiduis, & quibuscunque personis habentibus causam ab eis, quocunque titulo uniuersali, & singulari, non obstante aliqua æstimatione, uel insolutum datione iam facta, dum tamen creditores unus, uel plures sint parati restituere melioramentum cum effectu dictis mulieribus, quòd fecissent in rebus sibi æstimatis, uel insolutum datis, infra sex menses a die, qua dicta mulier dictam rem insolutum, uel æstimatam accepisset. Et hoc facto dicta mulier teneatur restituere, & dimittere res sibi æstimatas, uel insolutum datas pro dicta dote, & iura cedere pro quibus habuerit æstimum illi creditori, qui sibi dotem obtulisset, & soluisset. Et hoc capitulum non uendicet sibi locum in creditoribus, qui contraxissent cum uiro, post quam fuisset datum æstimum uxori, de bonis mariti. Et quæ dicta sunt in æstimis datis mulieribus, uel habentibus causam ab eis, pro dotibus earum, locum habeant in quibuscunque aliis æstimis, quibuscunque aliis personis datis, uidelicet, ut creditores debitoris, licet posteriores in tempore, possint auferre res datas insolutum aliis creditoribus dicti debitoris, & auferre, ac soluere debitum illi creditori, qui æstimum accepisset, & melioramentum, ut supra, & infra tempus supra proxime dictum.

Quòd feuda possint accipi insolutum, & de fictis præteritis.
Caput LIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate MontisRegalis, uel posse deberet recipere aliquod debitum ab aliqua persona de dicta ciuitate, uel eius districtu, siue sit pro dote, siue pro aliquo alio debito, possit capere insolutum de rebus debitoris, tam feudalibus siue de rebus quæ tenentur in feudum, quàm de non feudalibus siue de illis quæ tenentur in alodio, ita quod in rebus dandis, & recipiendis insolutum, ita de cetero dentur, & recipiantur feudalia, quàm non feudalia, & sicut pro dotibus, ita pro quibuscunque aliis debitis pecuniariis, & præsens capitulum non uendicet sibi locum in feudis Domini.

Quòd creditores teneantur exigere credita infra certum tempus. *Caput.* LIIII.

ITEM ordinauerunt, quòd creditores de præsenti ciuitate & posse, recipere debentes vigore alicuius comdemnationis iudicialis, ab aliqua persona ciue, uel posse & mandamenti præsentis ciuitatis, non possit, nec debeat, a die la-

psi termini, talis condemnationis, nisi durāte spatio decem annorum proximè tunc sequutorum, a debitore tali, uel hæredibus suis, debitum tale petere, nec exigere, & intelligatur de debitore qui non steterit absens a præsenti ciuitate, & posse, spacio dictorum decem annorum, uel maiori parte eorū, quod etiam locum uendicet in creditore, qui absens non steterit, spatio temporis prædicto, & ad omnem euitandum modo posibili consumptionem expensarum, ordinarunt, quòd Procuratores suorum principalium nomine, non posint in curia præsentis ciuitatis, petere condemnationes aliquas exequi, in scriptis, redigendo talem executionem, nisi prius fecerit procurator debitorem detineri, uel arrestari semel tantum.

De eo qui petierit debitum solutum. *Caput.* L V.

ITEM statutum est, quod quicunque petierit in iudicio aliquod debitum ab aliqua persona, quòd debitum alias fuerit creditori solutum, & de solutione, legitimè probetur per testes, uel instrumenta, uel alio legitimo modo condemnetur, & condemnari debeat in duplum rei, seu quantitatis petitæ, de cuius solutione fuit probatum: Et ultra ad restitutionem damnorum, & expensarum, quæ & quas passus fuerit uel fecerit, occasione illius petitionis, ille a quo petitum esset debitum supradictum, & istud capitulum non habeat locum contra hæredes creditorum, seu alias personas, quæ tales solutiones posint uerisimiliter ignorare. Et quilibet creditor postquam fuerit sibi solutum, si fuerit requisitus reddere instrumentum debitori, & ultra facere eidem instrumentum finis & quittationis. Et hoc sub pœna solidorum quinque, pro quolibet die quo differret facere instrumentum dictæ quitationis, & teneatur creditor dictum instrumentum quitationis & finis facere, uel fieri eiusdem creditoris, sumptibus & expensis in casu supradicto. Et quòd in præmisis per curiam nullo modo procedi posit, nisi ad requisitionem damnificati.

Quòd Procuratores non posint comparere in causis a centum solidis infra. *Caput* L V I.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, pro sumptibus euitandis, & ut partiū parcatur laboribus, & causæ expeditius diffiniantur, quòd in causis ciuilibus, a centum solidis infra, non debeat interueniri Procurator. Sed summariè agitentur per actorem & reum nullo interueniente Procuratore, sed secundum formam

formam aliorum ſtatutorum, ſuper hoc diſponentium, diffiniantur, & caſu quo aliter fiant, non ualeant geſta per ipſum Procuratorem, imo ſint ipſo iure nulla, & nihil petere poſsit pro ipſa procuratione: imò incurrat pœnam ipſe Procurator ſolidorum triginta, pro qualibet uice qua comparuerit applicanda pro duabus partibus cameræ domini, & pro alia, parti contra quam comparuerit, attinentes uerò poſsint in ipſis cauſis pro ipſis, litigantibus, cum eis comparere, & pro eis, ſine eis.

De officio Notariorum, & eius ſalario. *Caput* LVII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Notarii curiæ, uel quilibet alius Notarius ſingula ſingulis referendo debeant habere pro eorum labore, de ſcripturis & inſtrumentis, ut infra.

Primo de libello, cum termino ponendo in libro	*ſol.*	*iij*
Item de extrahendo dictum libelluus in papiro cum termino	*ſol.*	*ij*
Item de qualibet poſitione ponenda in libro	*den.*	*iij*
Item de exemplo dictæ poſitionis	*den.*	*iij*
Item de qualibet proteſtatione, uel exceptione ponenda in libro	*den.*	*iij*
Item de quolibet teſte, ponendo in libro	*ſol.*	*ij*
Item de exemplo, cuiuslibet teſtis	*ſol.*	*ij*
Item de interrogatione cuiuslibet teſtis	*ſol.*	*ij*
Item de quolibet termino præcepto ſaximento, uel monitione	*ſol.*	*I*
Item de qualibet alia ſcriptura	*ſol.*	*I*
Item de inſtrumento ſententiæ, a libris viginti quinque, infra	*ſol.*	*xij*
Item de dicto inſtrumento, a libris viginti quinque, ſupra uſque in centum	*ſol.*	*xx*
Item de inſtrumento ſententiæ, a libris centum ſupra, uſque in ducentum	*ſol.*	*xxx*
Item de inſtrumento ſententiæ, a libris ducentum ſupra, uſque in trecentum	*ſol.*	*L.*
Item de inſtrumento ſententiæ, a libris trecentis, uſque in quingentis libras quatuor.		
Item de dicto inſtrumento ab inde ſupra, quantadunque ſit quantitas libras quinque Aſtenſes		
Item de inſtrumentis ſententiæ arbitramentalis, eodem modo quo ſupra		
Item de inſtrumento compromiſſi	*ſol.*	*xij*
Item de inſtrumento proteſtationis, exceptionis &c.	*ſol.*	*iij*
Item de inſtrumento æſtimi, de rebus datis creditoribus inſolutum, a libris viginti quinque, infra	*ſol.*	*x*

Item de prædicto, a libris viginti quinque supra, vsque in quinquaginta.	*sol.*	*xx*
Item de prædicto, a libris quinquaginta supra, quanta fuerit quantitas	*sol.*	*xxx*
Item de literis citatorijs pro debito exigendo, seu de alijs literis cum sigillo	*sol.*	*iij*
Item de instrumento tutelæ, seu curæ	*sol.*	*viij*
Item de instrumento procuræ	*sol.*	*x*
Item de instrumento syndicatus	*sol.*	*xviij*
Item de instrumento inuentarij, usque in libris uiginti quinque	*sol.*	*viij*
Item de instrumento inuentarij, a libris uiginti quinque supra, vsque in centum	*sol.*	*xij*
Item de instrumento inuentarij, a libris centum, usque ad libras ducentas	*sol.*	*xx*
Item de instrumento inuentarij, a libris ducentis supra, quantacunque sit quantitas	*sol.*	*xxx*
Item de qualibet condemnatione, a libris uiginti, infra	*sol.*	*I*
Item de qualibet condemnatione, a libris uiginti supra, quantacunque sit quantitas	*sol.*	*ij*
Item de instrumento emancipationis	*sol.*	*x*
Item de instrumento missionis in possessionem	*sol.*	*vi*
Item de instrumento mutui depositi confessionis alicuius summæ, a solidis centum, infra	*sol.*	*viij*
Item de instrumentis, a solidis centum, usque in libris quinquaginta	*sol.*	*x*
Item de instrumentis prædictis, a libris quinquaginta supra, quantacunque sit quantitas	*sol.*	*xx*
Item de instrumento societatis, cambij, donationis simplicis, seu donationis causa mortis, uel emphyteosis, a libris uiginti quinque, infra	*sol.*	*x*
Item de instrumentis prædictis, a libris uiginti quinque supra, usque in centum	*sol.*	*xx*
Item de instrumentis prædictis, a libris centum supra, quantacunque fuerit quantitas	*sol.*	*xxviij*
Item de instrumento uenditionis, a libris decem, infra	*sol.*	*viij*
Item de dicto instrumento, a libris decem, usque in libris uiginti quinque	*sol.*	*x*
Item de instrumento prædicto, a libris uiginti quinque supra,		

vſque ad libras centum *ſol.* *xvi*
Item de prædicto inſtrumento, a libris centum ſupra, quantacunque ſit quantitas *ſol.* *xl.*
Item de inſtrumento appellationis *ſol.* *vij*
Item de alijs uero inſtrumentis, & teſtamentis ſit in arbitrio domini Iudicis.

ITEM ſi aliqua perſona peteret a notario, ſibi dari in papiro aliquod inſtrumentum alicuius ſupra ſcriptorum contractuum, uel qui tunc dictus dominus Notarius teneatur ei da re dictum inſtrumentum in papiro, pro tertia parte pretii limitati, quando datur in charta eiuſdem tenoris, uidelicet, quando pretium inſtrumenti erit de ſolidis duodecim ſupra, & a ſolidis duodecim infra ſoluere debeat medietatem.

Et primò, quia quotidie frequentantur querelæ, de bannis quæ dantur ad banchum iuris ciuilium cauſarum, ac de executionibus immoderatis, quæ fiunt per Notarios, ſeu ſcribas dicti banchi diuidendo libros, & alia faciendo contra formam capitulorum præſentis ciuitatis. Hoc ideo dictis querelis, & præmiſsis obuiare, & prouidere uolentes, Statuerunt, & capitulauerunt, quòd dicti Notarii, ſiue ſcribæ dicti banchi, & qui pro tempore fuerant, ſuntque & erunt de futuro. De cetero in eorum ſcripturis, & bannis, & executionibus, & aliis ad dictum banchum ſpectantibus, & pertinentibus obſeruare debeant: Et teneantur capitula aliàs facta ſuper ipſo bancho, & tam exiſtentia in magno uolumine capitulorum præſentis ciuitatis, quàm præſenti libro capitulorum, & ordinamentorum dictæ ciuitatis ad unguem ſine exceptione, & reſeruatione quacunque. Et ita iurare teneantur dicti Notarii, & ſcribæ eorumque locum tenentes ſubſtituti, & coadiutores in conſilio generali præſentis ciuitatis infra quindecim dies, a die publicationis huius ſtatuti numerandos. Et hoc ſub pœna librarum quinquaginta, applicanda pro medietate curiæ præſentis ciuitatis, ſiue Fiſco Ducali, & pro alia medietate communi dictæ ciuitatis pro ſuo intereſſe diſtribuenda dicta pœna, uidelicet medietate dictæ pœnæ in reparatione, & fortificatione mœnium. Et ulterius quòd tales notarii, ſcribæ, coadiutores, & ſubſtituti, præmiſſa omnia, & ſingula non obſeruantes, nec adimplentes, incurrant alias pœnas contentas in aliis capitulis mentionem facientibus de contrauenientibus, conuentionibus, pactis, & capitulis præſentis ciuitatis.

uitatis. Et ulterius etiã sint extra protectionem, immunitatum, iurium, conuentionum, & capitulorum præsentis ciuitatis, in quas quidem pœnas, tam pecuniarias, quàm alias incurrãt ipso iure, & ipso facto, & exigãtur, & exigi possint sine alia sententia, scriptura, siue iuris solemnitate.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, ut tollatur materia quæstionum, quæ multotiens occurrunt super solutionibus notariorum ad causam testamentorum, declarando solutionem ipsorum, uidelicet, quòd Notarii recipientes testamenta, habeant, & habere debeant pro eorum mercede, si hæreditas fuerit, usque ad ualorem librarum ducentorum, grossos duodecim, & a libris ducentis, usque in quingentis grossos quindecim, & a libris quingentis usque in mille grossos, uiginti & ab inde supra quantacunque sit quantitas, habeat libras sex.

Item quòd notarius teneatur legere totam notam in præsentia partium, & ponere in cartulario infra octo dies, & reddere instrumentum infra mensem, postquam fuerit requisitus, nisi aliter conuenirent partes, pro dictando instrumentum, & tunc substantia apprendatur, in præsentia partium, & legaliter & dictata dicta nota, teneatur notarius reddere ut supra. Et notarii communis iurabunt in consilio generali, in quo etiam legatur præsens capitulum, omnia & singula præmissa attendere, & si contra fecerint, puniantur in solidis sexaginta Asten. Et ultra suspendantur ab officio, quòd postea exercere non possint, nisi prius a domino Vicario fuerint restituti: Et non possint aliqui notarii, aliquam personam astringere ad accipiendum instrumentum compromissi, de quo non fuerit sequuta sententia, nec etiam partem, contra quam sententia lata fuerit.

Item quòd quando notarii faciunt instrumenta cambii, siue baratæ, teneantur ipsi notarii ponere in instrumentis quãtitates uini, bladi, & aliarum rerum, quæ consistunt in pondere numero, uel mensura, & prætium, & tempus, & locum, ubi & quando debeat solui, & quantitates pannorum & prætium cuiuslibet cannæ.

Item teneantur dicti notarii, & prudenter attendant, quando recipiunt instrumenta quòd ea taliter recipiant, quòd cognosci possit, utrum contractus sit factus in fraudem usurarum

uel

uel contineat usurariam prauitatem, & quòd D. Vicarius uel Iudex, & clauarius curiæ inquantum in eis est, iurent quòd facient prædicta inuiolabiliter obseruari.

Item quòd notarii curiæ & communis, teneantur una uice legere partibus ambabus, coram domino Iudice, distinctè totam causam uertentem inter illas partes, sine aliqua mercede, postquam causa pronunciata fuerit aperta cum dictis testium productorũ, in dicta causa, & ab vna vice supra, dicti notarii possint (si ab eis peterentur scripturæ a partibus) congruam solutionem petere arbitrio Iudicis, si de hoc quæstio uerteretur. & ultra dicti notarii teneantur legere omnia acta causæ domini iudicis, quotiens fuerint requisiti, sinę aliquo salario, uel mercede.

Item statuerunt, quòd unicum tantum fiat causarum registrum, in vnoque tantum quinterno describantur actus iudiciales, & acta, donec sit plenus & totus scriptus, & deinde in secundo, & sic ad reliquos, prout opus fuerit. Et quòd omnes libri bannorum, notarum, causarum, & actorum, sint & maneant apud unum ipsorum tantum, idoneum, & expertum, in capite ad opus habentium in eis partem custodiendum fideliter, & probè. Qui in principio sui exercitii teneatur in consilio, uel guberhio iurare in primis officium ipsum scribaniæ, fideliter, & probè exercere: tenendo secretas positiones productas, & alia quæ sub secreta sunt tenenda, & palam faciendo, quæ palam fieri debent, & possunt. Et omnibus & singulis requirentibus processus, uel acta, aut alias scripturas indilatè, & sine excusatione tradere, & expedire per se, uel alium teneatur infra quatuor dies, à die requisitionis sub stabilita ex statutis mercede, sub pœna periurii, & ulterius librarum uiginti quinque, applicandarum pro dimidia curiæ, & pro alia dimidia parti accusanti, uel conquerenti legitimè, ipso facto, & iure committenda, & exigenda sine aliqua condemnatione, uel declaratione Iudicis, uel magistratus. Et nihilominus teneatur ipsa acta tradere expedita, totiens committenda, quotiens contrafecerint in aliquo præmissorum, uel infrascriptorum. Et pariter per ipsum in capite deputatum tantum, & non per alium possint fieri exactiones debitorum ipsorum sociorũ banchi ciuilium. Et si aliter quàm existens in capite attentare ipsam executionem in totum, uel in aliqua parte præsumpserit aliter quàm supra est specificatum,

N possit

posit is contra quem attentatur executio, impune pignus denegare, & arrestatus arrestum frangere, & iussus tenere, uel uenire ad arrestum, non uenire. Et si accusaretur de rupto arresto, uel pignore uetito, uel aliter, accusa, & querela ipsa, sit ipso iure nulla, & nullius momenti: Et nihilominus puniatur, ut supra, qui executionem aliquam ipsorum debitorum attentasset; pro qua teneantur dicti officiales illum arrestare, & non licentiare sub pœna periurii, donec soluerit pœnam suprascriptam, de qua aliqua gratia fieri non posit, nisi per cõsilium generale, & hoc statutum sit præcisum, & seruetur ad unguem, prout ad literam iacet: Aliis statutis super materia banchi ciuilium editis, in ceteris suis uiribus permansuris.

Item quia, ut dietim experientia demonstrat, euenire nonnullos errores, lites, & controuersias, occasione eorum, quæ debentur pro mercede scripturarum notariorũ banchi ciuilium, criminalium, & appellationũ, pro utilitate Reipublicæ, & personarum singularium, ordinauerunt, quòd notarii prædicti prætendentes habere ab aliqua persona, ciue, & habitante in dicta ciuitate, & posse, quæ præsens fuerit, & se non absentauerit, uel absens non steterit, teneantur sua exigere credita, uel saltem diligentiã facere, de qua appareat, infra tres annos proximos, a die contracti debiti. Et si steterit per ipsos notarios, seu alterum eorum, cur nõ exegerint talia debita, non posint postea exigi, nec debeant aliquid petere, uel habere ab ipsis debitoribus, nec eorum hæredibus, aut successoribus.

De officio notariorum, maleficiorum, & eius salario. *Capur* LVIII.

ITEM statutum est, quòd notarius curiæ maleficii, sine aliquo salario, seu pretio, nisi secundum quod infra continetur, teneatur legere de verbo ad uerbum, accusam, seu denunciationem, uel inquisitionem, & dicta testium ex officio receptorum semel ad minus, si inde fuerit requisitus à reo. Et si reus uoluerit habere exemplum scriptum, detur ei per notarium expensis rei, uidelicet, pro salario contento ut infra. Et teneatur notarius maleficii, uinculo iuramenti, scribere omnes accusas, & denuntiationes in libro, & non in folio. Et nemo notarius dicti officii, audeat, uel præsumat, patrocinari pro aliquo, dũ fuerit in officio, & si cõtrafecerit ab officio remoueatur. Et si uero aliquis uoluerit habere exemplũ accusæ, uel denuntiæ, aut inquisitionis, seu scripturarum, teneatur notarius

petenti

petenti dare in exemplum, pro salario infrascripto. Videlicet Exemplum accusæ,uel denuntiæ, seu inquisitionis cum respon sione, & securitate præstita pro duobus solidis, & habeat idem notarius pro defensione recipienda, solidos duos. Item pro securitate recipienda, solidum unum. Et hoc intelligatur de accusis factis de verbis iniuriosis, & similibus leuibus delictis. De atrocibus verò delictis habeat duplum. Item habeat pro quolibet teste, pro examinatione testium, & pro aliis scripturis, & processibus faciendis,id quod de aliis notariis or dinatum est, pro taxatione eorum mercedis. Et in casu quo talis notarius recusaret dare alicui personæ requirenti, aliqua de prædictis, uel scribere in actis curiæ aliquid quod pertineat ad eius officium, oblato sibi pretio limitato, incurrat pœnam solidorum sexaginta,& teneatur ad satisfactionem damni quod sustineret illa talis persona, per defectum talis notarii, qui recusaret dictas scripturas dare, uel scribere pretio limitato, ut supra.Item non posit,nec debeat capere dictus notarius,a meistralibus qui iurare debent eorum officium, siue artem, ultra denarios sex tantum, pro scribendo iuramento ipsorum. Teneatur insuper dictus notarius, dictos processus & scripturas, diligenter ostendere Iudici curiæ MontisReg.& Iudici appellationum,& parti, seu partibus petentibus, quando prædicti Iudices essent superaudiendis allegationibus,& faciendis condemnationibus, & absolutionibus suis, sine aliquo salario, seu mercede. & non posit accipere dictus notarius de instrumento appellationis, etiam si plures essent condemnationes contra eundem, nisi denarios sex, si fuerint de solidis viginti uel infra. Et si uero fuerint de solidis viginti supra, solidum vnum Astensem tantum, quas condemnationes, teneantur ostendere cuicunque appellare uolenti, sine aliquo salario. Et notarii maleficiorum, & etiam alii notarii causarum ciuilium curiæ ciuitatis MontisReg. in principio eorum officii, teneantur & debeant iurare publice in consilio generali dictæ ciuitatis, attendere & obseruare capitula ciuitatis MontisReg. de officio & salario notariorum loquentia.Et quòd non capient,uel aliquo modo excutient aliquid ab aliqua persona, pro salario aliquarum scripturarum, ultra id quod in capitulis de officio & salario notariorum continetur. Et si noluerint iurare dicti notarii,non possint ipsi,uel aliquis ipsorum aliquo modo officium

curiæ ciuitatis prædictæ exercere: & si exercerent ipsi, uel aliquis ipsorum non ualeat, nec teneat id quod factum fuerit. Et D. Vicarius, uel Iudex, qui pro temporibus fuerint, teneantur uinculo iuramenti facere fieri prædictis notariis illud quod continetur in præsenti capitulo.

Item statutum est, quòd Notarii maleficii, qui nunc sunt, vel pro temporibus fuerint, teneantur, & debeant recipere omnes accusas, & denunciationes propriorũ damnorum absque aliqua fideiussione petenda, seu recipienda a persona, uel personis accusata, uel denũciata pro aliquo proprio damno, dum persona sit de ciuitate MontisRegalis, & districtu, & ibi soluat fodrum, & taleam sub pœna librarum decem Asten. A personis uerò extraneis posśint, & debeant petere, & accipere fide iussorem idoneum.

Item, quia Notarii Maleficiorum pluries scribunt in responsionibus inquisitorum, accusatorum, uel denunciatorũ respondi uerum esse, & in ea continetur &c. Propter quod sæpisśimè damnum incurrunt, Ideo statutum est quòd Notarii maleficiorum teneantur, & de uerbo ad uerbum scribere responsiones, inquisitorum, denunciatorum, accusatorum, & non scribere uerum esse, vt in ea continetur: & si contrafactũ fuerit, non ualeat talis responsio, nec ex ea posśit sequi aliqua condemnatio. Notarius uerò qui eã scripserit, condemnetur in ea pecuniæ quantitate, in qua ueniret condemnandus principalis.

Quòd Notarij extranei, non posśint conficere instrumenta, inter homines ciuitatis Montis Regalis.

Caput LIX.

ITEM statutum est, quòd aliquis Notarius extraneus, & qui non habitat in ciuitate MontisRegalis, cum eius familia, ad focum, & catenam, soluendo in dicta ciuitate, fodra, & taleas, vt faciunt alii habitatores dictæ ciuitatis, non posśit, nec debeat recipere, seu conficere aliqua instrumenta, inter homines dictæ ciuitatis, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet vice. Saluis Notariis curiæ criminaliũ, qui durante eorum officio posśint instrumentum recipere, & conficere de rebus pertinentibus ad eorum officium.

Item additum est in illa parte, dum dicit, sub pœna solidorum sexaginta, quòd ultra illam pœnam instrumenta per eos recepta, non ualeant, nec teneant.

Quòd

Quòd non recipiantur instrumenta, nisi per notarios approbatos. *Caput* LX.

ITEM pro euidenti utilitate totius Reip. statuerunt, quòd nulla persona, cuiuscunq. notarius conditionis existat, ciuis, siue habitator præsentis ciuitatis, audeat, nec præsumat recipere aliqua instrumenta, nisi sit & fuerit approbatus, & licentiam habuerit a D. Vicario, syndico & gubernatore præsentis ciuitatis, qui pro tempore erunt, & nisi sint descripti, & describantur in matricula, existente penes D. Vicarium, in qua quidem matricula, describantur approbati & licentiati ut supra, & dicta matricula stet penes dominum syndicum, seu saltem similis illius existentis penes dominum Vicarium, & quod instrumenta per eos recepta, ipsis non approbatis, nullius sint ualoris & momenti, & quod etiam notarii licentiam habentes, non possint nec debeant recipere aliqua instrumenta contractuum, vbi appareat, & deferatur aliquod iuramentum, & secus facientes incurrant pœnam librarum decem, pro quolibet & qualibet vice, nisi in transactionibus & compromissis, vbi requiritur iuramentum ad obseruantiam transactorum, & in contractibus minorum, & renuntiationibus mulierum, & aliis contractibus a iure limitatis, & firmis manentibus, aliis capitulis, super hoc disponentibus, maximè capitulo mentionem faciente, quòd in contractibus suprascriptis, minorum & mulierum, debeant intrauenire duo proximiores eorum parentes, & ipsis deficientibus, vicini proximiores.

De salario Procuratorum. *Caput* LXI.

ITEM pro euidenti utilitate singularum personarum, & ad euitandum multas cauillationes, quæ aliquando fiunt per Procuratores, statuerunt & ordinauerunt, quòd in quibuscunque causis ordinariis & extraordinariis, & executionum Procuratores, qui in eis præstabunt patrocinium, in curia præsentis ciuitatis, tam principalibus, quàm appellationum. Solutiones capere debeant, ut infra, uidelicet, in causis librarum quadraginta, & infra, & ualoris earundem, solidum vnum pro qualibet libra, & ultra exigere non possint, nec debeant. Et a libris quadraginta supra, quantacunque sit quantitas, capere debeant pro eorum patrocinio, solidos duos, pro quolibet termino. Hoc tamen intellecto, quod si in ipsis causis, aliquos terminos ipsi procuratores facerent, qui non essent necessarii,

quòd pro ipsis nihil percipere debeant, & intelligantur non necessarii, arbitrio Domini Iudicis. Et si aliqua executio peteretur per ipsos Procuratores, in qua non forent termini, nisi solum pro arrestando, quod eisdem soluatur secundum laborem per terminos, arbitrio domini Iudicis. Hoc sanè intellecto, si in ipsis causis sententia diffinitiua lata esset, alias solum habeant, & habere debeant, pro eorum patrocinio, medietatem dicti salarii. Et si aliter uel alio modo solutiones capiant, incurrant pœnam librarum decem, pro quolibet & qualibet uice, & amisionis eius quod recipere deberent.

De tribus hominibus eligendis, qui superſint solutionibus & capitulis notariorum. Caput LXII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius infra octo dies, post introitum sui regiminis, teneatur facere eligi tres homines literatos, per eos quos voluerit consilium, facta super hoc speciali præposita. qui electi iurent in consilio dictæ ciuitatis, facere eorum posse obseruari omnia capitula dictæ ciuitatis, & constitutiones curiæ facta & factas super notariis, seu officio notariorum, tam in solutionibus, quam aliis per eos fiendis. Et si aliqua persona conquereretur de solutionibus prædictis, teneantur prædicti tres electi, & quilibet eorum, qui de hoc fuerit requisitus, ipsum concordare cum dictis notariis bona fide, & sine fraude: & si non possent concordari, teneantur denunciare D. Vicario uel Iudici, sicut ipsi notarii faciunt contra eorum officium. Et eodem modo denunciare teneantur, si non obseruarent capitula. Et si D. Vicarius, uel Iudex non adhiberet remedium super prædictis, teneantur dicti officiales super hoc requirere consilium dictæ ciuitatis, secundum quod eis melius uidebitur, & adhibeatur super hoc in dicto consilio remedium oportunum. Quibus officialibus electis ut supra satisfiet de eorum labore, per commune dictæ ciuitatis, secundum quod per rationatores dictæ ciuitatis fuerit ordinatum. Et iurent dicti officiales in dicto consilio, dictum officium fideliter exercere, & obseruare, & prouidere super capitulis & constitutionibus, quæ tangunt notarios curiæ, uel alios, infra octo dies, postquam iurauerint eorum officium, durante eorum officio, duabus vicibus ad minus. Et D. Vicarius uel Iudex dictæ ciuitatis, teneantur & debeant ad instantiam dictorum trium, & cuiuslibet eorum dare consiliũ dictæ ciuitatis, & in ipso proponere

ponere quotienſcunque fuerint requiſiti, & partiri, ſeu partita facere ſuper dicto conſilio, ſuper his quæ fuerint arrengata, ſuper remedio ſupradicto. Qui officiales electi ut ſupra, muten tur de anno in in annum, & teneantur prædicti electi, uinculo iuramenti, requirere antequam ſint ad terminum, congruo tempore quòd eligantur alii in dicto officio, poſt terminum ſu pra dictum. Et D. Vicarius, uel Iudex, teneatur dictos tres eligi facere, & de hoc facere propoſitam, quando dicti tres erunt ad terminum. Et quicunque fuerit electus ad dictum officium, non poſsit ſe excuſare, propter aliquod aliud officium, imò teneatur ipſum officium, iurare & acceptare, ſub pœna ſolidorum ſexaginta, pro quolibet contrafaciente. Et hoc capi tulum ſemper legatur, in conſilio, quando dicti officiales eligentur, ſeu proponeretur de eis eligendis.

De homine ciuitatis Montis Regalis, & poſſe, ſiue habitante pro alio impedito extra territorium. Caput LXIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliquis de ciuitate MontisReg. uel poſſe faceret aliquod debitum, uel feciſſet, ſiue contraxiſſet extra territorium dictæ ciuitatis, uel poſſe, & illud non ſoluerit, & aliquis de dicta ciuitate, uel poſſe foret inde impeditus pro illo debito, uel occaſione illius debiti D. Vicarius, uel Iudex teneātur, & debeant cōpellere eum cuius occaſione, alius fuerit impeditus ad ſoluendum dictum debitum creditori ſuo, ita quòd impeditus inde expediatur. Et dominus Vicarius, uel Iudex teneatur illum debitorem, pro quo alius fuerit impeditus capere perſonaliter ad inſtantiam impediti, uel amici ſui, vel coniunctæ perſonæ, ſi abſens eſſet ipſe impeditus, & dictum debitorem pro quo alius eſſet impeditus arreſtare, & detinere, & in carcerem ponere, donec fecerit expedire impeditum, uel res alterius impeditas. Eodem modo fiat per Magiſtratum dictæ ciuitatis, & procedatur ſuper illis, & contra illos qui feciſſent, aut facerent aliquam robariam in dicta ciuitate, ſeu eius poſſe, uel etiam extra. Hoc addito, quòd quemlibet derobatorem dictus D. Vicarius, uel Iudex in caſu quo aliquis alius occaſione alicuius robariæ foret extra territorium impeditus, ſi incontinenti, ſcilicet arbitrio Iudicis, poſtquam foret arreſtatus non fa ceret expediri impeditum, uel res impeditas occaſione illius ro bariæ, mittere perſonaliter teneatur ad locum, ubi eſſet, uel res impeditæ. Et ſi uideretur cōmode magiſtratui, quòd dictus

derobator non possèt ire, uel mitti, propter metum uiarum, siue aliqua iusta causa. Tunc D. Vicarius, vel Iudex compellat, & compellere teneatur, tam debitorem, quàm derobatorem, ad iuri standum, & iuri parendum, & iudicatum soluendum, impedito, vt supra, sine libello, & sine iuris ordine, & etiam dictum derobatorem punire, secundum formam iuris.

De instrumentis incisis. *Caput* LXIIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate Montis Regalis, & posse, quæ dare debuisset aliquod debitum alteri personæ, de quo foret instrumentum, & haberet instrumentum talis debiti incisum pœnes se, intelligatur soluisse debitum prædictum, ita quòd pro soluto tale debitum habeatur, Et teneatur dominus Vicarius, uel Iudex creditori silentium imponere, quantum sit respectu debiti, in tali instrumento inciso contenti. Et ultra facere fieri exinde remissionem dicti debiti, a prædicto creditore dicto debitori, si inde dictus D. Iudex fuerit requisitus. Et hoc incontinenti facta requisitione a prædicto debitore, si dictus creditor poterit inueniri. Et prædicta locum habeant, si debitor ultra ostensionem instrumenti incisi iurauerit ad instantiam partis aduersæ, si de hoc fuerit requisitus se soluisse per se, uel per alium illud debitum, quod in dicto instrumento cōtinebatur. Nisi creditor cum suo iuramento probare, uellet cum uno teste, uel pluribus idoneis, se dictum instrumentum amisisse, quo casu hoc probare posit infra decem dies proximè sequentes.

De illis, qui facerent citari aliquem, extra ciuitatem Montis Regalis. *Caput.* LXV.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate Montis Regalis, & posse donauerit, cesserit, uel aliquo modo transtulerit, uel transferret iura in aliquam personam contra aliquem de dicta ciuitate, uel districtu eius, & illa persona, quæ iura acquisiuerit extra iurisdictionem ciuitatis prædictæ teneatur dominus Vicarius, uel Iudex compellere donantem cedentem, uel quocunque modo iura transferentem, & eius hæredes omnibus iuris remediis, prout eis, & cuilibet eorum, uidebitur ad dandum expensas litis, & itineris illi personæ, quæ citata fuit extra iurisdictionem ciuitatis prædictæ, in arbitrio dominorum Vicarii, uel Iudicis, uel alicuius ipsorum, a quorum præceptis factis occasione prædicta non posit appellari, nec peti cognitor.

non

non obstantibus capitulo de pœna imponenda, capitulo de appellationibus, capitulo de dando cognitore, nec aliquo alio capitulo.

Item additum est, quòd nulla persona de præsenti ciuitate, uél posse, uel ibi habitans, seu quæ habitabit de cetero, uel alia quæpiam audeat, uel præsumat aliquem ciuem dictæ ciuitatis, uel posse, & mandamenti eiusdem, seu ibi habitantem, citari facere, quouis modo directè, uel indirectè, seu conueniri, uel extrahi pro prima, uel secunda cognitione, in quauis causa, extra iurisdictionem præsentis ciuitatis, coram quocũque iudice ecclesiastico, uel seculari delegato, uel subdelegato, uel alio quocunque, & hoc sub pœna librarum centum, toties committenda, quoties fuerit contrafactum, applicanda Illust. D. Nostro, Et contrafaciens non debeat, nec possit gaudere priuilegiis, honoribus, & præeminentiis, præsentis ciuitatis, & vniuersitatis eiusdem, sed eis sit omnino priuatus, & quod ulterius teneatur ad damna interesse, & expensas, supportandas per citatum, secundum formam capituli prædicti, & eandem pœnam incurrant præstantes auxilium, consilium, & fauorem in prædictis.

Quòd solutiones fiant secundum ualorem monetæ.

Caput. LXVI.

ITEM statutum est, quòd omnes contractus celebrati in dicta ciuitate MontisRegal. seu posse debeant solui secundum ualorem monetæ currentis tempore celebrati contractus. Et si contentio oriretur de ualore dictæ monetæ, eligantur tres homines, unus de quolibet tercerio, qui possint, & debeãt dictam contentionem finire, & terminare, & secundum, quòd dicti tres, seu maior pars ipsorum dixerit, seu ordinauerit, inuiolabiliter obseruetur. Et talis solutio cum melioramento, fiat ad medietatem florenorum, & turenorum.

De salario capitulatorum Dictatoris, & Notarij eorundem.

Caput LXVII.

ITEM statutum est, quòd singulis annis, quando capitulatores exercent eorum officium, satisfiat ipsis capitulatoribus de ære communis, secundum quòd uidebitur rationatoribus communis ciuitatis MontisRegalis, qui prouiderint eis de eorum labore, secundum quòd ipsi, & quilibet eorum steterint ad eorum officium: pro dictamine uero, & scriptura dictorum capitulorum fiat satisfactio per Syndicum communis ciuitatis

prædictæ,

prædictæ, secundum quòd taxatum fuerit, iuxta qualitatem laboris, per sapientes, & Iudicem curiæ, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint.

De bestijs reddibendis. *Caput* LXVIII.

ITEM statutum est, quòd si aliquis emerit, uel alio iusto modo acquisiuerit, aliquod animal, siue aliquã bestiam, uel aliquas bestias, & eam, uel eas tenuerit per unum mensem, & infra illum mensem occasione talis bestiæ unius, uel plurium reddibitoria non egerit, uel quanto minoris, siue dictas bestias, unam uel plures nõ reddiderit illi, a quo habuerit infra dictum tempus. Non possit ultra dictũ tempus unius mensis, dictas bestias unam, uel plures reddibere, uel reddere, nec pretium proinde repetere, uel retinere, nec actione, quanto minoris agere, sed semper illa emptio, uel cõtractus firma remaneant, ita quòd tales bestiæ, una uel plures sint ipsius emptoris, seu acquisitoris, & ad eius periculum, cuiuscunque cõditionis sint, siue sanæ siue infirmæ, siue mortuæ, siue viuæ. Et intelligatur reddibere, vel reddibuisse emptor, uel acquisitor, si ipse, per se, uel per alium denunciauerit, infra mensem, a die acquisitionis, coram domino Iusdicente in dicta ciuitate, uel coram duobus testibus si extra iudicium denunciauerit uenditori, uel ei a quo acquisiuerit, quòd tales bestiæ, una uel plures sibi uenditæ, uel per eum a tali persona aliter acquisitæ essent reddibendæ, uel infirmæ, uel morbosæ, Et ultra mensem postquam acquisitor eas tenuerit bestiæ reddibere non possint, ut supra. Nec uenditor, vel alienator possit molestari reddibitoria, uel quãto minoris, nec aliqua alia lege, nec ratione nisi infra dictum mensem, ei dicta denunciatio facta esset: Et si aliqua bestia, uel bestiæ fuerint in casu reddibitionis propter morbũ, uitium, & mangagnã iuxta formam præsentis capituli, quòd ille qui uendidit, uel alienauerit dictas bestias, teneatur, & debeat restituere emptori, seu acquisitori expensas, quas dictæ bestiæ fecissent, a die uenditionis, uel acquisitionis, usque tunc, computata tamen utilitate, si quam emptor, uel acquisitor in dicto tempore habuisset, & donec quæstio fuerit terminata, iuxta determinationem, & secundum consilium duorum, uel trium bonorum uirorum, superinde per dictum D. Iudicem consultorum. Si autem aliquis uendiderit aliquam bestiam, palam, & pacto expresso, quòd bestiæ vna, uel plures uenditæ sint, cum omnibus morbis uitiis, & man

gagnis,

gagnis, tunc emptor, uel acquisitor non possit, uel debeat reddibitoria agere, uel quanto minoris, uel alio modo dictas bestias restituere: Et quòd dictum est de bestiis in plurali, idem intelligatur de vna bestia in singulari, & econtra.

De compromissis terminandis, & de salario arbitrorum.

Caput LXIX.

ITEM statutum est, quòd quicunque in se receperit aliquod compromissum uoluntate utriusque partis, & non coactè, extra iudicium factũ, teneatur ipsum diffinire infra tempus compromissi, sub pœna arbitrio domini Iudicis, uel Vicarii imponenda, quam imponere teneatur dominus Iudex, uel Vicarius, si de hoc fuerit requisitus per aliquam partium, etiam personaliter detinere arbitrum, seu arbitros, si fuerint prope terminum compromissi, donec pronũciauerint inter partes. Qui arbitri unus, uel plures nõn possint habere, nec recipere a partibus inuitis, nisi denarios sex pro libra tantum pro quolibet arbitrorum, si quæstio fuerit a libris centum infra, & ab inde supra non debeant habere vltra unum florenũ a partibus inuitis, ut supra: Et prædicta locum habeant, ubi partes declarauerint aliquem terminum in compromisso, qui terminus, siue breuis, siue longus sit, ab arbitris, & a partibus obseruetur. Si uerò terminus non fuerit in compromisso a partibus limitatus, tunc sit ipso iure in quolibet compromisso fiendo de cetero, & esse intelligatur terminus viginti dierum vtilium, & nõ vltra, ita quòd si infra dictos dies uiginti utiles, lis non fuerit per arbitros terminata, tunc intelligatur compromissum expiratum: nec arbitri postea habeant, pronunciandi potestatem, sed sint partes in eo statu, quo erant ante compromissum factum. Et quæ suprà dicta sunt in arbitris, intelligantur, & etiam locum habeant, si partes in aliquem, uel in aliquos compromiserint, & in arbitros, & arbitratores, & amicabiles compositores, &c.

De eligendis bonis viris de tabula, qui terminent quæstiones, & de quæstionibus inter consanguineos, uel affines. *Caput* LXX.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius ciuitatis MontisRegalis faciat eligi quolibet anno in principio sui regiminis, per modum quem decreuerint Sapientes consilii maioris dictæ ciuitatis, sex bonos uiros, & legales, duos pro quolibet tercerio, qui appellentur, & sint boni viri de tabula, & quorum nomina scribantur in vna charta, quæ semper stet sub porticu

curiæ:

curiæ: ita quod posit ab omnibus legi, & cognosci, & eorum officium duret per annum. Qui boni uiri teneantur iurare in consilio, quum primum fuerint electi, bene & legaliter eorum officium exercere, remotis amore, odio, timore, præmio, & spe præmii, & omni humana gratia. Et etiam teneantur recipere in se omnes quæstiones, quæ committentur in eos, seu aliquem, uel aliquos eorum, siue de quibus in eos, uel quosdam eorum compromissum fuerit de partium uoluntate, & modo infrascripto: Videlicet, quia si una pars litigantium coram Iusdicente, in dicta ciuitate uellet recedere a cognitione Iudicis ordinarii, & causam, litem, uel quæstionem suã, ibi per eam contra alium, uel contra eam per alium inceptam, uel qualitercunque motam, compromitti in aliquos ex prædictis bonis uiris de tabula: altera pars teneatur similiter compromittere. Et pars quæ prouocauit ad compromissum, teneatur eligere unum, uel duos ad plus, ex illis sapientibus de tabula, qui sibi placuerint; & idem altera pars facere teneatur. Si altera pars hoc recusaret, D. Vicarius, uel Iudex dictæ ciuitatis, teneantur, & debeant compellere partem recusantem ad compromittendum in aliquos ex prædictis bonis uiris de iure tantum, nisi fuerit de partium uoluntate, uel fuerint attinentes, usque ad quartum gradum inclusiue; quo casu possint per officiales astringi ad faciendum compromissum de iure, & de acordio, in dictis acconciatoribus, seu in attinentibus, si altera partium recusauerit, imponendo pœnam parti recusanti libras quinque Astenses, si quæstio fuerit de libris uiginti quinque infra: & si fuerit de libris uiginti quinque supra, usque in libras centum, pœnam librarum decem Asten. Si uerò quæstio fuerit de libris centum supra, pœnam librarum uiginti, pro quolibet, & qualibet uice. Quam pœnam imponere debeat dictus dominus Iusdicens, si & quando per aliquam partium fuerit requisitus, cuius pœnæ tertia pars applicetur parti, quæ elegerit, uel in eligendo obediens fuerit alia tertia D. Vicario, & alia tertia Domino. Et si D. Vicarius non exegerit dictam pœnam, postquam commissa foret, teneatur de suo salario satisfacere tertiam partem, quæ deberet applicari Domino, & aliam tertiam, quæ deberet applicari parti obedienti. Qui boni uiri, uidelicet illi, qui fuerint electi, teneantur, & debeant quamlibet quæstionem eis commissam modo prædicto finire, & terminare infra tempus compromissi, si in compromisso fuerit

so fuerit tempus a partibus limitatum, & si tempus non esset a partibus in compromisso positum, infra uiginti dies utiles, a die facti compromissi proximè numerãdos, sub pœna librarum quinque Asten. a quolibet bono uiro, siue arbitro auferendarum, si quæstio fuerit a libris centum infra, & si a libris centum supra, usque in ducentis, pœna sit librarum decem, abinde uerò supra, sub pœna librarũ uiginti, quæ pœnæ applicentur modo, & forma supra dictis, & dominus Vicarius, teneatur dictas pœnas exigere, siue excutere, ut supra. Et ultra dictas pœnas teneantur dicti boni uiri, seu arbitri, si negligentes fuerint postquam fuerint electi, ad restitutionem, & satisfactionem expensarum factarum per partes in quæstione coram eis agitata, quas expensas teneantur incontinenti resarcire partibus, iuxta taxationem Iudicis fiendam super hoc & partis petentis, exacto, & præstito iuramento. Et si dicti arbitri, seu boni uiri electi, ut supra, dicerent se nescire terminare quæstionem in eos compromissam, habeant, & habere debeant expensis partium consilium iuris periti partibus non suspecti, cuius consilio dicti boni uiri infra tempus compromissum, uel uiginti dierum, ut supra, teneantur dictam quæstionem omnimodo terminare. Et si altera pars recusaret soluere partem sibi contingentem salarii Consultoris, dicti boni uiri, teneantur, & debeant hoc denunciare domino Vicario, qui dominus Vicarius uinculo iuramenti, teneatur, & debeat, facta sibi dicta denuncia, personaliter arrestari, & detineri facere, partes recusantes, uel partem recusantem soluere, & acquirere partem sibi contingentem, prout sibi uidebitur, uel fuerit taxatum, per dictos bonos uiros: & habeãt & habere debeãt, dicti boni uiri, qui fuerint electi, ut supra pro eorum salario, & labore denarios sex pro qualibet libra, & a qualibet parte, si quæstio fuerit a libris quinquaginta infra, & si a libris quinquaginta supra, usque in libris centum, habeant denarios quatuor, & a libris centum supra, quantacunque sit quantitas, habeant denarios tres pro libra, & a qualibet parte.

Item quia, tam multo tempore elapso annuatim eliguntur boni uiri de tabula, qui acconciatores discordiarum uocantur, secũdum formã capituli præcedentis, & qui boni uiri sic electi quasi nullas decidunt causas in eis remissas, tamquam non habentes potestatem illas decidendi, nisi de iure, & non omnes sunt iuris periti electi, ex quo dictum capitulum quodammodo

uidetur nihil operare. Hoc ideo addendo dicto capitulo, & illud declarando, Statuerunt, & capitulauerunt, quòd dicti boni uiri electi, & qui eligentur in futurum, teneantur, & debeant vigore eorum iuramenti, ac possint dicto capitulo non obstante, terminare, decidere, & diffinire quascunq; causas, lites, & quæstiones ciuiles in eos positas, seu alterum ex eis de iure tantum, uel de concordia tantum, aut de iure, & de concordia simul, seruato ordine iuris, uel non seruato, sed sola facti ueritate inspecta, infra tempus in dicto capitulo comprehensum: & hoc sub pœna librarum decem Fisco applicanda.

Item pro Reipublicæ utilitate additum est, in illa parte suprascripti statuti, dum dicit, nisi fuerit de partium uoluntate, quod intelligatur, nisi fuerit de partium uoluntate, siue alterius earum hoc requirentis, scilicet, quod ea terminetur, de iure, & æquitate simul, siue de iure tantum, & æquitate tantum, quo casu possint astringi dictæ partes per D. Vicarium, qui pro tempore fuerit, vt in dicto capitulo continetur ad compromittendum, de iure, & æquitate, in dictos bonos uiros de tabula, qui boni uiri electi, ut arbitri, arbitratores, & arbitramentatores, teneantur causam decidere infra tempus dicti capituli limitatum, si fuerint requisiti per ipsas partes, uel alteram earum, sub pœna librarum uiginti quinque, pro quolibet, & qualibet uice. qui arbitri, & arbitratores possint taxare eorũ sportulas, secundum formam capituli de compromissis terminandis. Et quod præsens capitulum teneãtur denunciatores capitulorum facere obseruari, & assistere horis iuridicis ad banchum iuris, quando domini Vicarius, uel Iudex sederent pro tribunali, uirtute eorum officii, & iuramenti, aliter non habeant salarium, & durante tempore dictorum compromissorum fiendorum, ut supra, instantia causæ principalis, non currat, nec pereat, sed suspendatur, & stare debeat unus, pro qualibet hebdomada, & quolibet die iuridico, ad dictum banchum iuris, ut præmissa obseruentur.

Quòd matres filiorum non succedant, & de successione agnatorum. *Caput* LXXI.

ITEM statutum est, quòd si aliqua mulier haberet plures filios ex uno uiro, & aliquis dictorum filiorum decesserit in pupillari ætate, uel postea, quandocunque intestatus, uel ab intestato superstitibus fratribus uno, uel pluribus mater dicti defuncti,

defuncti, nihil petere, uel habere possit in bonis, & successione dicti filii defuncti. Sed demum omnibus filiis mortuis ultimo decedenti succedere possit solummodo in legitima sibi iure naturæ debita, quæ est tertia pars hæreditatis eiusdem. Et quòd dictum est de filio masculo intelligatur de filiabus, in omnibus capitulis huius statuti. Si uerò non haberet, nisi unum filium, uel filiam, ipsi filio defuncto, ut supra, mater succedat, & succedere possit in legitima tantum, ut supra: in reliquis uero duabus partibus hæreditatis prædictæ succedant agnati proximiores in gradu ex linea paterna æquo iure, usque ad quartum gradum inclusiue. Et quod dictum est de filiis unius matrimonii, intelligatur de filiis cuiuscunque matrimonii, de cuius hæreditate ageretur. Præterea si aliqua persona decesserit intestata, uel sine testamento, aut ab intestato nullis descendentibus relictis, sed superstitibus patre & matre, mater non possit ei succedere, nisi illegitima, ut supra dictum est, sed successio patri deferatur. Si uerò decesserit ut supra, superstitibus solummodo collateralibus agnatis, & cognatis, collaterales agnati, scilicet ex linea paterna, usque ad quartum gradum, eidem defuncto succedant æquo iure, ut supra, exclusis omnibus aliis cognatis, scilicet attinentibus ex linea materna, ac etiam exclusis fratribus uterinis, auo & auia maternis dicti defuncti, licet proximiores essent in gradu succedendi dicto defuncto. Deficientibus uerò agnatis, usque in quartum gradum inclusiuè, ut supra, succedant proximiores in gradu succedendi, siue sint agnati, siue sint cognati, sublata omnino differentia agnationis & cognationis. Et quod dictum est de matre, in omnibus casibus antedictis, dictum esse intelligatur de auia paterna, si sola superesset, & nemo procederet eam in gradu.

Quòd mulier non succedat patri, uel matri, postquam fuerit dotata. *Caput.* LXXII.

ITEM statutum est, quòd aliqua mulier, seu femina, postquam fuerit dotata, & maritata, a patre, uel a matre, uel ab aliquo ex ascendentibus, ex linea paterna, uel a fratribus, seu altero eorum, soluta dote, uel maiori parte ipsius dotis, uel solemniter promissa, seu constituta, aut eidem feminæ, uel mulieri relicta a parentibus ascendentibus, in ultima uoluntate, de bonis eorum. Quòd talis mulier, seu ab ea descendentes, non possit, seu possint postea aliquid quàm dictam dotem petere,

uel habere in bonis paternis, uel maternis, auorũ, uel auiarum, seu fratrum, uel aliorum descendentium, occasione alicuius successionis ab intestato, nisi ab ipsis supra dictis personis, seu ab altera ipsarum fuerit donatum, uel quouis modo relictum Et hæc omnia intelligantur superstitibus fratribus masculis, uno, uel pluribus ipsius feminæ, uel filiis fratrum, uno, uel pluribus ualentibus patri, & matri succedere ab intestato. Si uerò mulier non haberet fratrem, uel fratres utrinque coniunctos, aut nepotem, uel nepotes, ex fratre, uel fratribus prædictis, possit ad successionem maternam, & omnium ex dicta linea materna ascendentium peruenire, non obstante præsenti capitulo.

Item additum est, ibi dum dicit, non possit postea aliquid, quàm dictam dotem petere, uel habere in bonis paternis, uel maternis, auorum, uel auiarum, uidelicet, seu fratrum, uel aliorum descendentium, occasione alicuius successionis ab intestato &c. quod dictum capitulum intelligatur, quòd succedere non possit, nec aliquid de bonis habere, aliquorum nominatorum in ipso capitulo: & sufficit, quòd ab uno ipsorum prò omnibus sit dotata, vt in capitulo continetur.

Item additum est, quòd suprascriptum capitulum cum additione, intelligatur ad excludendũ ipsas mulieres a successione, etiam si fuerit dotata a fratre, uel a nepote, aut aliis cõtentis in capitulo, etiam post mortem patris, uel matris, dum tamen dotetur secundum facultatem, & conditionem bonorum, & personarum: & casu quo ita non fieret, quòd id facere possint, & debeant duo, vel tres ex proximioribus agnatis dictæ mulieris, & deficientibus agnatis, cognati proximiores.

Item statutum, & additum est, quòd mulieres dotatæ, secundum formam suprascriptorum capitulorum, & additionum, non succedant, nec succedere possint, etiam deficientibus agnatis, vel cognatis, sed possint succedere collaterales, & alii de parentela, taliter, quòd omnino intelligantur exclusæ a dicta successione, exceptis earum dotibus, dummodo supersint ascendentes, descendentes, & post collaterales, & ita intelligãtur quo ad continentiam dictorum capitulorũ, & additionum, ita quòd bona remaneant, & remanere debeant in dicta agnatione.

Item statuerunt &c. quòd filia dotata, & maritata, aut dotata solum, hoc est, cui constituta fuisset dos, siue in vltima uoluntate, siue inter uiuos a patre, matre, fratre, aut filiis, seu filio, fratrum,

trum, seu altero ipsorum, non ualeat, nec possit existentibus filiis masculis, aut nepotibus, ex fratribus masculis, usque ad tertium gradum desensiue, quicquam petere in bonis, & hæreditate dictorum patris, matris, fratris, uel nepotum, sed omnino sint exclusæ, ab hæreditatibus & bonis eorundem, etiam si non fuisset dotata, nisi ab al ero ipsorum, & casu quo contingeret patrem, uel matrem decedere ab intestato, nulla constituta dote filiæ, uel filiabus, quòd tunc & eo casu possint, & ualeant fratres talis filiæ utrinq; coniuncti, uel ex latere patris, nec non eorum filii masculi, tales filias dotare, eisdemque constituere condecenter dotes, secundum condecentiam eorum, taxandas arbitrio dominorum Vicarii, & Iudicis, interueniente in tali taxatione duobus affinibus, ex parte talis filiæ proximioribus, uidelicet, uno ex parte patris, & altero ex parte matris, & casu quo deficerent affines, interuenientibus duobus amicis, uno pro parte eius, cui ius competeret dotandi dictam filiam, pro ipsa excludenda, & altero parte ipsius filiæ, quam dotari contingeret, qui omnes concorditer habeant dictas dotes taxare: quæ quidem personæ, si discordarent in tali taxatione, debeant compelli ad concordandum per dictos dominos Vicarium, & Iudicem, qui pro tempore fuerint: Deficientibus autem fratribus masculis, aut nepotibus, filiis fratrum utrinque coniunctorum, aut ex parte patris, tunc habeat locum ius commune, & admittantur feminæ, secundum quòd erunt proximiores ceteris exclusis ad successionem bonorum patris, matris, fratris, & aliorum, de quibus supra: Exceptis domibus, quæ fuissent de antiquo in familia dictarũ mulierum, aut alias essent eminentes, & acquisitæ de nouo, necnon possessionibus magnis, & eminentibus, in quibus succedere habeant proximiores defuncti, de cuius hæreditate agitur, secundum lineam masculinam, eo casu quo superessent in tali hæreditate alia bona, quæ excederent dimidiam partem hæreditatis: eo uero casu quo tot non superessent bona, tunc succedant ipse mulieres omnibus aliis exceptis illis de quibus supra, qui ipsas mulieres excludunt exclusis. Hoc tamen acto & intellecto, quòd si eo casu, quo mulieres ipse succederent etiam in domibus, & possessionibus eminentibus, prout supra in capitulo continetur, essent aliqui, uel aliquis, de agnatione dictæ mulieris, qui uellet, uel uellent dictas domos, uel possessiones antiquas, uel eminentes retinere, soluendo eo-

rum ualorem mulieri, uel mulieribus succedentibus, prout supra, quòd tunc ad æstimationem duorum proborum uirorum, hinc inde eligendorum, aut æstimatorum præsentis ciuitatis, teneantur tales mulieres ab ipsis de agnatione proximioribus, usque ad quintum gradum recipere pecuniam, & æstimationem dictarum domorum, possessionum, aut grangiarum, & de ipsis domibus, & possessionibus, talibus agnatis instrumentum remissionis facere in ualida iuris forma.

Item cum ex suprascripto statuto cum suis additionibus, dubium insurgi uideatur, an ipsa mulier, seu filia dotata, ad formam ipsorum capitulorum, & additionum agere possit ad legitimam, seu supplementum legitimæ, sibi iure naturæ debitæ, de qua legitima in statutis, & additionibus ipsis nulla uidetur mentio haberi, & super hoc variæ, & diuersæ reperiantur Doctorum opiniones, & etiam, an admittatur ad successionem sororis, seu sororum. De quibus etiam in statutis ipsis, additionibus, & declarationibus nulla habita fuit mentio, ex quibus Respublica læditur, & singulares personæ, contra mentem statuentium expensis, & laboribus fatigantur Declararunt, statuerunt, & ordinauerunt, quòd filia dotata, aut in futurum dotanda, secundum formam dictorum statutorũ, seu additionum in casibus dictorum statutorum, & additionum, non possit, nec ualeat aliquid aliud præter dotem petere, seu habere in bonis paternis, maternis, fraternis, sororis, seu sororum, auorum, seu auiarum, seu aliquorum aliorum in ipsis statutis, & additionibus nominatorũ, etiam ratione dictæ legitimæ, seu supplementi legitimæ prædictæ. Et sit & intelligatur dotata, tam de bonis paternis, quàm maternis, & sufficiat, quòd ab uno ipsa filia sit dotata, secundum formam dictorum capitulorũ, seu additionum, dictis statutis, & additionibus præmissis saluis, in suo robore permansuris: & præmissa locum habeant in præteritis negotiis præsentibus, & futuris.

Quòd mulieres non possint contrahere, sine consensu duorum proximiorum. *Caput* LXXIII.

ITEM quia, vt experientia docet mulieres cum minis, ac blanditiis, & aliter coguntur per maritos bona dotalia, & parafernalia, uendere, & alienare in præiudicium, & damnum ipsarum, iccirco in præmissis prouidendo, statutum fuit, & ordinatum, quòd si de cetero contingat ipsas mulieres de præsenti

ciuitate,

ciuitate,& posse,& ibidem maritatas, aut aliquam ex eis,uenditiones, seu alienationes facere, de bonis suis immobilibus, aut consensum in uenditionibus maritorum præstare, quòd tales alienationes,& uenditiones,ac consensus præstationes,fieri non posint, nec ualeant, nisi interueniente præsentia, consensu, & uoluntate, duorum suorum proximiorum, attinentium ipsius mulieris,seu mulierum,& si aliter fiat non ualeant, sed sint ipso iure nullæ.

Item, quoniam ex prædicto statuto uidetur oriri dubium, an mulier,seu filia non maritata,seu uidua,cōprendatur in ipso statuto: Ad tollendum omne dubium,& pro utilitate ipsarum mulierum,& totius Reipublicæ, Declararunt,statuerunt,& ordinauerunt,quòd etiam filia,seu mulier nō maritata, seu uidua comprendatur,& comprensa sit,& uere esse intelligatur,in ipso statuto,& quòd aliqua mulier, seu filia de ciuitate, seu iurisdictione MontisRegalis, seu ibidem maritata, aut aliqua filia de ipsa ciuitate,& iurisdictione,maritata,aut non maritata, uel uidua, non posit, nec ualeat, de bonis suis uendere,nec alienare, seu obligare, obligatione habente respectū ad maritū, seu uenditionibus, aut alienationibus, seu obligationibus maritorum, consensum præstare,sine expressa uoluntate,& consensu,ac præsentia duorum proximiorum suorum consanguineorum ipsius filiæ: Et si non habuerit proximiores, uel si habuerit, & citati consentire noluerint, seu non uenerint, posit cum decreto Iudicis,& præsentia,ac cōsensu duorum uicinorum, per Iudicem eligendorum, de bonis suis uendere & alienare, ac uenditionibus, & obligationibus mariti consentire, & si secus fiat non ualeant, nec teneant ipsæ uenditiones, alienationes,seu consensus præstationes, sed sint, & esse intelligantur ipso iure nullæ, nulliusque ualoris,& momenti,etiam si fuerint iuramento roboratæ,attenta debilitate sexus muliebris,& quod agitur ad præseruationem bonorum mulierū, Et si fiant sine solemnitate prædicta, præsumātur dolo inductæ,& fraude, ad sic contrahendum, uel obligandum: vt experientia euidens manifestam mulierum deceptionem declarat,exceptis, uidelicet renuntiationibus factis, & fiendis per sorores, fratribus, uel agnatis, quando maritantur, uel alias ad religionem transferuntur, in quibus prædicta locum habere non ualeant, imò excepta sint, & esse intelligantur.

De filijs ingratis, & inobedientibus parentibus eorum.
Caput LXXIIII.

QVONIAM ex liberis aliqui plerunque sunt ingrati, & inobedientes eorum parentibus, propter quod Deum offendunt, ueniendo contra præcepta diuina, quibus cauetur filios parentes honorare debere, Cupientes igitur animarum saluti prouidere, & scandala euitare, Statutum est, quòd si de cetero fuerit aliquis filius familias, qui sua temeritate, uel superbia recuset patri, uel auo, in cuius est potestate obedire, & eorum præcepta seruare, licita, & honesta, quod dicto patri, vel auo, facta fide de prædictis, licitũ sit talem filium a se expellere, & separare, absque eo, quòd teneatur sibi aliqua præstare alimenta, seu aliquam legitimam, nisi solum dotem uxoris, seu dotes, si quam, uel quas habuisset, & alias res, si quas haberet, uel aliquo titulo acquisiuisset, quoquo modo absque bonis paternis Et si uero filius, ex sua auctoritate, uel temeraria uoluntate, a patre, uel auo recesserit, quòd eo casu talis pater, uel auus non teneatur tali filio aliquid dare, uel præstare ultra prædicta, nisi ut supra. Præterea si pater, uel auus expelleret filium, uel nepotem a se, sine iusta causa, quòd tunc teneatur eidem restituere dotes, uel alia bona de quibus, ut supra fit mentio, & ultra omne id quod declaratum fuerit, uel ueniet declarãdum per duos ex proximioribus parentibus eorundem, per ipsos eligendos, Ad quam electionem, etiam in omnibus casibus ante dictis, si oriretur quæstio inter ipsos, possit dominus Iusdicens partes ipsas compellere ad eligendum eos, sub pœna eius arbitrio auferenda, in quibus fiat compromissum, de iure, & de accordio, vt possint summariè cognoscere, & terminare omnibus solemnitatibus iuris prætermissis. Nec possit aliquis Aduocatus, uel Procurator, pro ipsis interuenire, vel aduocare, sub pœna librarum decem, pro quolibet, & qualibet vice, ab eis irremissibiliter auferenda, sine aliqua condemnatione: Et hoc sane intellecto, quòd dotes matris, non includantur in bonis suprascriptis, sed remaneant penes patrem in vita sua.

Quòd quis consequatur ius suum, & de denunciatione fienda.
Caput LXXV.

ITEM statutum est, quòd si aliquis denunciauerit alicui, coram domino Iusdicente ciuitatis MontisRegalis, vt si quod ius habet super rebus, vel persona ipsius, cum charta, vel sine

charta

charta illud consequatur, petat & ostendat, dominus Iusdicens teneatur ei, cui denũciatio facta est, dare terminum quindecim dierum utilium. Et si infra dictum terminũ non fuerit prosecutus, exinde cadat a iure suo. Prosequutus autem intelligatur quantum ad hoc capitulum, si petitionem suam inde fecerit, & dederit in scriptis infra dictum tempus, coram dicto domino Iusdicente. Et si aliquis denunciauerit alicui, si credit eum habẽre ius super rebus, quas tenet, debeat nominare res, & possessiones, & dicere cohærentias, & si denunciauerit in personali actione debeat dicere causam hoc modo, Si tu habes aliquod ius occasione patris, uel matris meæ, vel occasione talis personæ, & teneatur nominare personam, occasione cuius dubitaret, & crederet habere ius, & aliter non noceat denunciatio illi, cui facta esset. Et quòd ille qui dederit libellum, seu petitionem, vt supra, teneatur procedere in causa, usque ad finem, secundum formam capitulorum ciuitatis prædictæ, & iuris, & hoc si placebit denuncianti. Et postquam facta fuerit denuncia, non possit ille, cui facta fuerit denunciatio, iura cedere dare aliquo titulo, vel modo concedere, vel transferre iura, uel rem super quam facta fuisset denunciatio. Et si aliqua cessio iurium translatio, vel concessio, vel rei alienatio, facta fuerit ante litem finitam, ut supra dictum est, nulla sit ipso iure, nec aliquem sortiatur effectum. Et si quis uoluerit denunciare aliquid de cõtentis in ipsis capitulis, quòd si ille, cui denunciationes fieri debuerit, fuerit absens a ciuitate MontisRegalis, denuncietur, & denunciari debeat, hoc modo, uidelicet, habere notarium curiæ, & decanum curiæ, & denunciationem totam in scriptis, sicut continetur in ipsis capitulis, & facere eam præconizare a dicto decano, in platea maiori ciuitatis MontisRegalis, & ante domum ipsius absentis, & præsentibus tribus testibus, & præconizari facere totam denunciationem, & quòd ille absens consequatur ius suum, sicut continetur in ipsis capitulis, infra tres menses continuos, a die dictæ præconizationis, alioquin cadat a iure suo, & dimittetur dicta denunciatio per dictum decanum, in scriptis alicui de domo, seu de familia dicti absentis, si adfuerint. Item, quòd si dictus absens cessisset iura rei, de qua dubitaretur alicui, quòd ille, cui iura essent cessa, teneatur prosequi ius suum, infra dictum terminum, alioquin cadat a iure suo, secundum formam dicti capituli, quemadmodum dictus absens. Et quòd præsens

capitulum

capitulum non uendicet sibi locum in dotibus mulierum, uel in possessionibus datis in dotem, si denunciatio facta fuerit mulieri, viuente marito. Et si denunciatio facta fuerit, ut supra dictum est, eidem mulieri, non currat tempus, nec habeat locum præsens capitulum, in aliqua possessione, data in dotem marito suo, uiuente eius marito. Et hoc capitulum non uendicet sibi locum contra tenentes, uel possidentes, uel quasi in rebus, quas tenent, & possident, uel quasi, nec possit dictis personis tenentibus, uel possidentibus, uel quasi, fieri aliqua denunciatio, per formam huius capituli. Et si facta fuerit ipso iure, non teneat, sed sit nulla, & nullius ualoris, & qui fecit, teneatur restituere expensas, & damna illi, cui fecerit.

Item statutum est, quòd priusquam recipiatur instrumentum denunciationis prædictæ, contentæ in præcedenti proximo capitulo, detur in scriptis dicta denunciatio notario curiæ, qui inde recipiet instrumentum. Qui Notarius postquam inde receperit instrumentum, non possit addere, nec diminuire, nisi sicut data fuerit sibi in scriptis per denunciationem, saluo quòd ibi possit assignationem termini ponere, quem daret D. Iusdicens. Et si denuncians uoluerit, quòd procedatur in causa, vt in dicto capitulo continetur, teneatur hoc declarare coram domino Iusdicente, & scribi facere in libro curiæ, infra octo dies utiles, postquã fuerit sibi oblatus libellus, seu petitio alioquin actor non cõpellatur in causa procedere, & si reus declarauerit & scribi fecerit, quòd vult quòd procedatur in causa, ut supra dictum est, teneatur actor, cui facta fuerit denunciatio, in causa procedere, usque ad litis contestationem faciendam, infra terminum octo dierum utilium, alioquin cadat ipso facto a iure suo.

De masnenghis, & pedissequis. Caput LXXVI.

ITEM statutum est, quòd omnes masnenghi, & masnenghæ, tam de ciuitate MontisRegalis, quàm aliunde, teneantur stare cun dominis, & dominabus suis, & debeant eis fideliter seruire bona fide, & sine fraude, usque ad eius terminum, nec possint, uel debeant discedere ab eis ante terminum, sine iusta causa, & si contrafecerint, amittant totum salarium, & restituãt domino suo, cum quo stare debebãt, uel dicere totum dãnum, quod pateretur illa occasione. Et si contingeret, quod dominus sine iusta causa ante terminum daret licentiam, seu comiatum

masnengo,

masnengo, uel masnenghæ, teneatur, & debeat eidem soluere, salarium totius anni, & de causa credatur domino, uel dominæ, de causa masnenghi, uel masnenghæ, iuramento domini, uel dominæ, si dominus, uel domina sit bonæ famæ.

Finis secundæ Collationis.

TERTIA COLLATIO, De Maleficiis.

DE ARMIS NON PORTANDIS. *Caput Primum.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd aliqua persona de hac ciuitate, uel posse, etiam si haberet officium in aliqua uillarum dictæ ciuitatis, non audeat, uel præsumat portare arma in dicta ciuitate, seu in uillis ipsius, exceptis Vicariis, & officialibus ipsarum uillarum, qui in eis portare ualeant ad eorum uolũtatem, præter gladium de mensura ordinata. Et qui contrafecerit, incurrat pœnam solidorum decem, pro quolibet, & qualibet uice, & amissionis armorum, quæ pœna possit incontinenti excuti, sine aliqua condemnatione, quæ pœna applicetur curiæ: & hoc intelligatur de die: de nocte uero dupliciter pœna pecuniæ, exceptis personis facientibus excubias, & custodiã, & personis extraneis uenientibus ad ciuitatem, & ipsam ciuitatem intrantibus, uel exeuntibus, qui extranei possint, usque ad hospitium, uel ad domum eius, ad quam accedunt arma uetita portare, & etiam alibi, non obstantibus prædictis, dummodo spatam, seu cultellum, uel alia arma portet ligata, cum manico, ita quòd non possit extrahi: & si fuerit lancea, uel iauarina, uel aliud telum impizatum in summitate. Hoc addito, uel intellecto, quòd aliquis famulus D. Vicarii, uel Iudicis, non possit arma prædicta ab aliquo auferre, nisi fuerit in præsentia militis, domini Vicarii, uel Iudicis: quòd si contrafecerit, non teneatur talis persona, soluere bannum prædictum, nec amittere arma.

Item

Item additum est ibi, ubi fit mentio de personis extraneis venientibus ad ciuitatem &c. quòd non obstante ipso capitulo, possint arma portare non impizata, uel non ligata impune, usque ad hospitium, uel ad domum eius, ad quam accedunt, tam intrãdo in dictam ciuitatem, quàm in exeundo. Et quòd aliqua persona de ciuitate, & de Villa noua, Rochaforte, Monasterio Vaschi, Rocha baudorum, Frebozia, Morocio, Villario Vici, Pisio, Molinis, Monte alto, Reburento, & Bastita Carassoni, non audeat, uel præsumat portare arma, nec cultellum, saluo cultellum a pane, infra catenas plateæ, in die mercati, in diebus Dominicis, & festiuis, & non audeat, uel præsumat, per intra ciuitatem ipsa arma portare, nisi eundo, & redeundo ab ipsa ciuitate sub pœna capituli. Et similiter homines aliorum locorum supra nominatorum, non audeant, uel præsumant arma portare in restrictis ipsorum locorum, nisi cultellum a pane, sub pœna prædictis.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd quilibet, qui portauerit arma, contra formam suprascripti capituli, incurrat pœnam solidorum viginti, de die. De nocte uero dicta pœna duplicetur, & amissionis armorum. Et quilibet homo bonæ famæ, & etiam familia curiæ, possit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem banni prædicti.

De verbis iniuriosis. *Caput* II.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona, cuiuscunque conditionis existat, dixerit alteri personæ irato animo, uerbum aliquod iniuriosum de infrascriptis, uidelicet, latro, fur, falsus, falsarius, periurus, proditor, sodomita, soluat, & soluere teneatur pro banno solidos sexaginta. Si vero dixerit aliud uerbum iniuriosum, uel turpe, seu difamatorium irato animo, soluat pœnam solidorum decem, & hoc intelligatur, si dicta fuerint in absentia curiæ. Si uero in præsentia D. Vicarii, Iudicis, uel militis, pœna duplicetur, Saluo, & excepto, quòd si aliquis dixerit alicui personæ, aliquod uerbũ iniuriosum, uel turpe de prædictis ad sui defensionem, si eidem prius dictum fuerit uerbum iniuriosum, nullam pœnam incurrat. Idem intelligatur de eo, qui dixerit uerbum iniuriosum, quod uerum probare possit, quo probato pœnam non incurrat. Excusetur etiam a dicta pœna, dicens uerbum iniuriosum, si illud dixerit publico ribaldo, uel publicæ meretrici, aut alteri personæ infami. Et intelligatur

telligatur si tale uerbum iocosè dixisset, aut animo castigandi, Et quòd per curiam non possit facere inquisitionem de dictis uerbis iniuriosis, nisi ipsa fuerint dicta, coram supradictis officialibus.

De Insultu. *Caput* III.

ITEM statutum est, quòd si aliquis irato animo insultum fecerit in aliquam personam, ad domum habitationis suæ, & cum armis, soluat bannum librarum decem Asten. Et si sine armis, soluat bannum librarum quinque, nisi rixa ibidem orta fuisset, quo casu soluat bannum, ac si alibi quàm ad domum insultus factus fuisset. Et si alibi, quàm ad domum aliquis, aliquem abriuauerit, uel insultũ fecerit, si cum armis, soluat bannum solidos sexaginta: si sine armis, soluat bannum solidos uiginti. Et si quis supra aliquem, uel in aliqua rixa euaginauerit gladium, & non fecerit insultum, soluat bãnum libras duas, nisi prædicta fecerit contra publicum ribaldum, uel publicam meretricem, quo casu non possit quis condemnari, ultra solidos decem. Et prædicta banna soluantur arbitrio Iusdicentis: ita quòd prædicta non possint excedi, minui autem possint ex causa, secundũ quod Iusdicenti placuerit. Et intelligatur ribaldus, in quolibet casu maleficiorum, qui se expoliauerit ad ludum, usque ad camisiam, ab uno anno citra numerando, uel computando a die maleficii in eum commissi, uel de quo manifestum, uel notorium esset ipsum esse publicum ribaldum. Meretrix autem intelligatur, quæ non habet uirum, & probatur cognita carnaliter, a duobus supra, etiã per eos, qui carnaliter eã cognouerunt, quamuis essent singulares in dictis suis, uel de qua esset manifestum, uel notorium, eam esse publicam meretricem. Prædicta uero banna non incurrat, qui se, uel sua legitime defendendo commiserit prædicta, uel aliquod prædictorum. Et nisi prædicta fierent animo castigandi, per habentem ius castigandi, uel rixam diuidendi.

De percussionibus sine gladio. *Caput* IIII.

ITEM statutum est, quòd si quis irato animo aliquem percusserit manu, uel pede, uel aliter, sine gladio, si in collo, uel a collo superius, & sanguis non exiuerit, soluat bannum solidos sexaginta, & si sanguis exiuerit, soluat bannum solidos centum: si autem a collo inferius, soluat bannum solidos quadraginta. Et si aliquis aliquem lutauerit, ita quòd faciat cadere, sol

uat bannum solidos sexaginta, & si non fecerit eum cadere, soluat solidos uiginti. Et si aliquis aliquem ceperit ad capillos, uel ei lacerauerit cauezanam, soluat bannum solidos sexaginta. Et si aliquis ceperit aliquem ad cauezanam, & non lacerauerit, soluat bannum solidos quadraginta, nisi prædicta fierent in publicum ribaldum, uel publicam meretricem, quo casu non possit quis condemnari, ultra solidos uiginti: minus autem sit in arbitrio domini Iusdicentis, inspecta qualitate facti, & personarũ. Et prædictas pœnas non incurrant, qui prædicta, uel aliquod prædictorum commiserit ad suam, uel rerum suarum defensionem moderatam, uel nisi fecerit animo castigandi, per habentem ius castigandi, uel rixam diuidendi.

De percussionibus cum gladio. *Caput* V.

ITEM statutum est, quòd si quis aliquem cum gladio, irato animo percusserit, & sanguinem exire fecerit, si quidem in brachio, uel tibia, uel cossia, pede, uel manu, soluat bannum libras decem: Et si in aliis partibus personæ, soluat bannum libras uiginti quinque. Si autem sanguinem non fecerit exire, soluat bannum librarum quinque. Et si ex dictis percussionibus aliquis haberet os fractum, uel scissum, soluat prædicta banna in duplum. Et si percussus ex aliqua prædictarũ percussionum, amitteret membrum, uel membri partem aliquam, soluat bannum libras quinquaginta. Et si percutiens, uel delinquens, non posset soluere prædicta banna percussionum, uel insultuum, si sine gladio deliquerit, uel si cum gladio, & sanguis non exierit, & os fractum non fuerit, fustigetur ab uno campanile usque ad aliud. Si uero cum gladio, & sanguis exiuerit, uel os fractum fuerit, amittat pedem, uel manum in electione sua. Gladius intelligatur omne id, quod continetur armorum appellatione. Si autem aliquis prædicta cõmiserit, uel aliquod prædictorum, in platea ciuitatis MontisRegalis, uel coràm domino Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis, soluat dicta banna in duplum, in arbitrio dominorum Vicarii, uel Iudicis, inspecta qualitate personarum, & facti. Et si quis prædicta committeret in personam alicuius ribaldi, uel meretricis, non posit condemnari ultra solidos sexaginta, minus autem, sit in arbitrio dominorum Vicarii, & Iudicis, inspecta qualitate personarum, & facti. Et ultra

prædictas

prædictas pœnas teneantur domini Vicarius, uel Iudex, sine omni lite facere dari expensas medicorum, & alia damna uulnerato, seu percusso, ab illo qui percusserit, secundum quod ipsi domino Vicario, uel Iudici uidebitur, si de hoc fuerint requisiti. Prædicta autem banna non incurrat, qui prædicta fecerit ad suam, uel rerū suarū defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, uel qui prædicta fecerit animo castigandi, per habentem ius castigandi, uel rixam diuidendi. Quæ banna omnia, & singula, soluātur arbitrio Iusdicentis, iuxta facti, & personarum qualitatem, ita quòd ipsa non possint excedi, minui autem possint ex causa, secundum quòd uidebitur Iusdicenti

Item additum est ibi, vbi imponitur pœna, pro incisione membri, siue partis, librarū quinquaginta, quod sit pœna librarum centum, & parti teneatur ad interesse. In ceteris uero dictum statutum habeat firmitatem.

De percussionibus inter parentes. *Capu* VI.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de ciuitate Montis Regalis, uel districtu, dicto, uel facto, offenderit aliquem personaliter, de parentibus suis, de ascendentibus, uel de liberis suis, uel fratribus, uel sororibus suis, uel cōsanguineis germanis, uel de his, qui essent, uel attinerent eidem, infra dictum gradum, uel aliquem, cum quo moraretur ad unum panem, & vnum uinum, curia ciuitatis Montis Regalis, non possit, nec debeat de tali maleficio, seu offensa inquirere, seu processum aliquem facere, nisi per personam offensam, de hoc facta esset, seu fieret denunciatio, uel accusa, quam scribi fecerit dicta persona denuncians, uel accusans, cum iuramento, in libris curiæ. Eo saluo, quòd si percussio, uel offensio talis esset, ex qua offensus, seu percussus haberet os fractum, seu membrum debilitatum: tunc curia, de tali maleficio inquirere possit, & punire, dummodo non condemnetur talis persona offendens, quando proceditur sine denunciatione, uel accusa, nisi in medietate bannorum, seu pœnarum, in quibus condemnaretur, si dictam iniuriam, uel offensam fecisset alteri personæ, non supra specificatæ. Et hoc capitulum non uendicet sibi locum in homicidio.

De homicidio. *Capur* VII.

ITEM statutum est, & ordinatum, quòd si aliquis scienter, vel dolose committeret homicidium, in ciuitate Montis Regalis, vel posse, seu iurisdictione ipsius, vel etiam extra ciuita-

tem, & posse in personam alicuius de dicta ciuitate, uel posse, puniatur pœna legali, uel secundum capitula huius ciuitatis, si haberi poterit. Et si talis persona aufugeret, ita quòd haberi nō possit, talis homicida nunquam reconciliari possit in dicta ciuitate, uel posse, sub aliquo ingenio, uel colore, uel aliqua ratione, uel causa, quæ dici, uel excogitari possit, non obstante aliquo alio capitulo, nisi esset de uoluntate, & in concordia proximorum attinentium dicti defuncti. Et hoc capitulum sit præcisum, ita quòd nunquam possit tolli, uel mutari aliqua ratione, uel causa. Et omnia eius bona sint ipso iure confiscata Cameræ Illust. Domini nostri. Si uero talis homicida committeret illud homicidium iustè, uel ad sui defensionem, in eo casu seruetur ius commune, & fiat sibi iustitia. Et si aliquis aduocaret, uel requireret contra formam præsentis capituli, incurrat pœnam quinquaginta aureorum. Et eandem pœnam incurrat talis persona, quæ receptaret talem homicidam, uel ei daret aliquid ad bibendum, seu ad comedendum, ipso sciente commisisse delictum homicidii. In casu uerò, quòd ignoraret, nullam pœnam incurrat.

De bannitis, & forensitis, pro maleficijs. Caput VIII.

ITEM statutum est, quòd si aliquis de dicta ciuitate Montis Regalis, uel iurisdictione, pro aliqua offensa, se forestauerit, uel fuerit forestatus, non possit, uel debeat restitui, etiam soluto banno maleficii, nisi primo concordatus fuerit cum illo, cui offensam fecisset, uel cum hæredibus eius. Et qui forestatus fuerit, uel bannitus de ciuitate Montis Regalis, sit forestatus, & bannitus de omnibus uillis, quæ soluunt fodrum, & taleam in ciuitate prædicta, ita quòd in prædictis nullatenus recepretur. Et dominus Vicarius teneatur hoc facere denunciare, in uillis prædictis: Et si aliqua de uillis prædictis, reduceret aliquem forestatum, uel bannitum ciuitatis Montis Regalis, ubicunque sit, uel in dicta uilla reperiretur postquam denunciatum fuisset per Vicarium dictæ ciuitatis, uel Iudicem consilio dictæ uillæ, quòd dicta uilla soluere teneatur pro banno, id quod solueret, & soluere deberet dictus bannitus, uel illum reddere captum in forciam Vicarii, siue Iudicis. Et si aliqua persona percusserit, seu interfecerit aliquem bannitum, seu forestatum, occasione alicuius maleficii, pro quo deberet perdere uitam, uel aliter offenderit in rebus, & persona, nullam pœnam inde sustineat,

neat, nec inde condemnari, uel puniri poſsit, & quòd aliqua perſona non debeat ſcienter reducere, uel hoſpitari, ſeu receptare aliquem bannitum, ſeu foreſtatum, uel ei dare, uendere, uel aliquo modo concedere aliquid ad bibendum, uel comedendum, uel aliquod auxilium, uel fauorem dare, ſub pœna librarum decem, pro qualibet perſona contrafaciente. Et intelligatur etiam ſcienter reduxiſſe, & feciſſe contra formam præſentis capituli, quælibet perſona, quæ fecerit aliquid de prædictis, poſtquam fuerit publicatum in terra, ſeu uilla, uel uillario, ubi prædicta fierent, quòd illa talis perſona eſſet bannita. Et hoc, quòd dictum eſt de reducendo, uel hoſpitando, uel aliquem fauorem, uel auxilium dante, locum habeat in foreſtatis, & bannitis, occaſione furti, uel percuſsionis cum ſanguine, uel homicidii, uel ſtratæ ruptæ, rapinæ, incendii, uaſti clandeſtinè dati, ſeu facti, raptus mulieris, falſitatis, & proditionis.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi aliquis ſe abſentauerit de ciuitate MontisRegalis, uel poſſe, uel de cetero ſe abſentaret, cauſa ſtandi cum inimicis ciuitatis MontisRegalis, uel cauſa offendendi dictum commune, uel aliquem hominem ſpecialem, de loco MontisRegalis, uel diſtrictus, uel qui manifeſte ueniſſet, uel ueniret ad prælium contra commune MontisReg. & non ueniret ad ſtandum, ad mandata curiæ ciuitatis MontisReg. infra quindecim dies, poſtquam præconizatio facta fuerit, inde per decanos curiæ ciuitatis MontisRegal. in platea dictæ ciuitatis, & aliis locis conſuetis, ſit inde bannitus, & forenſitus dicti communis ciuitatis prædictæ, in perpetuum, & omnia bona ſua publicentur, & applicentur dictæ curiæ. Et intelligatur ſe abſentaſſe de Monte, & poſſe, cauſa ſtandi cum inimicis MontisRegalis, & in prælium contra commune Montis, qui fuerit uoce præconia publicè emiſſa, per plateam prædictam uocatus, ut ueniret, & compareat coram D. Vicario, & Iudice MontisRegalis, & non ueniret infra tempus prædictũ de mãdato D. Vicarii, uel Iudicis ſtatutum. Et ſi quis inuenerit in toto poſſe MõtisReg. poſsit eum interficere, ſine pœnã, & banno, & qui reddiderit eum captum curiæ MontisReg. habeat a communi libras quinquaginta, & debeat ſtare bannitus, quouſque fuerit reſtitutus per curiam dictæ ciuitatis. Nec reſtitui poſsit aliquo modo, niſi primò ſoluerit communi, pro damno, & intereſſe, quæ paſſus fuerit in ſe foreſtando, libras centum, ſi fuerit de maioribus, & ſi fuerit

de mediocribus, libras quinquaginta,& si fuerit de minoribus, libras uiginti quinque. Et intelligatur esse de maioribus, qui habuerit ualorem librarũ centum, & de mediocribus, qui habuerit, ualens a libris centum infra, usque in uiginti quinque, & de minoribus, qui habuerit ualorem, a libris uiginti quinq, infra.

Quòd nemo de Berxanis stare possit in ciuitate Montis Regalis, & posse. Caput IX.

QVONIAM sæpe contingit, quòd plures de Berxanis surfurium, & proditiones fecerunt, & tractauerunt, in ciuitate MontisReg.& districtu, propter quod fuerunt plures exbanniti, & alii perpetuo forestati. Cupientes scãdala de cetero euitare, quia iure cauetur, quòd qui semel malus, semper præsumitur esse malus. Statutum est,& ordinatum, quòd nemo de Berxanis de ciuitate MontisReg. seu de eorum progenie, & agnatione, de cetero audeat, uel præsumat stare, & habitare in ciuitate prædicta, uel in uillis, seu castris eiusdem ciuitatis, sub pœna florenorũ centũ boni auri. Et quilibet possit ipsos inuentos in iurisdictione percutere, uulnerare,& impune interficere, sine aliqua pœna, & banno, sicut si essent perpetuo banniti, & nunquam possint in perpetuum recõciliari aliquo iure, uel colore quæsito. Et qui consuleret, uel tractaret aliquem ipsorum de dicta parentela accordari facere in dicta ciuitate, uel posse, uel quæreret reconciliari, cadat ipso iure, & facto, in pœnam florenorum quinquaginta, nulla alia condemnatione expectata ab ipso, sic quærenti irremisibiliter auferenda.

De frangentibus stratam. Caput X.

ITEM statutum est, quòd quicunque tempore pacis, uel treguarum fregerit stratam aliquam in posse, uel districtu ciuitatis MontisRegalis, derobando, uel interficiendo aliquem, uel capiendo, uel alio modo stratam fregerit, suspendatur ad furchas, ita quòd moriatur, tamquam latro publicus, & damnum restituat passo cum pœna legali. Et idem intelligatur de quocunque alio loco, districtus ciuitatis MontisRegalis, etiam extra stratam,& tam extra terram, quàm intus.

De maledicentibus de Deo, & beata Maria, & aliis Sanctis. Caput XI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis malum dixerit de Deo, vel de beata Maria, si inde fuerit accusatus, soluat bannum solidos quadraginta, & D. Vicarius, teneatur incontinenti

excutere bannum, si haberet, unde solueret bannum, & si non haberet, unde solueret, ponatur supinus in terra, & super caput eius proiiciatur situla aqua bene plena, uel ponatur ad pellerinum, non expectato Iudice, uel aliqua condemnatione, seu defensione, sed incontinenti. Et quilibet homo bonæ famæ possit accusare. & teneatur priuatus, & habeat quartã partem banni, & ei cũ vno teste & iuramento credatur. Et quæcunq. persona malũ dixerit de aliquo alio Sancto, uel Sancta, uel aliquod turpe uerbum, seu opprobriosum de prædictis, soluat pro banno incontinenti, solidos decem, pro quolibet, & qualibet uice, sine aliqua condemnatione, & de hoc possit accusari, & accusanti, credatur, ut supra: & si dictum bannum soluere non poterit, ponatur, ut supra de Deo, & beata Maria, dictum est: Et de hoc capitulo possit inquiri, & etiam familiares domini Vicarii, & Iudicis, possint contrafacientes accusare, ut supra, & eis credatur, vt supra, & habeant quartam partem banni.

De furtis. *Caput* XII.

ITEM statutum est, quòd qui furtum fecerit in ciuitate MontisRegalis, uel posse, de die ualens usque in solidis tribus, vel infra, soluat bannum, solidos quadraginta, & a solidis tribus supra, usque in solidos uiginti, soluat bannum solidos sexaginta, & a solidis uiginti supra, usque in solidis sexaginta, soluat bannum libras decem, & a solidis sexaginta, usque in libris uiginti, soluat bannum libras uiginti, & a libris uiginti supra, cuiuscunque quantitatis sit furtum; soluat libras quinquaginta, & emendet furtum in triplum, illi cujus esset, uel fuisset res furtiua. Et si non poterit soluere dictum bannum, fustigetur ab vno cãpanile, usque ad aliud, si furtum fuerit, usque in solidis tribus, & a solidis tribus infra: Et si fuerit a solidis tribus, usque in solidos uiginti, decoquatur in fronte, cum ferro calido, uel amittat aurem. Et si fuerit a solidis uiginti supra, amittat pedem, uel manum in sua electione. In nocte uero omnia banna duplicentur. Et si quis fecerit tria furta, uel a tribus supra, in ciuitate prædicta, uel posse, seu districtus, quæ furta ualeãt, a solidis centum supra, negetur, vel suspendatur, ita quòd moriatur. Item si quis inuentus fuerit intrasse secretè de nocte, post sonum campanæ ultimæ guardiarum, in domũ alicuius, præsumatur intrasse pro furto faciendo, & puniatur, tamquam fur nocturnus, ac si furtum fecisset, in libras decem pro banno, nisi in-

traſſet de uoluntate Domini domus, in qua inuentus eſſet, uel de uoluntate habitantis in ea. Et quicunque inuenerit aliquem de nocte, poſt ſonum ultimæ cāpanæ, in domo ſua occultatum, & eum percuteret, uel occideret, nullam pœnam, ſeu bannum portet, uel incurrat. Prædictæ pœnæ, ſeu banna impoſita furibus, uendicent ſibi locū in receptatore, ſeu receptatoribus furti, uel furtorum ſcienter. Et nullus fur pro aliquo furto, uel furtis moriatur, niſi furta quæ commiſerit, aſcendant uſque ad ſolidos centum, uel ſupra, nec poſsit fur pro una inquiſitione, ſuper furto, uel furtis formata puniri, ultra admiſsionem unius membri, niſi furta prædicta aſcenderent ad ſolidos centum ſupra.

De pœna committentium adulterium, uel ſtuprum.
*Capu*t XIII.

VT appetitus noxius, & effrenata hominum cupiditas arceatur, Statutum, & ordinatum eſt, quòd ſi aliquis commiſerit adulterium cum aliqua muliere maritata, in domo mulieris, uel mariti, puniatur, & puniri debeat talis adulter in libras quinquaginta Aſtenſes, pro banno, & non ultra, vel in minori quantitate, ſi domino Iudici uidebitur, ſecundum conditionem, & qualitatem perſonarum, quæ locum habeant in omnibus articulis infraſcriptis. Si uero alibi extra domum mulieris, uel mariti, puniatur, & puniri debeat in libris uiginti quinque Aſten. pro banno, & non vltra Saluo quòd, ſi mulier intrauerit domum adulterantis, & ibi committat adulterium, ille committens puniatur, & puniri debeat in libris decem Aſten. & non vltra, pœna legali, in omnibus ſupradictis ſemper remiſſa. Et mulier in omnibus caſibus ſupradictis, ſoluat bannum totidem; & ſi ſoluere non potuerit, mulier, uel vir fuſtigetur. Et prædicta intelligantur, ſi mulier conſenſerit tali viro adulteranti, & conſenſiſſe uideantur, & mulieris uoluntatem concurriſſe cum voluntate viri, niſi in fragranti crimine proclamauerit, vel infra duos dies connumerandos, a tempore commiſsi delicti venerit talis mulier, & accuſam fecerit, vel denunciam coram domino Vicario, vel eius Iudice ciuitatis Montis Regalis, & legitime probauerit prædictam exclamationem, & quòd contra eius voluntatem fuerit commiſſum delictum, alioquin elapſis dictis duobus diebus, non audiatur dicta mulier accuſans, vel denuncians. Et ſi dominus Vicarius, Iudex, vel alius Iuſdicens vellent procede-

procedere contra talem delinquentem, violenter per accusam, seu per inquisitionem ex denūciatione facta per aliquam aliam personam attinentem dictæ mulieri, uel marito, quam per dictam mulierem adulteram hoc facere posśint infra unum mensem numerandum, a tempore commisśi delicti, seu quo diceretur esse commissum. Aliter elapso dicto mense, nullo modo procedere posśit contra talem delinquentem, & si processum fuerit, habeatur processus pro non processu, & ipso iure sit nullius momenti, & efficaciæ: ita quòd condemnatio, quæ inde fieret ex tali processu, ipso iure sit nulla. Si uero uiolenter commiserit adulterium cum muliere maritata, puniatur talis adulter pœna legali, ubicunque tale adulterium uiolenter committeretur. Eo semper dicto, & intellecto, quòd non intelligatur facta uiolentia, sed uoluntate mulieris, nisi in fragranti crimine proclamauerit, uel infra dictum tempus accusauerit, uel denunciauerit dicto domino Vicario, uel Iudici, ut supra dictum est. Et prædicta, quæ dicta sunt in adulterio, intelligantur in omnibus, & per omnia, de eo, qui commiserit incestum cum aliqua, non consanguinea sua, uel affine. Si uero attentauerit, uel appellauerit aliquam mulierem de committendo adulterium, uel incestum, uel de cognoscendo eam carnaliter per aliqua uerba inhonesta, & non fuerit consumatum delictum, siue quia non uoluerit dicta mulier, siue quia non potuit, dum tamen non intercedat uiolentia, talis attentator, uel appellator, puniatur in libris quinque Asten. Si uero uiolenter ipsam mulierem rapuerit, uolendo consumare prædictum, licet non poterit, puniatur in libris uiginti quinque. Si uero commiserit stuprum, cum aliqua muliere nō maritata, honeste uiuente, alibi quàm in domo committentis stuprum, uel incestum, puniatur, & puniri debeat talis delinquens, in libris decem Asten. Si uero in domo propria, uel conducta, seu habitationis uiri delinquentis, prædictus delinquens puniatur, & puniri debeat, in libris tribus, & hoc intelligatur habere locum consentiente muliere. Si uero uiolenter commiserit delictum, tunc & eo casu, puniatur pœna legali, si fuerit mulier, quæ honestè uiueret, & intelligatur uiolentiam commisisse, ut supra dictum est. Et si honestè non uiueret, ut puta meretrix publica, & quæ publicè quæstum facit de sua persona, puniatur talis uiolator, in libris uiginti quinque Asten. & intelligatur uiolenter commisisse, ut supra dictum est.

De non ludendo. *Capur* XIIII.

ITEM statutum est, quòd aliquis non ludat in ciuitate MontisRegalis, uel districtus ad taxillos, vel ad burinas, uel ad alium ludum uetitum, præterquā ad scacos, & tabulas, & pillotam, & præterquam ad repellum, in quo repello quis possit ludere, usque ad sol. quatuor pro expendendo, in uno loco, Et quicunque contrafecerit, soluat pro banno solidos quadraginta, pro quolibet, & qualibet vice de die: de nocte uero pœna duplicetur, Et intelligatur nox post sonū ultimæ campanæ, vsque ad ortum Solis: & dominus Vicarius, teneatur facere pulsari quolibet sero bis. Et qui mutuaret taxillos, uel denarios, soluat idem bannum Et ille qui staret in domo, scilicet in stallo, in quo luderetur, soluat bānum solidos quadraginta in die, & nocte duplum. Et omnes astātes supra ludum ad uidendum ludere, soluant bannum solidos viginti, pro quolibet de die, & de nocte duplum Item quòd aliquis non debeat ludere in platea maiori MontisRegalis, aliquo modo ad marellas, sub pœna solidorum quinque. Eo saluo, quòd in festiuitatibus Natiuitatis D nostri IESV Christi impune ludi possit a uigilia, vsque ad festum Circuncisionis Domini inclusiue, & quando per cōsilium fuerit ordinatum, posse ludi. Et quilibet homo bonæ famæ possit quemlibet contrafacientem accusare, & tam familia domini Vicarii, & Iudicis, quàm alii, & accusator habeat tertiam partem banni, & teneatur secretus, & de præmissis possit inquiri per curiam infra unum mensem, a die ludi facti inchoandum. Et aliquis officialis, seu alter de eius familia, non possit licentiam dare alicui de ludendo, sub eadem pœna, & licentia data non valeat.

Item statutum est, quòd nulla persona, cuiuscunque conditionis existat, audeat, vel præsumat ludere infra domos conuentus fratrum Minorum, fratrum Prædicatorum, & ecclesiæ sancti Donati, ad aliquem ludum taxillorum, biglarum, pilotæ, & zapellæ, nec ad aliquem ludum inhonestum, sub pœna, & banno, pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, solidorum decem, vltra pœnam descriptam in aliis capitulis, & quilibet homo bonæ famæ, & tam de familia domini Vicarii, quàm alii possint cōtrafacientes accusare, & habeant tertiam partem banni, quæ pœna exigi possit incontinenti, sine aliqua condemnatione, quòd capitulum non uendicet sibi locum in minoribus

quatuor-

quatuordecim annorum.

Item additum est, capitulo de non ludendo in ecclesiis, quòd idem intelligatur, in quocunque loco sacro, uel religioso, tam in ciuitate, quàm in districtu, sub pœna solidorum decem, pro quolibet, & qualibet vice.

De non stando in taberna, post sonum vltimæ campanæ.

Caput XVI.

ITEM statutum est, quòd aliquis non bibat, seu stet in alienis tabernis, post ultimam campanam guardiarum, & qui inuentus fuerit in ipsa taberna, post ultimam campanam, soluat bannum solidos quinque, nisi sit extraneus, uel alius qui in eadem domo, seu taberna hospitaretur. Et eandem pœnam incurrat tabernarius, in cuius taberna biberetur, uel in qua inuentus fuerit aliquis post ultimam campanam: Et familia D.D. Vicarii, & Iudicis possint accusare contrafacientem, dummodo Iudex, uel miles essent præsentes, quando aliqui essent reperti facere contra dictum capitulum, aliter non.

De non eundo sine lumine, post sonum ultimæ campanæ.

Caput XVII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de ciuitate Montis Regalis, possit, & ualeat ire, & redire cum lumine de nocte per dictã ciuitatem pro negociis suis faciendis. Et quælibet persona, quæ inuenta fuerit sine lumine, eundo per ipsam ciuitatem, seu stando post sonum ultimum campanæ, incurrat pœnam solidorum duorum, nisi talis persona haberet iustam causam, de qua credatur suo iuramento. Et si talis persona haberet arma, seu portaret vltra ordinatam mensuram, incurrat pœnam solidorum uiginti, & amissionis armorum. Et ultra, si talis esset malæ conditionis, & famæ, incarceretur, & detineatur: Et si culpabilis inuentus fuerit, puniatur secundum formam iuris, & capitulorum ciuitatis prædictæ: & similiter milites, & famuli curiæ, teneantur, & debeant portare, seu portari facere, & habere lumen de nocte, eundo per dictam ciuitatem, exercendo officium reguardariarum, uigore sui sacramenti.

Item additum est, supra dum dicit, quòd miles, seu milites, & familiares curiæ, debeant portare, seu portari facere, & habere lumen, eundo per ciuitatem de nocte, exercendo officium, quòd si non portent lumen, nec haberent, in faciendo officium prædictum reguardiarum, quòd accusæ, si quas faciens

cient ex inuentionibus inuentorum, euntium, & repertorum sine lumine non ualeant ipso iure; & nullius sint ualoris, seu momenti.

Item ordinauerunt, & statuerunt, quòd milites, & familia D. Vicarii uirtute præstiti eorum iuramenti, teneantur; & sint astricti, quascunque personas repertas; de nocte sine lumine, post sonum ultimæ campanæ, accusare, & qualibet persona bonæ famæ, & conditionis possit etiam tales contrafacientes accusare, & eius iuramento credatur, & teneatur secretus.

De apothecis, & tabernis apertis non tenendis, post sonum ultimæ campanæ. Caput XVIII.

ITEM statutum est, quòd qualibet persona, cuiuscunque conditionis existat, uendens uictualia, siue sit specialis, siue sit retagliator, siue tabernarius, siue alia persona, uendens ad minutum, uel tenens aliquid ad uendendum in eorum apothecis, locis, seu tabernis, teneatur, & debeat omnino claudere, & clausas tenere eorum apothecas, & tabernas, post sonum ultimæ campanæ, & qui contrafecerit, incurrat pœnam; si fuerit alia persona quàm tabernarius, solidorum quinque, pro quolibet, & qualibet vice, & tabernarius incurrat pœnam solidorum decem, pro quolibet, & qualibet uice, & præsens capitulum nō faciat præiudicium aliquibus aperientibus hostia, mercatoribus, seu uiatoribus, uenientibus noctis tempore, seu recedere nolentibus, & milites, & etiam familiares curiæ, dummodo sint cum militibus, possint quoscunque contrafacientes accusare.

De pœna deierantium. Caput XIX.

ITEM statutum est, quòd quicunque inuentus fuerit deierasse, uel deierare, possit, & debeat condemnari in libras sex, si de periurio fuerit conuictus, & confessus. Eo saluo, quòd de periurio a contractu descendente, non possit aliquis processus fieri, nec condempnatio, nec aliquod pro pœna periurii per curiam exigi. Quam pœnam soluere teneatur infra decem dies, a die condemnationis factæ, & si soluere non poterit infra dictum tempus, fustigetur.

De falsa moneta, non expendenda. Caput XX.

ITEM statutum est, quòd nulla persona undecunque sit, audeat, uel præsumat expendere scienter, uel dolose, in ciuitate Montis Regalis, uel posse aliquam monetam falsam, pro

bona, siue sit metalli alicuius, siue aurea, siue argentea. Et qui expendiderit monetā falsam, usque ad ualorem sol. quinque, soluat pro pœna, & banno libras quinque, & a solidis quinque supra, usque ad solidos uiginti, soluat bānum libras decem, & a solidis uiginti supra, usque in unum florenum, seu scutum, soluat bannū libras uiginti quinque Asten. & ab inde supra, quanta fuerit quantitas, soluat pro pœna, & banno libras quinquaginta: & ultra, in omnibus casibus antedictis falsam monetam amittat. Nihilominus dominus Iusdicens prædictas pœnas mitigare possit suo arbitrio, inspecta qualitate, & quantitate facti, & conditionis personarum. Et quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & habeat quartam partem banni, & de prædictis etiam possit inquiri per curiam. Quas pœnas, si condemnatus soluere non poterit, amittat pedem, uel manum in eius arbitrio. Et si aliqua persona fuerit inculpata de prædictis, & negauerit, fore culpabilem de prædictis, tunc D. Iusdicens, teneatur inquirere apud quatuor, uel quinq; bonos mercatores de dicta ciuitate, qui mercatores, si iurauerint personā inculpatam, fore infamatam, expendere falsam monetam, tunc dominus Iusdicens, sine aliquo cognitore dando, & sine aliquo iudicio, possit illam talem personam subiicere tormentis ad suam uoluntatem, non obstante aliquo alio capitulo, & teneatur testimonium prædictorum mercatorum secretum.

De duodecim hominibus eligendis, super falsa moneta.

Caput XXI.

ITEM statutum est, quòd eligantur per Syndicum communis, & duos de Sapientibus consilii priuati, quos secum Syndicus elegerit infra mensem, post introitum regiminis, duodecim homines de ciuitate, qui iurent ad sancta Dei euangelia incidere, usque in medium, cuiuslibet denarii omnem falsam monetam, quæ ad eorum manus peruenerit, cuiuscunque sit. Et si aliqua persona prohiberet eos, uel aliquem ipsorum incidere dictam monetam, postquam ei dixerit, quòd eam vult incidere tamquam falsam, incurrat illa talis persona sic prohibens, in pœnam solidorum uiginti: Qui electi teneantur uinculo iuramenti denunciare ipsa die domino Iusdicenti illam personam, quæ sic prohibuit, quorum denunciationibus, & accusis credatur per sacramentum sui officii, sine aliquo iuramento. Et dominus Iusdicens possit imponere pœnam solidorum

decem, cuilibet electo, quòd iuret suum officium supradictum.

De falsa moneta incidenda per electos.

Caput XXII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona dederit, seu mutuauerit aliquam monetam alicui personæ, quæ diceretur esse falsa, per aliquos de prædictis electis, seu per aliquem ipsorum dicti electi, debeant eam incidere, & eam portare in manibus domini Iusdicentis, qui dominus Iusdicens, teneatur incontinenti illam personam, quæ diceretur soluisse, seu dedisse dictam pecuniam citari facere, & ipsam personaliter detinere, donec reddiderit, seu dederit tantam bonam pecuniam, quanta foret illa, quæ diceretur esse falsa. Et si esset quæstio inter partes de datione monetæ prædictæ, credatur eidem qui petat monetam prædictam, usque in solidis decem cum iuramento, arbitrio domini Iusdicentis, & a solidis decem supra, credatur ei cum uno teste. Et si nō haberet testem, tunc dominus Iusdicens possit deferre sacramentum reo, ad sui mitigationem, qui iuraret se dictam pecuniam non dedisse, quòd sciat, uel alio modo, prout Iusdicenti uidebitur. Eo saluo, quòd si illa persona, quæ mutuauerit, & soluerit pecuniam prædictam, dixerit tempore numerationis, ei cui numerauerit, quòd faceret eam recognosci ea die, & non fecerit eam recognosci ea die, postea non teneatur pro ea aliquid restituere illi, cui dictam pecuniam dedisset, & hoc credatur soluenti cum iuramento.

Item statutum est, quòd si aliquis de electis, seu alius sciuerit cognoscere pecuniam falsam, uel mancham aliquo modo, per aliqua signa, uel alio modo, dominus Iusdicens possit eum cogere per sacramentum ostendere dicta signa aliis iuratis electis, & prædicto casu possit dominus Iusdicens imponere pœnam, & bannum ad suam uoluntatem.

De non faciendo falsam monetam, & non ronzando bonam monetam. *Caput* XXIII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona de ciuitate Montis Regalis, uel aliunde, audeat, vel præsumat facere, vel fieri facere in dicta ciuitate, vel posse, aliquam falsam monetam, cuiuscunque conditionis existat: & qui contrafecerit igne comburatur, ita quòd moriatur. Et si aliqua persona ronzauerit aliquam bonam monetam, uel in parte, de ipsa diminuerit, quæ debeat expendi, amputetur ei manus dextra.

De

De falsa, seu mancha mensura. *Caput* XXIIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona, quæ mensurauerit ad falsam, seu mancham mensuram, seu scandalium, libram, teisam, rasum, seu sestarium, & cozolium, seu aliud pondus, seu mensuram, soluat pro pœna, solidos uiginti, pro quolibet & qualibet vice, & destruantur mensuræ falsæ, & pondera, ita quòd ille cuius fuerint, amittat mensuras. Et quilibet teneatur, & debeat tenere peisam de ferro signatam signo communis, uel librã Ianuensem, & nullo modo possit põderare ad lapidem, seu lateres contra formam prædictam, sub pœna solidorum quinque, pro qualibet uice, & quilibet possit accusare, & habeat quartam partem bannorum prædictorum. Et qualibet persona, penes quam inuentæ fuerint falsæ mensuræ, soluat pro qualibet vice solidos uiginti. Et si aliquæ mensuræ repertæ fuerint falsæ, quòd dominus Iusdicens dictas mensuras comburere teneatur, publicè in foro dictæ ciuitatis, & personas penes quas dictæ mensuræ repertæ fuerint, punire, & condemnare publicè in concione, secundũ formam capitulorum. Eo saluo, & expressim intellecto, quòd aliqua persona pro processu facto ex forma præsentis capituli, non possit condemnari ultra solidos sexaginta. Et si aliquis acceperit mutuo aliquam peisam, uel mensuram, seu scandalium, quæ non reperiatur iusta, ille qui mutuo acceperit nullam pœnam patiatur, sed ille patiatur pœnã, qui dictam peisam, seu mensuram commodauerit. Et si aliqua peisa reperta fuerit cum clauo alio, uel aliquo alio ferro adiuncta, quòd intelligatur non iusta, excepto uno annulo solidato, qui ibi possit poni.

De mensuris, & scandalijs iustis, non signatis. *Caput* XXV.

ITEM statutum est, & ordinatum, quòd si aliqua persona habuerit aliquam mensuram, scandalium, uel peisam, dum tamen dictæ mensuræ scandalii, & peisæ sint iustæ, quamuis non fuerint signatæ signo, seu ferro cõmunis, seu stanciatorum, quòd dicta talis persona habens dictas mensuras, & pondera, & peisas, nullam pœnam incurrat, aliquo alio capitulo in contrarium non obstãte, dum tamen talis persona non sit reuenditrix.

De charta falsa, & de falsis testibus. *Caput* XXVI.

ITEM statutum est, quòd quilibet, qui fecerit chartam falsam, uel abbreuiauerit in suo protocollo, uel alteri, soluat, & soluere debeat pro bãno, & pœna, libras centũ, quam pœ-

nam si soluere non poterit, amittat manum dextram, Et eandem pœnam incurrat, qui prædicta fecerit fieri, & qui opem, uel consilium eis dederit, vel produxerit in iudicio alicuius Iudicis vel arbitri, & nihilominus dãnum passo restituatur. Et qui falsos testes produxerit, uel falsum testimonium tulerit, soluat pro pœna, & banno libras quinquaginta, & de prædictis omnibus, & singulis possit fieri inquisitio per curiã. Et qui falsum testem produxerit, uel qui falsum testimonium tulerit, teneatur vltra dictam pœnam restituere damna, & expensas ei, contra quem prædicta fecerit arbitrio Iudicis taxandas, & taxanda sine aliqua dilatione: & dictam restitutionem facere teneatur, cum fuerit condemnatus ad pœnam prædictam, sine aliqua dilatione: & quousque dictam restitutionem fecerit, detineatur per curiam ad instantiam damnificati, & si soluere non poterit dictam pœnam cum restitutione damnorum, & expensarum, vt supra dictum est, amittat linguam.

De non tormentando aliquem temere. *Caput* XXVII.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius, uel Iudex, uel alius Rector ciuitatis MontisRegalis, non possit, nec debeat tormentare, uel tormentari facere aliquam personam, nisi esset publicus latro, uel homo malæ famæ probatus de tribus furtis, uel pluribus, uel nisi essent indicia contra eum, quæ indicia debeant cognosci per Iudicem non suspectum, & expensæ factæ in Iudice, qui cognouerit indicia, debeant solui per incul pantem, si habuerit unde soluat, alioquin Iudex communis cognoscat sine salario. Item teneatur D. Vicarius facere cognosci indicia, cuilibet petenti, siue extraneo, siue de terra, si petierit cognosci, & paratus fuerit dare expensas cognitoris, alioquin Iudex D. Vicarii cognoscat de indiciis, sine aliquo salario. Et a sententia lata, seu cognitione super indiciis appellari nõ possit, scilicet aliquis latro, uel fractor stratarum, uel qui de furto, uel strata rupta inculparetur. Et quòd aliqua persona de ciuitate MontisRegalis, uel districtu, quæ non esset publicus latro, vel homo malæ famæ, probatus de tribus furtis, uel pluribus non possit tormentari, & quando præcederent, uel præcedere dicerentur indicia contra eum, nisi prius fuerit, sibi data defensio quinque dierum saltem, & copia defendendi, quo termino elapso cognoscãtur indicia prædicta, vt in præsenti capitulo continetur. Eo tamen saluo, & expressim intellecto, quòd in crimine

læsæ maiestatis, & proditionis in tormentis obseruetur ius commune. Et quòd dominus Vicarius, seu Iudex dictæ ciuitatis uinculo sacramenti, teneantur præcise obseruare præsens capitulum, & si contrafecerit præsenti capitulo, uel aliquem tormentauerit, contra formam presentis capituli, quilibet officialis ex prædictis, qui cótrafecerit, ipso facto incurrat pœnam librarum centum qualibet uice defalcandarum, de salario ipsius, & applicandarum illi, qui iniuste esset tortus, & nihilominus teneatur dictus officialis eidem, contra formam præsentis capituli torto, ad omne damnum, ultra dictam pœnam, quod inde sustineret. Et de tortura credarur torto suo sacramento, & ultra prædictas pœnas, incurrat pœnam florenorum uiginti quinque applicandorum Cameræ Domini nostri, quãdocunque, & quotienscunque faceret contra præsens capitulum.

De pœnis imponendis in maleficijs, & accusationibus, per dominum Vicarium, & Iudicem. Capur. XXVIII.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius, Iudex, seu Consules, possint imponere pœnam solidos tres, cuilibet personæ de eorum iurisdictione, pro quolibet præcepto, quod sibi facere uoluerit, & non ultra, nisi aliud in capitulis, seu ordinamentis, seu reformationibus consilii ciuitatis MontisReg. contineretur. In cauillationibus uero, & rixis, & occasione cuiuscunque maleficii possint imponere pœnam cuilibet personæ, de iurisdictione sua gradatim, ascendendo de vna libra, usque ad tres, & de tribus usque ad quinque, & de quinque usque ad decem, & a libris decem, usque ad libras uiginti quinque, & non ultra. Et si quis citatus fuerit, occasione alicuius maleficii personaliter, & infra tertiam diem non comparuerit, habeatur proinde uere contumax, & possit condemnari tamquam conuictus, & confessus de maleficiis, cuius occasione citatus fuerit. Si autem citatus fuerit, & non personaliter inuentus, tunc si non uenerit infra tertiam diem, possit & debeat publice citari, & præconizari in banno, ante domum, in qua habitare consueuerit, & in platea dictæ ciuitatis: & si non uenerit infra terminum octo dierum, per uocem decani assignatum, tunc condemnari possit tamquam contumax, & præsens, & confessus, non obstante quòd in crida, seu citatione fuerit apposita pœna minor, uel maior, quæ apponi debuerit ex forma capituli. Si uero aliquis inquisitus, accusatus, uel denunciatus, se præsentauerit coram

curia dictæ ciuitatis, & respōdere uoluerit infra terminum per Iusdicentem præfixum, super inquisitione, denunciatione, vel accusa, non posit haberi pro confesso, pro maleficio supradicto. Extranei uero citentur, & præconizentur solūmodo in platea dictæ ciuitatis, dummodo in prima citatione, seu crida, detur eis terminus decem dierum, & in secunda trium dierum. In casibus suprascriptis posit quilibet appellare, & suam innocentiam probare, in causa appellationis. Et quicunque officialis citauerit aliquem per decanum, seu citari fecerit super aliquo processu, contra eum facto, teneatur dare, vel mittere in scriptis dicto citato, personaliter, vel ad domum, per decanum, causam citationis, siue citetur personaliter, siue ad domum, & quòd in cridis, quæ fient per formam præsentis capituli, assignetur similiter causa, qua proceditur, & aliter non ualeat, quod factum fuerit. Et si aliquis citatus fuerit personaliter, uel ad domum, prout superius continetur, vel præconizatus, & comparuerit coram curia, & paruerit mandatis curiæ, uel paratus fuerit obedire cum effectu, ante illos tres dies, qui dantur ad allegādum, vel illis tribus posit suam contumaciam purgare, ita quòd non posit contumacia condemnari, ultra solidos uiginti, principali facto semper saluo.

De danda defensione in maleficijs. *Caput* XXIX.

ITEM statutum est, quòd in maleficiis dominus Vicarius, & Iudex, posint dare defensionem, ad suam liberam uoluntatem, dummodo non dent minorem terminū decem dierum, qui incipiant currere a die datæ copiæ processus reo, si petierit reus incontinenti, & si non petierit incontinenti, sed postea, dies elapsi computentur in termino decem dierum, post habitam copiam processus, non obstante aliquo alio capitulo in contrarium cōtinente, nisi aliqua euidenti causa, (ut puta, si reus confessus esset delictum fecisse, de quo procederetur contra eum,) aliud uideretur simul eisdem, quo casu non posint dare minorem terminū trium dierū. Et quòd in omnibus accusis, de quibus credatur accusatori, denuncietur accusato defensio infra quindecim dies, a die accusationis ipsi accusato, seu ad domum habitationis eius, in scriptis, alioquin non ualeat accusatio, nisi aliud tempus in capitulo, vel ordinamento contineretur.

De

De non dicendo, uel faciendo iniuriam fratribus minoribus.
Caput XXX.

ITEM statutum est, quòd qui fecerit, uel dixerit iniuriam alicui fratri minori, soluat bannum in triplum, quòd solueret, si faceret iniuriam alicui de ciuitate MontisRegalis, uel districtus, nisi faceret sibi iniuriam, uel rebus suis. Et dominus Vicarius, Iudex, uel milites, de prædictis teneantur, & debeant inquirere, & inquisitionem facere, quotienscunque sciuerint, uel audiuerint dici ab eis, uel altero ipsorum denunciatum fuerit, uel inde fuerint requisiti. Et quælibet persona, tam familia D. Vicarii, quàm Iudicis, possint accusare, & denunciare, & eis, & cuilibet eorum, cum iuramento credatur, si fuerit homo bonæ famæ. Et prædicta banna prædicti Rectores, seu aliquis eorum, excutere possint incontinenti, non obstante aliquo capitulo, uel reformatione consilii, & quòd non possit appellari, uel cognitor peti, & si appellaretur, uel cognitor peteretur, non ualeat, nec admittatur appellatio, nec cognitionis petitio.

De non ponendo ignem in ciuitate Montis Regalis, uel uillis.
Caput XXXII.

ITEM statutum est, quòd si quis poneret, uel poni faceret ignem in ciuitate MontisRegalis, uel posse, meditatim infra clausuras, & confinia dictæ ciuitatis, uel in aliis uillariis MontisRegalis de quibus ædificatus est, si in domo, uel ædificiis fœnis, uel paleis, seu tectis, si capi poterit, igne moriatur, quandocunque capi poterit, & emendetur damnum de bonis suis. Et si aliquis posuerit ignem meditatim extra confinia, in possessionibus, & iurisdictione dictæ ciuitatis, scilicet in domibus, tectis, fœnis, paleis, seu ædificiis, restituat damnum in duplum, per incendium illi, cui datum fuerit dictum damnum, & soluat pro pœna libras uiginti quinque, si poterit, & si non poterit, amittat pedem, uel manum, & eandem pœnam incurrat quilibet consentiens: & super præmissis possit, & debeat fieri inquisitio, per curiam.

Item addendo statuerunt, & ordinauerunt, quòd imponentes ignem extra confinia in posse, & iurisdictione præsentis ciuitatis MontisRegalis, uidelicet in domibus, tectis, airalibus, & ceteris ædificiis, soluant pœnam librarum centum Fisco, ultra pœnam emendationis damni in duplo, ut supra continetur, & ulterius amittat manum dextram, & si non haberet dextram, amit-

tat sinistram. Adiicientes, & declarantes, quod si aliquis imponeret ignem in aliquibus paleis, vel pagleriis, mugis fœni, aut lignis, vel fascinis existentibus extra casiamentum, & nihil aliud concremaretur, nisi ipsæ paleæ, fœnum, ligna, & fascinæ, sit in pœna tantummodo librarum uiginti quinque, & emendationis damni, in duplum. Et si ex dictis mugis, paleis, pagleriis, lignis, lignariis, fascinis, & fascinariis, incenderetur, & cremaretur aliquod casiamentum de prædictis, habeat locū dicta pœna emendationis, & centum librarum, ac amissionis membri, ut supra, & non intelligatur per hoc derogatum, aut aliquid additum, capitulo infrascripto, de non ponendo ignem in nemoribus.

De non ponendo ignem in nemoribus. *Caput* XXXI.

ITEM statutum est, quod si quis poneret ignem in nemoribus huius ciuitatis, soluat bannum libras decem, si inde fuerit denunciatus, uel accusatus, & si non poterit soluere bannum, amittat pedem, uel manum, & si quis eum accusaret, habeat quartam partem banni. In suo tamen nemore, possit impune, sine pœna, & banno ponere ignem, dummodo ex dicto igne alii uicini non lædantur in aliquo, quo casu teneatur emendare damnum, secundum æstimationem factam, per æstimatores communis dictæ ciuitatis, & ultra soluat ex dicta causa libras tres, & D. Vicarius, seu Iudex super prædictis, possit facere inquisitionem, ad suam uoluntatem.

De pœna diminuenda propter pacem, & confessionem. *Caput* XXXIII.

ITEM statutum est, quod si aliqua persona commiserit aliquod delictum, seu maleficium, tam in rixis percussionibus, uerbis iniuriosis, quam in aliis casibus, propter quod ueniret punienda in aliqua pecuniaria pœna, & si ipsa talis persona sponte confessa fuerit de tali delicto, seu maleficio dixisse, seu commisisse, quod dominus Vicarius, seu Iudex, teneantur, & debeant diminuere, & defalcare quartam partem banni, de eo, quod ueniret condemnanda, de iure, seu uigore capitulorum, propter spontaneam confessionem. Et si aliqua persona fecerit aliquam rixam, uel rumorem, in qua rixa, uel rumore dixerit alicui aliquod uerbum iniuriosum, aut insultum, uel percussionem fecerit, uel excessum, & se concordauerit, & pacem fecerit cum illa tali persona, contra quam fecerit insultum, excessum, per-

cussionem,

cusſionem, uel dixerit uerbum iniurioſum, infra quindecim dies, a die commiſsi delicti, quòd etiam dicti domini Vicarius, & Iudex, teneantur, & debeant dimittere, & defalcare medietatem pœnæ, & banni, in quibus ueniret talis perſona condemnanda, merito dictæ pacis,& concordiæ,vt puta, ſi bannum talium perſonarū erit librarū uiginti, propter confeſsionem debeat diminui quarta pars pœnæ, quæ eſt librarum quinque, & propter pacem diminuatur dimidia, quæ eſt librarum decem, ſic quòd dicta condemnatio dictarum librarum uiginti, reſtare debeant in libris quinque defalcatis pro pace, & confeſsione, vt ſuperius eſt expreſſum. Et ſic,& eodem modo intelligatur de omnibus aliis condemnationibus,& pœnis, cuiuſcunque quantitatis, & qualitatis exiſtat, & quòd dictum eſt de una perſona, intelligatur de duabus, uel pluribus.

De perſona detenta. *Caput* XXXIIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona capta fuerit, uel detenta per dominum Vicarium, uel eius familiam, pro aliquo maleficio, dominus Vicarius teneatur inquirere, & terminare quæſtionem illius maleficii, uſque ad uiginti dies, poſtquam capta fuerit, uel detenta. Et ſi aliquis homo malæ famæ fuerit confeſſus, poſsit eum punire, quando ſibi placuerit, & quòd dictum capitulum inuiolabiliter obſeruetur, & executioni mandetur, non obſtante capitulo de condemnationibus faciendis, & omiſſa ſolemnitate dicti capituli.

De condemnationibus faciendis,& de citationibus inculpatorum. *Caput* XXXV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd D. Vicarius, & Iudex curiæ ciuitatis MontisRegalis, & quilibet eorum, quando eis, uel alicui ipſorum placuerit, poſsint facere condemnationes, & abſolutiones, dummodo in condemnationibus, & abſolutionibus faciendis, obſeruent capitula, conſuetudines, & ordinamenta, ac reformationes conſiliorum dictæ ciuitatis, & deficientibus capitulis, & conſuetudinibus obſeruent iura communia. Et quandocunque contigerit illos facere uelle condemnationes, & abſolutiones, faciant cridari publice, per terram, ac uillas ciuitatis prædictæ, quòd quælibet perſona ueniat ad allegandum de iure ſuo coram domino Iuſdicente, infra quindecim dies, & non poſsit D. Vicarius, Iudex, uel aliquis Rector ciuitatis MontisRegalis, in cōdemnando excedere quantitates in ordinamentis,

mentis, capitulis, & reformationibus consiliorum comprehensis, mitigare autem possit, & absoluere, in totum, uel in parte pœnam, & pœnas, iustis rationibus, & causis, tam in maleficiis, quàm in quibuscunque aliis delictis, & condemnationibus. Et teneatur dominus Iudex curiæ ciuitatis prædictæ, quandocunque facere uoluerit condemnationes, antequam ipsas faciat stare tribus diebus, super domo communis ad audiendum allegationes, quibus tribus diebus sint feriæ ad causas ciuiles, & ordinarias tantum. Et faciat dominus Iudex prædictus publice præconizari per ciuitatem, quòd quælibet persona ueniat ad allegandum de iure suo, coram domino Iudice condemnationum prædictis tribus diebus. Et teneatur facere citari quamlibet personã personaliter, uel ad domum habitationis suæ, quæ esset inculpata de aliquo maleficio, seu offensione ob quã, seu ob quod posset condemnari ultra solidos uiginti: si talis persona fuerit de dicta ciuitate, uel districtu, quòd ueniat ad allegandum de iure suo, coram ipso domino Iudice dictis tribus diebus, & specificare, seu specificari facere sibi dictos tres dies. Sed si persona inculpata, non haberet habitationem in ciuitate, uel districtu, sufficiat, si requiratur uoce præconia, in platea dictæ ciuitatis, quòd ueniat ad allegandum, ut supra. Et si prædicta non fuerint obseruata, non ualeat condemnatio ipso iure. Et si aliqua persona extranea, occasione alicuius accusæ, inquisitionis, uel processus, dederit fideiussorem de MonteRegali, uel districtu, ille talis fideiussor debeat citari ad allegãdum, sicut si ipse fuisset, seu esset principaliter inculpatus, alioquin condemnatio contra eum non ualeat, nec cõpelli possit ad soluendum pro eo, in quo fideiussit, nec fieri possit executio contra eum. Et teneatur dominus Iudex, in quibuscunque condemnationibus faciendis, exprimere & specificare capitula, & rubricas capitulorum, uigore quorum dictæ condemnationes procedant, & factæ fuerint. Et in casu quo aliquæ condemnationes fient, non obstantibus contentis in præsenti capitulo talis condemnatio, seu cõdemnationes non ualeant, nec executioni mãdentur.

De condemnationibus, & absolutionibus in concione faciendis.

Caput XXXVI.

ITEM statutum est, quòd quotiescunque D. Vicarius, de consilio domini Iudicis curiæ, steterit in concionibus, uel alibi, teneatur, & debeat uinculo iuramenti condemnationes, & absolu-

& absolutiones facere,& ipsas absolutiones legi,& diuulgari facere quemadmodum condemnationes. Et quotienscunque D. Iudex fuerit ad examinandum processus super maleficiis,& cognouerit aliquem,uel aliquos absoluendos, teneatur,& debeat uinculo iuramenti, dictos processus propria manu canzellare, & signum absolutionis apponere. Et Notarii maleficiorum teneantur similiter facere copiam dictarum absolutionum, cuilibet petenti,& Syndico communis, si ab eo fuerit requisitus pretio competenti.Et quòd nullus Clauarius possit interesse apud Iudicem, quando examinat condemnationes, & facit: & si Clauarius fuerit ad prædicta,non ualeant condemnationes prædictæ, sed ipso iure sint nullæ, nec exigi possint aliquo modo. Et Syndicus teneatur dictum capitulum denunciare domino Iudici semper,quando uoluerit esse ad examinandum dictos processus,& etiam Notarii criminalium, eodem modo denunciare teneantur.

Item, quia multa succedunt damna præsenti communitati, propter negligentiam denunciatorum capitulorum non interuenientium decretationibus,quæ fieri solent per D. Vicarium, & Iudicem in criminalibus,necnon per dominum Iudicem appellationum,quas deuolui contingit ad eum per uiam appellationis:Statuerunt,& ordinauerunt,quòd prædicti domini officiales procedere non possint ad ipsas decretationes, nisi citatis, & uocatis denunciatoribus capitulorum, qui pro temporibus fuerint, necnon D. Aduocato dictorum denunciatorum, quos uocari,& citari facere teneãtur dicti domini Officiales,vt compareant certo die,& hora ad interueniendum dictis decretationibus , faciendo constare de citatione, & relatione, in actis curiæ,ita vt constare possit de citatione facta, de ipsis D. Aduocato,& denunciatoribus.Et casu quo prædicti non uocentur modis & formis,de quibus supra, non ualeant ipsæ decretationes, imò sint ipso iure nullæ: & idem censeatur esse de condemnationibus,& absolutionibus, quæ fierent super ipsis decretationibus. Et denunciatores interesse recusantes ipsis decretationibus,ad quas faciendum essent uocati modo quo supra, amittãt eorum salarium , nisi interuenerit iustum impedimentum, de quo teneantur facere fidem in primo gubernio tenendo, a die occursi dicti impedimenti . Et D. Aduocatus , qui uacauerit in ipsis decretationibus , habeat pro singulo die , quo uacauerit,

(dummodo

(dummodo uacet per totum diem) grossos octo, ultra eius salarium consuetum.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd domini Iusdicentes in decretationibus, & condemnationibus bannorum, per eos fiendis, non utantur ziffris, seu aliis literis breuibus, sed summam cōdemnationum describant ad extensum, sub pœna periurii, & librarum trium, pro qualibet condemnatione. Et idem facere, & scribere teneantur Notarii criminalium in arenghis, sub eisdem pœnis.

Quòd pro eadem re, agi non posit ciuiliter, & criminaliter simul. *Caput* XXXVII.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt ad euitandum multa dubia, & quæstiones, quæ fieri possent, & aliquando fiunt, pro conseruatione Reip. & singularum personarum, quòd ciuiliter, nec criminaliter, non posit agi de eadem re, & inter easdem personas, uel etiam diuersas, simul stantes, & habitantes, nisi vna via, vna petitione, & uno contextu, de eodem tempore, & eodem delicto, & si aliter fiat, & diuersimode intentetur, non intelligatur, nec esse posit, nisi una petitio, & unus processus: Ita quòd pro uno processu solum fiat una solutio, quo ad conuentum, tam uersus partem agentem, quàm etiam notarios, & Procuratores. Et quòd ultra unum processum agitatum fuerit, nullius sit ualoris, efficaciæ, uel momenti.

De audienda defensione inculpatorum. *Caput* XXXVIII.

ITEM statutum est, quòd dominus Iudex, & quilibet alius Rector ciuitatis prædictæ, teneatur audire defensionem inculpati, seu inquisiti, quousque fuerit ad condemnādum, vel ad absoluendum de facto principali: Et D. Vicarius, quando uoluerit facere condemnationes, teneatur de condemnationibus, & absolutionibus, facere publicè diuulgari, per ciuitatem per quatuor, uel quinque dies, antequam faciat condemnationem, diem, in qua facere uoluerit concionem, quàm concionem, condemnationum pecuniariarum facere teneatur, in die sabbati, post tertiam, & ante vesperas, & non in aliis diebus, aliter condemnationes prædictæ, pro infectis habeantur, ita quòd ex ipsis nulla posit fieri executio.

De appellationibus in causis criminalibus *Caput.* XXXIX.

STATVTVM & ordinatum est, per capitulatores supra scriptos quòd a quacũque sententia criminali seu præcepto vel condemnatione criminaliter lata, posſit per partem aggrauatã, appellari infra decem dies a die sententiæ numerandos, de qua stetur sacramento appellantis, quæ appellatio fieri posſit sine libello & petitione in scriptis, sed sufficiat quòd appellans oretenus dicat appello. & per hoc intelligatur dici nullam inquantum expediat, quæ appellatio, scribatur in actis per notarium scribendo in margine condemnationis, talis appellauit, soluente appellante pro qualibet appellatione notario prædicto, solidum vnum & non plus, & posſit quilibet appellans facere defensiones suas, seu probationes infra triginta dies, a die appellationis numerandas, coram notario appellationum. Et postquam Iudex venerit, etiam probationes, & defensiones fieri posſint. Et acta facta coram notario ipsi, D. Iudici præsentata valeant, & teneant, ac si coram eo facta essent & postquã dominus Iudex appellationum applcuerit pro ipsis appellationibus cognoscendis, Clauarius teneatur facere legitime citari quemcunque appellantem, compariturum per tres dies coram ipso D. Iudice, super domo communis, quibus tribus diebus, dominus Iudex stare teneatur continue, ad defensiones, & allegationes audiendas, appellantium, qui dominus Iudex pro salario suo, non posſit habere, seu recipere ab appellantibus, nisi solidum vnum pro libra, quod salarium non habeat, nec precipiat, donec dictas appellationes diffiniuerit: sed stet & remaneat salarium prædictum, penes notarium prædictum soluendum causis diffinitis ipsi D. Iudici: teneatur tamen dictus D. Iudex appellationum, dictas causas appellationum, cognoscere, & diffinire, seruatis statutis, & ordinamentis ciuitatis MontisRegalis, & ipsis defficientibus iure communi, posſit etiam dictus D. Iudex pœnas diminuere, & non augere, qui D. Iudex appellationum debeat dare absolutiones & condemnationes omnes, seu confirmationes sigillatas, cum sigillo Clauarii, qui Clauarius debeat eas custodire, & facere copiam de ipsis cuilibet petenti, sine aliquo salario. Et D. Vicarius teneatur facere cancellari omnes condemnationes, quæ essent absolute per D. Iudicem maiorem, & prædicta fieri facere debeat per Clauarium in suo li-

bro clauariæ,& sine aliquo salario infra tertiã diem post arengum factum per dictum D. Iudicem.. Item quòd quilibet fideiussor alterius possit pro ipso appellare, & appellationem prosequi, uti principalis facere posset.

Item additum est, quòd cum ex stylo,& antiqua consuetudine admittantur, & admitti debeant defensiones condemnatorum in contumaciam, per Iudicem appellationum, si contingat aliquem contumacialiter condemnatum appellare,& defensiones suas, coram præfato Iudice facere uelle, quòd ille admittatur,& factæ valeant, & eorum talis defensio sit ualida, & iuridica,& eis prosit, uel noceat, secũdum merita causæ, teneanturq. dictus dominus Iudex maior, siue eius locũ tenens, uinculo eorum iuramenti præfatas defensiones admittere, si dicti contumacialiter condemnati iurauerint se non fuisse assignatos, ad faciendum suas defensiones, per D. Iudicem, a quo, siue per curiam eiusdem, nec habuisse aliquas defensiones. Nec dictis appellantibus, seu qui appellabunt in futurum, in criminalibus causis, currat instãtia, donec & quousque Clauarius fecerit eos legitime citari comparituros, coram ipso D. Iudice appellationum,& ipse dominus Iudex maior, tenuerit assisas,& allegationes tribus diebus, sub domo communis, iuxta formam statuti, quo casu, si appellans petierit Iusdici, & interpellauerit dominum Iudicem, ad iusdicendũ, non currat ipsi appellanti instantia, etiam si D. Iudex maior staret per decem annos, ad decretandum, & ad publicandum arengum, secundum formam capituli, de appellationibus, & additionum, quibus additur, & præsertim in illa parte, ubi dicitur, quæ appellatio scribatur in actis per Notarium, scribendo in margine cõdemnationem &c. uidelicet, quod illam appellationem, ut supra, teneatur ponere dictus Notarius, sub pœna periurii,& vlterius sexaginta solidorum, pro qualibet appellatione,& qualibet vice, Notarii cõtrafecerint,& negligentes fuerint, in scribendo dictas appellationes in dicto margine, prout in dicto capitulo continetur, quæ appellatio sic interposita,& in margine condemnationis scripta per Notarium, ualeat, & teneat, ac si esset interposita, coram domino Iudice a quo.

De cognitore dando, super condemnationibus iniustè factis. Caput XL.

ITEM statutum est, quòd si aliqua condemnatio facta fuerit, seu lata per Iusdicentem ciuitatis MontisRegalis, uel per alium,

alium, seu Iudicem maiorem cognoscendo super appellationibus, uel alio modo, quæ condemnatio sit facta contra formam capitulorum, ordinamentorum, seu reformationum, consiliorum communis dictæ ciuitatis, uel non seruatis, uel omissis, solemnitatibus, uel his quæ in ipsis capitulis, ordinamentis, seu reformationibus consiliorum continentur, siue in condemnationibus, siue in processu causæ, qualiscunque sit causa, criminalis, uel ciuilis. Quòd ex eo ipsa condemnatio sit nulla ipso iure, sine ope exceptionis, uel alterius auxilii, nec uigore ipsius condemnationis possit aliquid exigi Et super hoc teneatur D. Vicarius, uel Iudex, & ceteri rectores, ad instantiam partis, quæ hoc requireret, dare cognitorem partibus nõ suspectum, & secundum quod cognitum fuerit, inuiolabiliter obseruetur. Et hoc idem intelligatur, si aliqua sententia, quoquomodo, & a quocunque lata fuerit, ut supra dictum est, in principali causa dicatur esse nulla.

De non detinendo aliquem sine licentia domini Vicarij.

Caput XLI.

ITEM statutum est, quòd nulla persona undecunque sit, audeat, uel præsumat capere, seu detinere aliquam personam, uel res alicuius personæ, sine speciali licentia Vicarii, uel Iudicis dictæ ciuitatis MontisRegalis. Et si de licentia D. Vicarii, uel Iudicis aliquis ceperit, uel detinuerit aliquam personam, uel res alicuius, teneatur illam personam captam, & res detentas, seu captas, ut supra, præsentare domino Vicario, uel Iudici curiæ dictæ ciuitatis ea die, qua eas ceperit, uel detinuerit, sub pœna, & banno librarum uiginti quinque Asten. Et per hoc capitulum non sit cassum, nec esse intelligatur cassum capitulum positum, sub rubrica de frangentibus stratam, In hac tertia Collatione, nec ei sit in aliquo derogatum.

De non condemnando aliquem de exercitu, habentem iustam excusationem. *Caput* XLII.

ITEM statutum est, quòd quando contigerit officiales curiæ ciuitatis MontisRegalis, facere condemnationes de aliquibus exercitibus, uel andatis, quòd per syndicum communis in consilio communis, eligantur duo homines pro quolibet tercerio, qui iurent in manibus dicti domini Vicarii, eidem domino Vicario manifestare omnes, quos sciuerint habere iustam causam remansisse, quòd non iuerint ad dictum

exercitum, uel andatam, & quòd D. Vicarius teneatur, vinculo iuramenti, cancellari facere omnes quos sibi dixerint dicti electi, sine aliquo salario, seu præmio, aliis autem detur defensio secundum formam capitulorum dictæ ciuitatis. Et si prædicta non fuerint obseruata, quòd condemnationes factæ contra prædicta, non valeant, nec possint excuti. Item quòd aliquis qui fuerit, uel steterit in exercitu, non teneatur soluere notario curiæ, aliquam pecuniam, pro aliqua defensione, sed ipsam scribere teneatur, sine aliquo salario. Item quòd dictus notarius, ab aliquibus uiduis, minoribus, uel ab aliis ætatis sexaginta annorum, uel ultra, vel aliquibus aliis personis pro defensione quam facerent tales personæ pro exercitibus, uel andatis, non possit aliquid accipere, sed tamen defensionem & alia scribere oportuna pro ipsa defensione facienda, teneatur & debeat. Et si non obseruauerit formam dictæ additionis, ex ea non possit aliqua condemnatio sequi. Notarius uero qui dictam defensionem recusauerit scribere, condemnetur in ea quantitate pecuniæ, in qua ueniret condemnandus principalis, & ab ipso Notario exigatur.

De eiectione possessionis *Capus* XLIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona deiecerit aliquam aliam personam de possessione alicuius rei mobilis, uel immobilis, valoris solidorum uiginti supra, soluat bannum solidos sexaginta Asten. & a solidis uiginti infra, soluat bannum solidos uiginti. Et D. Vicarius seu Iudex teneantur eum reuerti in suam possessionem, & ad rationem manutenere. Et intelligatur fore deiectus de possessione, qui teneret eam antequam alter intraret in eam. Et postquam fuerit probatum coram domino Vicario, uel Iudice, aliquem fore deiectum de possessione sua, D. Vicarius seu Iudex, teneantur incontinenti deiectum, in suam possessionem reuerti, & deiicientem condemnare, secundum quod in capitulo continetur, aliquo capitulo non obstante. Et si aliquis accusatus fuerit per aliquem quòd debuerit eiicere accusatorem de possessione alicuius rei immobilis, & accusatus uelit se excusare a dicta accusa, dicendo quòd non uult dictum accusatorem impedire de possessione sua, cuius causa accusatus est, & quòd non intendit uendicasse sibi aliquod ius, propter aliquod quod fecerit in dicta possessione, quod tunc dictus accusatus quantum est ad pœnam,

quæ

quæ ueniret dicto accusato imponenda pro deiectione possessionis, liberè absoluatur, & absolutus esse intelligatur, dummodo prædicta non fecerit uiolenter.

Item statutum est, quòd si aliqua persona per vim cum armis, uel sine armis expelleret aliquem sua authoritate, & audacia, de pacifica possessione, uel tenuta alicuius possessionis suæ, seu alicuius rei mobilis, uel immobilis, cadat in pœnam librarum decem Asten. & ultra, si quod ius haberet in ea, cadat a iure suo, & restituatur incontinenti res ipsa, per uim ablata, si extat, & si nõ extat eius examinatio eidem, cui ablata fuerit: & si nullum ius haberet in ea, tunc rem ipsam, uel æstimationem restituere teneatur ipsi uiolato, in duplum dictæ rei mobilis: si uero fuerit immobilis, tunc possessio ipsa restituatur, & cadat a iure suo, si quod haberet, ut supra. Et ad prædicta faciendum dictus dominus Vicarius, & Iudex, teneantur prædictum deiicientem astringere ad prædicta obseruandum.

Item additum, & statutum est, quòd si quis turbauerit aliquem in sua possessione alicuius rei immobilis, uel possessionem immobilem, alicuius personæ, etiam turbauerit, incurrat pœnam librarum uiginti quinque, applicandarum pro duabus partibus Illustri Domino nostro, & pro alia tertia accusatori: & similiter, qui expelleret aliquem sua authoritate, & audacia, de pacifica possessione, uel tenuta, cuius occasione uirtute præfatorum capitulorum, est pœna librarũ decem, augendo ipsam pœnam, qui in præmissis contrafecerit, incurrat pœnam librarum uiginti, applicandarum, ut supra.

Quòd aliqua congregatio gentium, non fiat. *Caput* XLIIII.

ITEM statutum est, quòd aliqua congregatio gentium cum armis, non fiat sine uoluntate D. Vicarii, sub pœna, & banno pro quolibet, & qualibet uice, librarum uiginti quinque Asten & de prædictis possit dominus Vicarius inquirere. Et si D. Vicarius haberet aliquam suspicionem, quòd essent congregati in aliqua domo, uel quòd ibi essent aliqui banniti, uel malefactores, uel aliqui alii, qui tractarent, uel tractare uiderentur damnum communis, & ipse D. Vicarius uellet per se, uel per alium inquirere, & intrare dictam domũ, quòd hoc facere possit. Et persona, quæ prohiberet ne D. Vicarius, uel ille de sua familia intraret dictam domum, ad inquirendum ad suam uoluntatem, soluat qualibet uice, & pro qualibet persona libras

uigintiquinque. Et hoc capitulum uendicet sibi locum contra illos, de quibus esset suspicio, quòd hoc facerent contra Magnifici domini Principis statum, & communis ciuitatis MontisReg.

De non frangendo murum communis, & non transeundo murum, uel stellonatam, nec de ipsa capienda. *Caput* XLV.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat, uel præsumat frangere murum communis ciuitatis MontisRegalis, sub pœna, & banno, pro quolibet, & qualibet uice, librarum decem de die, in nocte uero, sit in banno persona contrafaciens, in libris uigintiquinque. Et quæcunque persona, quæ de stellonata aliquid acciperet, seu capi faceret per se, uel per alium, uel murum, seu stellonatam dictæ ciuitatis, cum scalis, seu scagliono, uel alio modo transiret, soluat bannum de die solidos sexaginta, de nocte uero solidos centum, pro quolibet, & qualibet uice. Et quilibet homo bonæ famæ posit contrafacientes accusare de prædictis, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et supra prædictis D. Vicarius, posit inquirere ad suam propriã uoluntatem, & contrafacientes punire, secundum formam præsentis capituli. Et qui dictas pœnas soluere non poterit, amittat pedem, uel manum, & dominus Vicarius teneatur facere cridari prædicta, per ciuitatem MontisRegalis.

De non cauando iuxta murum communis, & quòd aqua discurrat per aquairolia muri communis. *Caput* XLVI.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona, quæ habeat, uel teneat aliquas possessiones in præsenti, uel futuro, seu possessionem, in directo muri communis, teneatur taliter facere, & prouidere in directo possessionis prædictæ, seu possessionum & muri, quòd aqua pluuialis discurrat, & discurrere posit ad aquairolia dicti muri cõmunis, & taliter prouidere, quòd aquairolia dicti muri stent aperta, & apta ad recipiendũ aquã, & hoc sub pœna, & banno, pro quolibet contrafaciente, & nõ obseruante præsens capitulum, solidorum sexaginta Et eãdem pœnam, incurrat quælibet persona, quæ cauaret, seu cauari faceret prope murum communis, per duas theisas, de foris. Et de prædictis quilibet posit accusare, si fuerit homo bonæ famæ, & ei cum iuramento credatur; & habeat tertiam partem banni, & super prædictis posit inquiri per dominum Vicarium, seu curiam dictæ ciuitatis.

De

De terminis non eradicandis. *Caput* XLVII.

ITEM statutum est, quòd si quis eradicauerit, seu eradicari fecerit, aliquos terminos, per viginti quatuor inquisitores communis, positos vel qui de cetero ponerentur in possessionibus communis, seu iuxta possessionem cõmunis, soluat & soluere debeat pro pœna & banno, libras vigintiquinque. Et supra prædictis possit inquiri per D. Vicarium vel Iudicem. Et præsumatur quælibet persona eradicasse terminos prædictos, qui eradicati apparerent, quæ teneret seu laborauerit vltra prædictos terminos, seu locum vbi positi fuerint dicti termini, & proinde possit talis persona puniri, inquiri, & accusari, ac si eradicasset terminos supradictos, & quælibet persona possit accusare in prædictis, & de prædictis, & habeat quartam partem banni. Et eandem pœnam incurrat quælibet persona quæ eradicauerit aliquos terminos positos inter uicinos, seu consortes. Eo saluo, quòd si talis persona eradicauerit aliquos terminos in laborando cum bobus sine fraude in ipsam pœnam non incurrat, sed reuertatur ad locum expensis talis personæ eradicantis sine fraude.

De non eundo ad bataglioriam seu paglorios.
Caput XLVIII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat, uel præsumat ire ad aliquam bataglioriam, seu paglorios in toto fine & posse ciuitatis MontisRegalis, sub pœna & banno pro quolibet & qualibet uice solidorum decem, & tam familia domini Vicarii, quam quilibet alius possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et super prædictis possit fieri inquisitio per curiam. Et præsens capitulum non uendicet sibi locum contra minores decem annorum. Et quilibet qui accusatus, uel inquisitus fuerit de dicta bataglioria, seu pagloriis, uoluerit dicere se esse minorem decem annorum, possit se defendere iuramento patris uel matris, seu fratris, aui uel auiæ iurare uolentis dictum inculpatum fore minorem decem annorum.

De vino extraneo non ducendo in ciuitatem Montis Regalis vel posse. *Caput* XLIX.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non debeat ducere, seu duci facere, uel apportare, seu apportari facere sub aliquo ingenio, uinum extraneum, uel uuas in ciuitatem

MontisRegalis, uel iurisdictionem eiusdem: Et qui contra fecerit; soluat pro banno qualibet uice, libras quinquaginta Asten. & amittat uinum, & bestias, quæ ducerent dictum uinum, uel duxissent. Et dominus Vicarius, seu Iudex non possit sibi ipsi capere licentiam, nec alteri dare, nisi causa necessitatis, & tunc possit concedere licentiam usque in una mezeloria, quotiens & quandocunque necessitas iminebit, & non ultra. Et intelligatur esse uinum extraneum, uinum natum ultra Besium, & ultra Tanagrum, excepto uino quod natum esset in posse Breduli, Roche baudorum, Morocii, & Sancti Blasii. Et quicunque fecerit fraudem huic capitulo, uel contrauenirer, soluat bannum librarum quinquaginta Asten. & D. Vicarius possit ex officio suo, & debeat inquirere, & inquisitionem facere contra ipsos contrafacientes, ad uoluntatem suam. Et quicunque venderet vinum extraneum, soluat bannum librarum quinquaginta, & amittat vinum. Et dominus Vicarius teneatur facere diuulgare præsens capitulum, per terram. Et in dictam pœnam incurrant apportantes uinum in barletis, a sex pintis supra. Et si vinum extraneum vt supra in domo habitationis alicuius in tota iurisdictione dictæ ciuitatis repertum fuerit, præsumatur dictum uinum duxisse, & puniatur secundum formam præsentis capituli, acsi confessus fuisset dictum uinum extraneum duxisse. Et si tres uel plures homines bonæ famæ interrogati ex officio D. Vicarii uel iudicis inquirentis contra illas personas, quæ fecissent, uel fecisse dicerentur, contra formam præsentis capituli, dixerint cum iuramento, se firmiter credere, uinum de quo interrogati fuerint, esse extraneum, & natum extra confines prædictos, dictum eorum, pro legitima probatione habeatur, licet pro certitudine non dixerint. Et dominus Vicarius & Iudex, qui pro tempore fuerint, habeant bailiam contra omnes ducentes uinum extraneum & infamatos dicti uini ducendi, uel uendendi, procedere ad suam uoluntatem; & eos ponere ad tormentum, si uidebitur Iudici de iure, sine eo quod teneatur dare cognitorem infamato, & non obstante aliquo capitulo quod obuiaret præsenti capitulo. Et quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cũ iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et quælibet persona cuiuscunque conditionis existat, quæ inuenerit aliquam aliam personam, alicu-

ius conditionis, portantem, ducentem, seu conducentem, uel conduci facientem uinum extraneum, cum bestiis & sine, per posse & fines ciuitatis MontisRegalis, seu iurisdictionem, quòd talis inuentor teneatur, & debeat præcise, & omni exceptione iuris uel facti remota, accusare talem personam inuentam, seu contra facientem, iu curia dictæ ciuitatis, & eum cum bestiis uino & uasis, in quibus esset repositum dictum uinum, & cum quo portaretur, præsentare & consignare D. Vicario, uel Iudici dictæ ciuitatis, sub pœna librarum decem pro qualibet persona, & qualibet uice. Et totum uinum inuentum cum tertia parte bestiarum & banni, applicetur, & applicari debeat dicto inuentori uel accusatori, & sibi lucro cedat, ultra dictum uinum, tertia pars banni & bestiarum ut supra. Vasa uero in quibus esset repositum dictum uinum, & cum quibus portaretur, Syndicus communis, qui pro tempore fuerit, teneatur & debeat, uinculo iuramenti, requirere D. Vicarium seu Iudicem, & sub pœna librarum decem infra duos dies, a tempore consignationis uini numerandos, quòd fieri faciant ipsa uasa igne concremare in platea maiori dictæ ciuitatis, ad quæ teneantur dicti officiales. Et talis inuentor, seu accusator, non possit uel debeat directè, uel per obliquum alicui contrafacienti, uel alteri personæ pro eo, de prædictis, uel aliqua ipsorum parte, gratiam facere sub pœna librarum uigintiquinque Asten. & si inde facta foret, pro infecta habeatur, quo ad quemcunque contrafacientem, uel alium eius nomine, & res talis gratiæ sic factæ, seu de quibus esset dicta gratia facta, auferantur facienti, & applicentur, seu applicari debeant ipso facto communi dictæ ciuitatis: Et de prædictis D. Vicarius seu Iudex, possint inquiri, & inquisitionem facere, eo saluo quòd in ducendo uinum extraneum, & disbanniendo, possit fieri ad uoluntatem consilii, scilicet de uino ueteri, sed de uino nouello seu musto non, imò remaneat totum capitulum super uino musto firmum in omnibus, & per omnia in suo robore, & firmitate, & ita quòd nullo modo possit disbanniri, nec duci sub aliquo ingenio, seu forma, & quod in uino musto non sit uoluntas consilii, sed semper remaneat bannitum: Et quælibet persona de ciuitate prædicta, quæ habeat uineam propriam in posse dictæ ciuitatis uel Bastitæ Carassoni, possit impunè apportare uuas de suis uineis, ad dictam ciuitatem tantum: Et quòd quæli-

quælibet persona de ciuitate prædicta, quæ ibi habitet ad focum, & cathenam, & ibi soluat fodrum, & taleam, pro communi Montis Regalis, quæ habet, vel habebit de cetero aliquas uineas apud Bastitam, uidelicet ultra Tanagrum, posit omni anno impune per totum mensem Octobris ducere, uel duci facere ad dictam ciuitatem, uinum natum in suis propriis uineis, iurando ipse, & filii sui, quòd non ducent, uel duci faciant, nec etiam consentient aliud uinum, quàm uinũ natum in dictis suis propriis uineis.

Item statutum, & additum est supra, dum dicitur per totum mensem Octobris, quod idem dicatur, & esse intelligatur per totum mensem Nouembris, iurando tamen in manibus D. Vicarii, seu Syndici communis, qui pro tempore fuerit antequam ducant uinum, quod dictum uinum est natum in uineis, & ottinis suis propriis, si talis persona inde fuerit requisita. Et quod dictum est de hominibus ciuitatis, locum habeat in hominibus Bastitæ, saluo quòd si ducerent uinum extraneum, seu cōduci facerent in toto posse huius ciuitatis, quod tunc & eo casu, incurrant pœnam, pro quolibet, & qualibet uice, librarum centum, ultra alias pœnas contentas in capitulo prædicto, applicandas, ut in capitulo continetur.

Item additum est, pro dubitatione tollenda, & pro iuribus fiscalibus, & præsentis communitatis conseruandis, & ut fraudem committentibus materia tollatur, quod illud intelligatur, & sit uinum extraneũ, quòd recoglitur, & nascitur extra posse, & territorium præsentis ciuitatis, prædicto capitulo in reliquis, de quibus in eo mentio fit in suo robore, & firmitate, ut supra permanente.

Item, quia præfatum statutum, mentionem faciens de uino extraneo non conducendo, propter negligentiam officialium aliquando, ad quos spectat, & aliquando propter non habitam notitiam, in graue detrimentum præsentis ciuitatis non obseruatur, ideo, ut fraudibus, & machinationibus obuietur, iuraque fiscalia conseruentur illæsa, & indemnitati Reip. præsentis ciuitatis posit prouideri, ordinauerunt, & statuerunt, quòd eligantur anno singulo, per consilium præsentis ciuitatis duo probi ciues, quorum officium duret per unum annum, qui potestatem habeant, bailiam, & authoritatem pro obseruantia dicti statuti, & vt delinquentes debita pœna plectantur, inuestigare,

inueſtigare.& perquiri facere contrafacientes diſpoſitioni capi tuli præallegati,cũ additionibus ſuper eo factis, & inſtare apud D.Vicarium, & curiam præſentis ciuitatis, ut iuſtitia miniſtretur de talibus,uinum extraneum, habentibus, uel conducentibus, aut conduci facientibus, poſsint etiam accuſare contrafacientes, & eorum accuſis detur plena fides, cum iuramento, & teneantur ſecreti: poſsintque pro eorum exercendo officio,de ære Communitatis expendere,uſque ad libras decem,pro inueſtigando,& cuſtodiri faciendo in locis oportunis,ne capitulum ipſum infringatur:& habeant ipſi electi partem bãni, de eorum accuſis,in capitulo mentionatam. & ſimiliter receptatores dicti vini extranei,incurrant pœnam contentam in dicto capitulo.

De beſtiis mortuis non tenendis, ſeu ponendis in ciuitate Montis Regalis, Caput L.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliquis, aliquam beſtiam ſuam mortuam, uel aliquas carnes, quæ, uel de quibus turpis fetor perueniat, non debeat in dicta ciuitate dimittere, ſed eam ſepelire extra ciuitatem, & in tali loco ponere & exportare debeat, per quem non tranſeant gentes, & qui contra fecerit ſoluat bãnũ ſolidos decem pro quolibet & qualibet uice,& quilibet de prædictis,poſsit contrafacientes accuſare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et inde poſsit & debeat D. Vicarius inquiſitionem de prædictis facere, & de prædictis familiares D. Vicarii, poſsint contrafacientes accuſare, & habeant tertiam partem banni.

De coriis non tenendis iuxta pontes, & non impediendo pontes. Caput LI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona non poſsit tenere, ponere, uel expelare coria in aqua Elleris iuxta pontes ubicunque ſint, per ſpacium quinque theiſarum, ſub pœna pro quolibet contrafaciente, ſolidorum trium.Et quilibet poſſit eos accuſare, tam familia D. Vicarii, quàm alii, & eius iuramento credatur, & habeãt quartam partem banni, excepta in his affeictaria Paſchalis. Et quòd aliqua perſona non debeat tenere pannos, telam, ſabionum, lapides, ligna, uel lignamina, ſeu letamem, ſiue fimum ſuper pontes,ſeu in aliquo eorum ſub pœna & banno pro quolibet & qualibet uice, ſolidorum trium, exigendorum incontinenti ſine aliqua condemnatione aliquo capitulo non obſtante. Et de prædictis tam familia D. Vicarii,

Vicarii, quam alii, possint contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De non capiendo alienos banchos. *Caput* LII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat uel præsumat capere aliquod alienum banchnm causa lezandi, uel faciendi bicocham, uel aliud simile, & qui se lezauerit super alieno bancho, uel bichocham, seu aliud simile de alieno bancho fecerit, soluat bannum incontinenti, solidorum decem, & emendet banchum in duplum, si banchum deterioraretur. Et D. Vicarius seu Iudex, & curia, possit inquirere de prædictis, & quælibet persona bonæ famæ possit accusare, & denunciare, & eis & cuilibet eorum cũ iuramento credatur.

De banchis non tenendis in platea, nisi in die Sabbati. *Caput* LIII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona possit tenere banchum, seu banchos in platea dictæ ciuitatis, nisi in die sabati, & nundinarum, & qui apportauerit banchum in dicta platea in die sabati, & nundinarum, teneatur & debeat in qualibet die sabati in sero, & tertia die nundinarum in sero, facere reduci dictum banchum, & extrahere de tota platea, & qui contra fecerit, soluat bannum solidum unum, & intelligatur banchum extraxisse de platea, qui illud posuerit subter pantalerias, iuxta murum, pillas, uel colonas quæ sunt circum quaque plateam prædictam, dummodo non ponatur unum banchum super alio, & istud capitulum sit ad uoluntatem consilii, & habeat locum, donec per consilium aliud fuerit ordinatum uel reuocatum, Et intelligatur etiam de platea a furno Donzellorum infra quantum ad hoc capitulum, & a domo Ioannis Annellæ supra, & quilibet etiam familiares D. Vicarii possint contra facientes accusare, & capere banchum, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De porticibus plateæ apertis tenendis, & non uendendo carnes in circuitu plateæ. *Caput* LIIII.

ITEM statutum est, quòd omnes porticus platæ ciuitatis MontisRegalis, remaneant, & stent aperti, ita quòd quilibet possit ire, & redire competenter, & duæ personæ possint unà a latere, alterius ire, & redire: & istud capitulum faciat dominus Vicarius proclamari semel in anno: & quælibet persona, quæ contrafecerit, soluat bannum, pro quolibet, & quali-

bet

bet uice, solidos uiginti, & quilibet homo bonæ famæ, posit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

Item statutum est, quòd porticus, quæ sunt super commune, circa plateam, & alibi, in ciuitate MontisRegalis, stent expeditæ, secundum formam instrumentorum illorum, qui habent,& quilibet posit habere commodum in dictis porticibus, saluis tamen instrumentis prædictis. Et quòd nemo posit uendere carnes recentes in dictis porticibus, nec in platea a domo Petri Ferrarii de Bagnasco, & a domo Petri Scaragloni supra, & a domo Bonanati Fauzoni, & a domo Oberti Sardene, & a furno Donzellorum infra uersus plateam, & a domo Nicoleti Veglacii uersus plateam, & a domo Oberti de Turre, & a domo Iacobi Grammatici supra, & qui contrafecerit, soluat bannum solidos quinque, qualibet uice. Et D. Vicarius, teneatur, & debeat infra quindecim dies,postquam iurauerit, facere publicè præconizari per plateam dictæ ciuitatis,quòd illi qui habent,uel tenent ipsas porticus,debeant expedire eas,& expeditas dimittere communi,sub pœna solidorũ sexaginta, pro quolibet,ultra id quod continetur in eorum instrumentis,& porticus stare debeant expeditæ,tam in platea, quàm extra plateam, quæ sunt communis in dicta ciuitate: & qui cõtrafecerit,soluat dictam pœnam. Et quælibet persona bonæ famæ posit contrafacientes accusare,& ei iuramento credatur,& habeat quartam partem banni, & istud capitulum sit ad uoluntatem consilii, & habeat locum,& obseruetur, donec per consilium aliud fuerit ordinatum.

De non interficiendo, uel percutiendo alienas bestias.

Caput LV.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non interficiat alienam bestiam, seu uulneret, uel aliquod os frangat alicui bestiæ alienæ, sub pœna solidorum uiginti, de morte, & de bestia grossa: de minuta solidos decem, & nihilominus emendet damnum incontinenti,quando fuerit condemnatus,de banno.Si autem uulnerauerit, uel os fregerit, soluat medietatem dictarum pœnarum,& emendet damnum passo.Et quilibet dominus,seu custos bestiarum prædictarum posit de prædictis accusare,& iuramento credatur,& hoc capitulum non habeat locum in canibus, sed in eis seruetur ius cõmune, & quòd dictum

est de domino, & custode, quòd possint accusare, & quòd eis credatur, habeat locum, si dominus, uel custos fuerit persona bonæ famæ, & persona idonea, ad accusandum, & dummodo in eorum accusis dixerint se uidisse fieri prædicta, seu percussiones prædictas.

Item statuerunt, quòd canes, & sues, seu porci reperti in uineis, & altenis tempore maturationis uuarum, seu quo maturescunt uuæ, & pari modo sues tempore tuellorum, uidelicet, in mensibus Aprilis, & Maii, possint impune occidi, per dominos uinearum, & altenorum, eorumque famulos, & de eorum dominorum commissione, & uoluntate: & similiter si reperiantur in hortis, a medio mense Februarii citra, usque ad primam Decembris, inclusiue, non existente niue super ipsis hortis, quo tempore possit impune occidi, ut supra.

De bestÿs peirolÿs, & pellatis tenendis, ad uendendum, ut infra.

Caput LVI.

ITEM statutum est, quòd bestiæ, quæ ducuntur, seu ducerentur ad uendendum, in foro ciuitatis MontisReg. non debeant stare ab angulo superiori palacii Fauzonorum, quod est inferius uersus plateam. Et omnia coria, & pellatæ, tam siccæ, quàm recentes, non possint teneri in platea, imò debeant teneri ab angulo prædicto dicti palatii, usque ad domum Ioannis Anellæ. Et qui contrafecerit, soluat bannum, pro quolibet, & qualibet uice, solidos duos. In aliis autem locis consuetis, possint stare bestiæ, ut solitæ sunt, & quilibet possit accusare, & ei iuramento credatur. Et forum asinorum, qui ducuntur ad uendendum, debeât teneri a domo Gulielmi Scaragloni infra, sub pœna solidorum trium, pro quolibet contrafaciente, bestias bouinas, uenales, tenere debeant ad uendendum, ab angulo palatii quondam domini Simonis de Morocio supra, uersus ecclesiam sancti Francisci, sub pœna solidorum duorum, pro qualibet bestia, & qualibet uice. Et nemo audeat, sub eadem pœna tenere infra cathenas, uersus plateam, in die Sabbati, & nudinarum aliquas bestias grossas ligatas, & solutas, ultra mediam horam, nisi essent oneratæ aliquibus rebus uenalibus. Et peirolii teneantur ad uendendum, iuxta puteum nouum plateæ, & non alibi, in dicta platea, sub pœna solidorum trium; & in dicto loco sternatur platea de lateribus, uel lapidibus expensis cõmunis: & quælibet persona, quæ teneret ad uendendum peirolos

in platea,

in platea, contra formam præsentis capituli, soluat pro pœna, & banno, pro quolibet, & qualibet uice, solidos decem. Et eandem pœnam, soluat quæcunque persona, quæ teneret, seu haberet, uel poneret aliquas molas, uel turpitudinem, in platea extra muros domorũ. Et quælibet persona bonæ famæ, & tam familia D. Vicarii, quàm Iudicis, possint contrafacientes accusare, & eis iuramento credatur. Et hoc capitulum faciat D. Vicarius cridari in platea, antequam procedat ex eo.

De porcis non tenendis circa plateam. *Caput.* LVII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non possit nec debeat tenere, nutrire, seu nutriri facere, in domibus plateæ dictæ ciuitatis, aliquas bestias porcinas, uidelicet ultra tres, porcos masculos, seu tres troias castratas, & qui contra fecerit per se uel per alium, soluat pro pœna & banno pro quolibet & qualibet uice qua de hoc fuerit accusatus uel inquisitus, solidos quinque Asten. & de hoc quilibet possit accusare, & per curiam possit fieri inquisitio. Et intelligatur esse de domibus & circuitu plateæ a domo quæ fuit Bersani Veglacii super uersus plateam, & a domo Laurentii de Perla uersus plateam, & a furno Bergognorum supra uersus plateam, & a domo magistri Bonifacii de Vagnina uersus plateam, & a furno Donzellorum infra uersus plateam, & a domo Anselmi Ricardi supra uersus plateam, & a domo Paulini Ferrarii supra uersus plateam.

De non tenendo letamen, seu fangam in platea, vel in vijs publicis. *Capur* LVIII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat, uel præsumat, ponere, uel tenere letamen uel fangam in platea ciuitatis MontisRegalis, nec in uiis, per quas directo itur ad plateam in rectitudine domus suæ, sub pœna solidorum quinque, pro quolibet & qualibet vice, qua contrafactum esset. Et quælibet persona in platea, in rectitudine domus suæ, teneatur auferre fimum seu fangam, infra octo dies postquam fimus seu fanga ibi fuerit amassatus, sub pœna solidorum quinque. Et intelligantur viæ prædictæ a porta Vici usque ad plateam, & a domo Ioannis Pruchæ usque ad plateam, & a domo Iacobi Camerani, uersus plateã, & a puteo Toreti versus plateam, & a domo Iacobi Cusinoti uersus plateam, & a palatio dominorum Burgensium uersus plateã, & a domo Augustini de Pol

lis uersus plateam. Et de prædictis quilibet homo bonæ famæ posſit cõtrafacientes accuſare, & habeat quartã partem banni.

De vijs aptandis & auferendo turpitudinem de vijs & aquis recipiendis. LIX.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona quæ habeat domum, uineam, uel hortum, ſeu poſſeſsionem intus ciuitatem MontisReg. teneatur moneatas factas, & quæ de cætero per commune fierent in dicta ciuitate, & uias aptatas, manutenere aptatas ſuis expenſis quilibet in rectitudine ſuæ poſſeſsionis, uſque in medium uiæ, ſub pœna ſolidorum decem, pro quolibet & qualibet uice. Et ſi aliquis proiiceret, uel proiici faceret, terram, fimum ſeu uinaciam in aliquam uiam, ſeu moneatam, in ruatis dictæ ciuitatis, ſeu in platea, infra confines deſcriptos in capitulo præcedenti, teneatur prædicta auferre infra octo dies, poſtquam eam proiecerit, ſub pœna ſolidorum quinque, pro quolibet & qualibet vice. Et quilibet homo bonæ famæ poſſit accuſare, & habeat quartam partem banni. Et quòd ſuper prædictis eligantur duo maſſarii in quolibet terceria, quorum officium duret per unum annum qui facient fieri moneatas nouas expenſis communis, & uias moneatas ueteres procurent, & ordinent aptari per prædictos conſortes vt ſupra dictum eſt, termino eiſdem conſortibus ſtatuto per dictos maſſarios, & qui non aptauerit eas termino prædicto, incurrat dictam pœnam ſolidorum quinque. Et maſſarii prædicti uinculo iuramenti, accuſare & denunciare teneantur perſonas prædictas, elapſo prædicto termino, ſtatuto per eos uel aliquem ipſorum, infra decem dies ad minus, niſi fecerint eas aptari. Et quòd aliqua perſona non debeat ponere paleas in platea, uel ruatis dictæ ciuitatis pro litamo faciendo, ſub pœna ſolidorum quinque pro qualibet vice. Et quòd aliqua perſona non debeat proiicere de domo ſua aquam, nec aliquam turpitudinem in platea, uel aliis uiis communibus, ſub eadem pœna: Et D. Vicarius hoc faciat inquiri, & poſſit bis in anno, & hoc capitulum legatur in concione condemnationum. Et teneatur quilibet in directo ſuæ poſſeſsionis, tenere foſſatum communis ſcuratum factum in uia a puteo Vici, uſque ad domum Ceciliànæ per uiam Garilorum, ita quod aqua poſſit diſcurrere per ipſum foſſatum, ita quòd non noceat uiæ uſque ad pontes, ſeu cuniglos per quos diſcurrere debeat ipſa aqua, ſub

pœna

pœna solidorum quinque, pro quolibet & qualibet uice. Item teneantur infrascripti consortes recipere aquam quæ discurrit a domo filiorum Vberti de Payla, per uiam Garilorum, usque ad Ermenam, sub dicta pœna, ita quòd nō possit per uiā discurrere. In primo debeat discurrere inter Petrum Vulpenghum, & Iacobum Marabotum, & postmodum inter Ioannem Caligarium, & postmodum inter Anselmum Vulpenghum, & Cerrutum. Et postea inter Nicolaum Vulpenghum, & hæredes Bartolini Berxani, & postea inter hæredes d. Bartolini & Iacobū Mainardum, & postea inter Nicoletū Garbenam & Iacobinum de Ramondina. Et qui ipsa aquarolia rumperet per uiam, uel non reciperet aquam prædictam, ita quòd non discurrat per uiam, soluat bannum solidos decem pro quolibet & qualibet uice. Et sub dicta pœna teneatur qualibet persona tenere scurata fossata, & aptatas uias in directo suæ possessionis. Per uiam Ruuoriæ, usque ad pratum hæredum Thomæ Garbenæ de plano Villario, seu Rubatella. Et de prædictis D. Vicarius seu Iudex possint & debeant inquirere, & quilibet possit accusare, & ei iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et legatur præsens capitulum in qualibet cōcione & massariis quando iurabunt officium suum.

De auferenda turpitudinem de viis, & incidendo cessias indirecto suæ possessionis. *Caput* LX.

ITEM statutum est, quòd si quis proiecerit, uel proiici fecerit, seu posuerit terram, fimum, uel uinaciam in uiis communibus, & nō abstulerit, uel auferri fecerit, infra octo dies, soluat bannum solidos quinque. Et D. Vicarius, seu Iudex, teneatur, & debeat uinculo iuramenti, si sibi hoc notificatum fuerit, præcipere tali personæ, quòd auferat prædicta, infra alios octo dies, & si dictum præceptum non obseruauerit, soluat pro pœna, & banno solidos decem: & singulis octo diebus, quibus fuerit inobediens, simile præceptū fieri debeat, & similis pœna auferri. Item quòd qualibet persona, quæ habeat possessiones iuxta uias, infra confines bānitæ uictualium, teneatur, & debeat cessias, & clausuras suas bis in anno incidere, seu incidi facere cessias, & omne id quòd prætenderetur, uersus uiam communem, ultra terminos, inter uiā cōmunem & uicinos, seu consortes prædictos positos, sub pœna solidorum decem, pro quolibet, & qualibet uice: & de prædictis qualibet persona bonæ

famæ, posſit contrafacientes accuſare, & ei iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et prædicta D. Vicarius, teneatur bis in anno facere præconizari, in ciuitate prædicta, ſcilicet de menſe Maii, & Iulii. Et ſi quæſtio oriretur an dicta ceſsia, eſſet bene inciſa, uel non, quòd hoc definiatur per duos eligendos, per conſilium communis, quibus prouideatur, per requirentem prædicta cognoſci.

De ducendo aquas pluuiales, per uias. *Caput* LXI.

ITEM ſtatutum eſt, & ordinatum, quòd omnes perſonæ, quæ accipiũt aquas pluuiales diſcurrentes, per uias communis, illas habiles aptatas, ac idoneas, & ſufficientes tenere habeant, & debeant, per miram, & indirectum poſſeſsionum, in quibus dictam aquam faciunt labi, ſub pœna ſolidorum decem pro quolibet, & qualibet uice, qua uia reperiretur per miram talis poſſeſsionis minus ſufficiens, & minus idonea, & quotienscunque quis fuiſſet accuſatus, requirat Syndicum communis, quòd uadat ad uidendum, talem uiam minus idoneã, qui Syndicus ita requiſitus, aut ipſius locum tenens, teneatur ire ad uidendum dictam uiam, & referre dominis Vicario, uel Iudici, ſi ipſa uia ſit idonea, uel non, & relationi ipſius Syndici ſtetur, abſq; aliis probationibus perquirendis, hoc addito, quòd ſi lis oriretur, eo quòd quis haberet poſſeſsiones confines uiis, quæ ex eis deteriorentur, quòd tunc Syndicus, & duo ex Gubernatoribus ad hoc electi, tale damnum reuideant, & ſi deterioramentum uiæ reperiretur, ordinetur per illum, & illos, illis modis, & formis, quibus dicti Syndicus, & Gubernatores, ordinauerint faciendum, una cum domino Vicario, uel eius Iudice.

De non faciendo foſſatum iuxta uias, ex quo damnum fieri poſſit communi, uel uicino ſuo. *Caput* LXII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quicunque fecerit, uel fieri fecerit, aliquod foſſatum, ſeu rittanam, in ſuis poſſeſsionibus, ultra Ellerum, iuxta uias cõmunis, teneatur proiicere terram, quam extraxerit, uel extrahi fecerit de foſſato, uerſus uiã communis, & in uiam, niſi uia eſſet moneata, ſub pœna ſolidorum quinque, pro quolibet, & qualibet uice, & debeant recolligere aquam, quæ pluit, & currit per dictam uiam, per foſſatum ſuæ terræ, in rectitudine ſuæ terræ: ita quòd aqua diſcurrens per dictam uiam, non poſſit nocere dictæ uiæ, ſub pœna ſolidorũ quinque

que

que, pro quolibet, & qualibet uice: & cãparii, & quælibet persona, posʃit contrafacientes accuʃare, & ei cum iuramento credatur. Et quòd nemo debeat cauare in uiis cõmunibus, faciendo rittanam, ʃeu foʃʃatum, cauʃa ducendi aquam, uel alio modo dando damnum uiis, niʃi fecerit, & manu tenuerit pontem, vel galãboram, deʃupra illam rittanam, ʃeu foʃʃatum, ita quòd quælibet perʃona, cum beʃtiis, plauʃtris, & ʃine, poʃsint ʃufficienter ire, & redire, & tranʃire ʃuper dictum pontem, & qui contrafecerit, ʃoluat bannum ʃolidos decem, pro qualibet uice: & quilibet poʃsit contrafacientes accuʃare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, & de prædictis poʃʃit inquiri per curiam. Et aliqua perʃona non poʃsit, nec debeat cauare, nec cauari facere iuxta uiam publicam, uel communem per quod ipʃa uia deterioraretur in aliquo, ʃub pœna ʃolidorũ decem, pro quolibet, & qualibet uice, & nihilominus talis perʃona, teneatur reʃtituere uiam, quæ eʃʃet deteriorata in priʃtinum ʃtatum, arbitrio D. Vicarii, & maʃʃariorum dictæ uiæ. Et ʃi aliqua perʃona fecerit, uel fieri fecerit aliquod foʃʃatum, iuxta uias communis, ex parte inferiori, teneatur, & debeat tantum de terra ʃua dimittere uerʃus uiam, quantum faceret, uel fieri faceret foʃʃatum croʃum, & teneatur, & debeat eiicere terram, quæ exiuerit de dicto foʃʃato, ʃuper terram, quæ remaneret inter foʃʃatum, & uiam, ʃub pœna ʃolidorũ uiginti Aʃten. pro quolibet, & qualibet uice, & implere foʃʃatũ, & quilibet poʃsit contrafacientes accuʃare, ut ʃupra, & habeat quartam partem banni. Nec audeat, uel præʃumat aliqua perʃona facere foueam, uel rittanam, ʃeu foʃʃatum, in uia publica, ʃeu uicinali, uel alio loco publico, ʃubter poʃʃeʃsionem alicuius alterius, nec etiam in re ʃua propria, ex quo poʃsit fieri damnum uicino ʃuperiori, uel a latere habenti ʃuam poʃʃeʃsionem, ʃub eadem pœna, & banno, ut ʃupra, & teneatur reʃtituere damnum uicino, quod pateretur occaʃione dicti cauamenti. Et ʃi aliqua perʃona cauauerit uerʃus uicinum, ultra terminos, uel confines eorum, ʃoluat eandem pœnam ʃolidorum uiginti, pro quolibet, & qualibet uice, & reʃtituat damnum, & expenʃas, ut ʃupra, & quilibet homo bonæ famæ poʃsit contrafacientes præʃenti capitulo accuʃare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, & camparii finium uinculo iuramenti ʃui accuʃare contrafacientes præʃenti capitulo, teneantur, & debeant.

De quintaneis, & latrinis claudendis. *Capitulum* LXIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona habens quintaneam, seu latrinam propriam, uel communem, in ciuitate MontisRegalis, descendentem, seu ortum habentem in uiis, uel super uiam communis, a platea, per ruatam Taureti, usque ad domum Iacobi Zore, & a platea per ruatam Donzellorum, usque ad puteum de Ghigletis, & ab ecclesia sancti Donati, usque ad plateam, & a platea per ruatam portæ Vici, usque ad portam inferiorem communis, & a platea per ruatam Bergnonam, usq; ad portam Grassi, & a dicta platea, descendendo per ruatam Margarianam, usque ad domum Botarelli, teneatur, & debeat claudere dictam quintaneam, pro parte eum tangente, iuxta uiam publicam, in capite, in altum per unum trabuchum, saluo, & excepto quod possit dimittere, si opus fuerit, unum foramen, tam amplum, quòd aqua pluuialis possit per eum discurrere in dicta quintanea. Et similiter latrinas existentes, iuxta uiam, & extra quintaneas claudere teneatur, sic & taliter, quòd aliqua turpia apparere non possint transeuntibus per uiam, nec in ipsa uia aliqualiter spargere, uel nocere, & hoc facere teneatur quælibet persona præcise, infra duos menses proxime uenturos, a die cridæ inchoandos, & hoc sub pœna solidorum uiginti, pro quolibet, & qualibet uice, & de prædictis, tam familia domini Vicarii, quàm alii, possint contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et si essent aliquæ latrinæ inter cõsortes quintanearum, & vnus ex illis peteret, vel requireret ab alio consorte, quòd claudere, vel mundare deberet quintaneam, tunc illi cõsortes teneantur, & debeant claudere dictam latrinam, seu scurare quintaneam, vel latrinas expensis communibus dictorum consortium, soluendo quilibet pro parte sibi contingente, in electione duorum bonorum virorum, & qui contrafecerit, soluat solidos decem, pro qualibet vice, qua requisitus fuerit a parte dicentis dictam latrinam sibi nocere, uel dictam quintaneam debere scurari.

De cuniglo Taureti *Capitulum* LXIIII.

ITEM statutũ est quòd quælibet persona de ruata Taureti teneatur & debeat suis propriis expensis, manutenere cuniglum ipsius ruatæ nuper ibi factum in directo domus suæ, & ipsum tenere moneatum, sub pœna solidorum quinque pro quolibet & qualibet uice.

De non

De non aluendo pannos, uel aliud turpe faciendo iuxta fontes.
Caput LXV.

ITEM statutum est, quòd nulla persona debeat aluere pannos uel aliquid aliud turpe facere in aliquibus fontibus dictæ ciuitatis, nec etiam prope eas per quinque teisas, sub pœna solidorum quinque pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, & tam familia D. Vicarii, quam alii, possint contrafacientes accusare, & habeāt quartam partem banni. Et D. Vicarius possit & teneatur facere inquisitionem, & ponere custodes ad suam uoluntatem, & prædicta facere præconizari per d. ciuitatem. Et teneatur facere eligi duos bonos uiros pro quolibet tercerio, qui faciant dictos fontes scurari de duobus in duobus mensibus a festo paschatis, usque ad festum sancti Michaelis. item teneatur facere iurare de proximioribus consortibus dictorum fontium usque in decem, quòd accusabunt quilibet ipsorum omnes contrafacientes quibus eorum iuramento cradatur, si fuerit bonæ famæ, & habeat quartam partem banni.

De non destruendo aut deteriorando fontes. *Caput* LXVI.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat uel præsumat destruere uel deteriorare aliquo modo aliquos fontes, factos uel fiendos super communi ciuitatis MontisRegalis uel eius districtu, seu conductus aquæ aliquorum fontium, sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente & qualibet uice solidorum sexaginta, & restituere fontem seu conductum quos deteriorauerit in pristinum statum in arbitrio D. Vicarii & duorum massariorum. Et de præmissis quælibet persona bonæ famæ, ac familia D. Vicarii, possint contra facientes accusare, & sibi cum iuramento credatur, & habeant quartam partem banni, ac per D. Vicarium possit & debeat fieri inquisitio.

De bobus non iungendis in diebus festiuis. *Caput* LXVII.

ITEM statutum est, quòd aliquis de ciuitate MontisRegalis, non audeat, uel præsumat iungere boues in diebus dominicis, nec in festiuitatibus Apostolorum, & sancti Ioannis & in festiuitatibus beatæ Mariæ, sub pœna & banno pro quolibet contra faciente & qualibet vice solidorum quinque, & quilibet possit accusare, & ei iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De ce-

De celebrando festum sancti Donati. *Caput.* LXVIII.

QVIA Dignum est, ut beato Donato Patrono ciuitatis MontisRegalis, debitus honor exhibeatur. Statutum & ordinatum est, quòd quilibet de ciuitate prædicta diem festi sancti Donati, teneatur & debeat celebrare, & qui repertus fuerit tali die laborare, soluat bannum solidos quinque & quilibet possit contra facientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De deriuanda aqua plateæ. *Caput* LXIX.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius teneatur & debeat eligi facere duos homines, qui debeant & teneantur deriuare, seu deriuari facere, & designare aquam pluuialem quæ descendit a platea uersus portam Vici, Et nullus debeat transuiare ipsam rianam siue aquam in die, sub pœna solidi vnius, & de nocte solidorum trium, saluis rianis designatis per designatores communis, quæ debeant stare aptatæ, vt supra sicut sunt designatæ, per designatores predictos per totam ciuitatem sub eadem pœna. Et has designationes teneatur fieri facere D. Vicarius, Et de prædictis familia D. Vicarii, & quilibet homo bonæ famæ possint accusare.

Item statutum est, quòd aqua quæ descendit a platea uersus portam Vici arceatur & constringatur deriuare, ire, & currere de super moneatam, ita quod quilibet, per directum suæ domus ab utraque parte uiæ, debeat eleuare cum terra & lapidibus, ita quòd dicta aqua arceatur & constringatur ire & currere super moneatam, sub pœna solidorum quinque pro quolibet & qualibet vice. Et aliqua persona non debeat stopare, nec stopari facere aquairolium portæ Vici, nec etiam aliqua alia aquairolia, sub pœna solidorum quinq; pro quolibet & qualibet vice. Et D. Vicarius teneatur uinculo sacramenti, contra quamlibet personam facientem contra præsens capitulum inquirere, quotienscunque, & quandocunque ei dictum, uel denunciatum fuerit per aliquam personam.

De aqua, quæ exit per portam Vici. *Caput* LXX.

ITEM statutum est, quòd aqua, quæ exit, seu exire continget per portam Vici, debeat discurrere per aquairolium, quod est prope dictam portam, inter domum, quæ fuit Guilelmi Leona, & ipsam portam. Et quicunque aliquid fecerit,

uel

uel fieri fecerit, propter quod dicta aqua discurrat aliter quàm suprascriptum est, incurrat pœnam solidorũ centum, pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet uice. Et massarii uiarum tercerii Vici, teneantur uinculo iuramenti, ita facere, & curare omnino, sub pœna solidorũ sexaginta, quòd dicta aqua discurrat per dictum aquairolium, ut prædictum est.

Item statutum est, quod aqua, quæ descendet a dicto aquairolio infra, usque ad domum Andreæ de la Porta, uadat, & discurrat per fossatum Scassorum, & a dicto fossato infra, inter consortes. Et quæcunque persona, quæ aliquid fecerit, uel fieri fecerit, propter quod dicta aqua, aliter discurrat, quàm suprascriptum est, incurrat pœnam solidorum centum, pro quolibet, & qualibet uice.

Item statutum est, quòd aqua, quæ descendet de platea, per ruatam Bergognonã, uadat, & discurrere debeat ad fossatum, & per fossatnm, seu rianam, quod & quæ est de subter domum Rogerini de Gosolengo, & in medio possessionum Laurentii de Perla, & Rogeriorum. Et aqua, quæ discurrit, & descendit a dicto fossato, uadat, & discurrat ad fossatum Fontanacii Becconi. Et tota aqua, quæ discurrit a dicto fossato infra, usque ad tectum Nicolai Veglacii, descendat, & discurrat retro tectum ipsius Nicolai, retornando dicta aqua ad fossatum Becconi. Et quicunque aliquid fecerit, nel fieri fecerit, propter quod dicta aqua discurrat aliter quàm suprascriptum est, incurrat pœnam solidorum centum, pro quolibet, & qualibet uice.

Item statutum est, quòd aqua, quæ descendit a domo Vuglezoni de Gherra, citra uersus domum tafollorum, & aqua, quæ descendit per ruatam frigidam, ueniendo uersus portam Becconi, vadat, & discurrat ad tectum Blengerii Fauzoni, quam aquam ipse Blengerius recipere teneatur. Et aqua quæ descendit a fossato, quod est in medio Rogeriorum, & Laurentii de Perla, uersus Becconum, uadat etiam, & discurrat ad tectum dicti Blengerii. Et aqua, quæ descendet a dicto tecto infra, uadat & discurrat in medio Rogeriorum, & Dondinorum. Et cum descenderit a dictis possessionibus, uadat, & discurrat ad fossatum Becconi. Et quælibet persona, quæ aliquid fecerit, uel fieri fecerit, propter quod dictæ aquæ aliter discurrant, quàm scriptum est, incurrat pœnam solidorum centum, pro quolibet, & qualibet uice.

Quòd

Quòd dominus Vicarius faciat diuulgari in consilio capitula, de aquis deriuandis. *Caput* LXXI.

ITEM statutum est, quòd dominus Vicarius postquam iurauerit regimen, infra quindecim dies, teneatur facere legi in consilio dictæ ciuitatis capitula de aquis deriuãdis, loquentia. Et quælibet persona, tam familia domini Vicarii, & Iudicis, quàm alia persona bonæ famæ, posſit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni. Et etiam super dictis capitulis, de aquis deriuandis, posſit inquiri per curiam.

Qui accusatores sint bonæ conditionis, vocis, & famæ. *Caput* LXXII.

ITEM, quia est ex pluribus statutis, tam in uolumine, quàm extra editis introductum, quòd quilibet homo bonæ conditionis, uocis, & famæ, posſit accusare, quos, uel quem contrafecisse inuenerint, & quòd ipsius iuramento credatur. Ad tollendum omnem cauillationem, exceptionem, vel oppositionem accusatorum, uel accusati, quæ posset contingere, Statuerunt, & ordinauerunt, quòd si quæstio aliqua oriatur in futurum, super bona conditione, uoce, & fama alicuius, quantum ad pœnas de quibus in ipsis omnibus statutis fit mentio: quòd Syndicus, & Gubernatores, qui pro tempore erunt, posſint, & debeãt quandocunque fuerint requisiti declarare, & declarent eum de quo quæstio orta fuerit esse bonæ, uel malæ conditionis, vocis, & famæ. Et ipsorum declarationi totaliter stetur: & a tali declaratione nõ posſit prouocari, appellari, uel supplicari, quo minus fiat executio pœnæ, quam incurrisse apparebit tenore ipsorum statutorum, quæ obseruari facere nobis, maxime pro commodo Reip. cura est.

Finis Collationis Tertiæ.

QVARTA COLLATIO
De Damnis datis.

DE VIIS DANDIS POSSESSIONIBVS NON *habentibus vias sufficientes. Caput Primum.*

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona de ciuitate MontisRegalis uel poſſe, haberet aliquam poſſeſsionem in toto poſſe dictæ ciuitatis, & pro ipſa poſſeſsione non haberet uiam ſufficientem, & idoneam pro eundo & redeundo ad dictam ſuam poſſeſsionem, cum beſtiis iunctiuis & diſiunctiuis, quòd D. Vicarius ſeu Iudex ſi fuerit requiſitus, teneatur & debeat dare eidem requirenti æſtimatores communis, & dictis æſtimatoribus cõmittere, & in mandatis dare, quatenus dare & æſtimare debeant viam idoneam per poſſeſsionem, ſeu poſſeſsiones vicinorum, & conſortium tendentem ad dictam poſſeſsionem requirentis ad minus damnum, dummodo utilitas & cõmodum dicti petentis uiam ſint maiores quàm ſit damnum. Et facta dicta æſtimatione, & ſoluto pretio dicti æſtimi ipſius uiæ, ſeu depoſito tales uicini, ſeu conſortes, teneantur & debeant dimittere, & expedire dictam uiam ſic æſtimatam. Et ſi aliquis haberet uiam tendentem ad ſuam poſſeſsionem, & diceret quòd dicta via eſſet dirupta, uel non eſſet idonea, aut ſufficiens ſibi, pro eundo & redeundo ad dictam ſuam poſſeſsionem, quòd eodem modo D. Vicarius, ſeu Iudex, teneatur dare & mandare prædictos æſtimatores, & iuxta ipſorum diſpoſitionem, ordinationem, & declarationem exequatur, & executioni mandetur per prædictum D. Vicarium, ſiue Iudicem.

Quòd officiales & familiares curiæ, non poßint accuſare de officio campariorum, & de proprijs damnis. *Caput* II.

ITEM ſtatutum eſt, ad euitandum multas querelas & rancuras, quæ quotidie inſurgunt & inſurgere & oriri poſsent, prouidendo ſuper omnibus aliis capitulis in contrarium loquentibus, quòd miles ſeu collateralis, aut aliquis familiaris curiæ præſentis ciuitatis, non poſsit nec debeat aliquo modo

accusare uel aliquam accusam instituere de damno proprio dato, seu facto per aliquam personam, seu bestias aliquas in aliquibus possessionibus, seu rebus alicuius personæ: Et si secus per dictum militem, aut aliquem familiarem dictæ curiæ factum fuerit, dicta accusa sit nulla, & nullius ualoris, uigore præsentis capituli, & quod nulla condemnatio ex ipsa sequi possit, nisi aliter per consilium generale fuerit ordinatum. Et eodem modo intelligatur, quod dicti milites, seu collatereles, aut aliquis de familia, non possit nec debeat accusare de bealleriis aquarum, nec etiam de ghichetis seu aliis artificiis pertinentibus ipsis bealeriis, saluo de destructione pontium, & de aqua spargente in uiis, ut in capitulis bealeriarum continetur, quia dictæ accusæ pertinent ad camparios.

Item statutum est, quod aliquis familiaris curiæ, nullo modo possit accusare, nec denunciare de aliquibus propriis damnis, aliquam personam, & si secus fieret, non ualeat, nec ex inde possit fieri aliqua condemnatio.

Quod familiares curiæ non habeantur pro legitimis accusatoribus. Caput III.

ITEM statutum est, quòd si in aliquo capitulo, reformatione, uel ordinamento cômmunis ciuitatis MontisRegalis, contineretur seu contineri uidebitur, quòd quælibet persona, seu aliqua persona possit accusare de his quæ in dictis capitulis, statutis, ordinamentis, & reformationibus, sunt expressa. Quòd quantum ad dictas accusas, familiares D. Vicarii seu Iudicis, qui pro temporibus fuerint in ciuitate prædicta, non possint accusare uel denunciare aliquem, nisi de eorum propriis iniuriis, uel nisi hoc concederetur per capitula, reformationes, uel ordinamenta communis ciuitatis, uel nisi de his quæ spectant ad officium regardariæ, ut in capitulis loquentibus de regardariis continetur.

Quòd familiares curiæ non possint facere accusas, nisi iurauerint de officio. Caput IIII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius & Iudex, qui pro temporibus fuerint in ciuitate MontisReg. teneantur postquam iurauerint regimen, eligere & nominare illos de familia sua quos uolunt posse facere accusas, & eos teneantur facere scribi in libro consiliorum dictæ ciuitatis, & sint uestiti de una eadem partita qui electi iurent facere eorum accusas bona fide & sine fraude

fraude remotis odio pretio, & amore, & illi de eorum familia qui non iura erint, ut supra, non posint accusationes aliquas facere, nisi de eorum iniuriis tantum, nec habeantur pro familiaribus quantum ad accusas faciendas. Qui electi similiter iurare teneantur dictas accusas facere secundum formam capitulorum & ordinamentorum dictæ ciuitatis. Et notarius consiliorum teneatur ponere in libro dictos familiares, qui iurauerint de eorum officio, & quòd si alia persona, quàm dicti accusatores uoluerit pignorare, uel ducere aliquam, seu aliquas bestias ad curiam, & illa, se uel bona sua defenderet, non incurrat aliquam pœnam, nec pro ipso uenire teneatur, & accusationes quæ fierent per tales accusatores non ualeant, nec teneant.

Quòd ribaldi & meretrices non intelligantur legitimi accusatores. Caput V.

ITEM statutum est, quòd si in aliquo capitulo, uel ordinamento, uel reformatione præsentis ciuitatis contineretur, seu contineri uidebitur, quòd quælibet persona, seu aliqua persona posit accusare de his quæ in prædictis capitulis, ordinamentis, & reformationibus sunt expræssa. Quòd quantum ad dictas accusas aliquis ribaldus, uel meretrix publica non intelligantur legitimus, uel legitima accusator, uel accusatrix quantum ad hoc ut eorum sacramento credatur, & ribaldus publicus, & meretrix publica, intelligatur illa persona quæ habetur pro ribaldo & meretrix ex forma capitulorum dictæ ciuitatis: ita tamen quòd tempus quod connumeretur in prædictis a tempore maleficii, connumeretur a die accusæ per eos factæ uel fiendæ.

Quòd accusæ fiant infra octo dies per accusatores, & super his posit fieri defensio suo iuramento cum uno teste Caput VI.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona fecerit aliquam accusationem, seu facere uoluerit, de qua ex forma capitulorum, ordinamentorum, uel reformationum communis ciuitatis Montis Regal. credi debeant eidem cum iuramento suo, teneatur dictam accusam facere infra octo dies, a die commissi delicti, uel damni dati, alioquin accusa non ualeat, nisi aliud in capitulo, ordinamento, uel reformatione expressius caueretur. Et teneatur talis persona accusans ut supra ponere in accu-

ſa diem, & locum certum, quibus commiſſum diceretur maleficium, ſeu damnum datum, & nomen accuſati, & tranſactis dictis octo diebus accuſatio non recipiatur, nec ualeat: exceptis in damnis datis in caſtagnetis, in quercubus, ſeu ruuoribus, de quibus poſsit fieri accuſatio, quandocunque aliquis ſciuerit ſibi, uel alteri damnum factum fuiſſe: & accuſanti cum iuramento credatur, ſiue uiderit, ſiue non, ſibi, uel alteri damnum fieri, dummodo ſit homo bonæ famæ, & dummodo dixerit, uel acertauerit per ſacramentum illud damnum ſibi, uel alteri factum fuiſſe. Et facta accuſa Notarius, qui eam receperit, ſiue ſcripſerit, teneatur facere dari terminum accuſato decem dierum, ut ſuam faciat defenſionem, & decano credatur, niſi contrarium probaretur per eum, cui data diceretur defenſio, & ſcribatur requiſitio, ſeu defenſio data per decanum ſuper qualibet accuſa, & per quem decanũ data, vel facta fuerit, & denuncietur defenſio accuſato, infra quindecim dies, a die accuſationis, alioquin accuſatio, pro nulla habeatur, niſi accuſatus fuerit extraneus Et decanus, qui denunciauerit alicui, quòd faciat defenſionem ſuã, teneatur denũciare accuſato, uel denũciato, perſonaliter, uel ad domum ſuam, in qua habitat, alicui habenti diſcretionem, & defenſio data per decanum, ualeat, ſi denunciauerit alicui, de domo accuſantis, habenti diſcretionem. Et quilibet, qui accuſauerit, ſeu denunciauerit aliquem de damno ſibi, vel alteri dato in nemoribus caſtanearum, uel aliis arboribus, teneatur accuſationem, ſeu denunciationem ſuam facere, infra quindecim dies, poſtquã ſciuerit dãnum fore datum, & perſonã, quæ damnum dederit, ſeu fecerit, uel acertauerit. Vltra uero dictũ tempus accuſatio, ſeu denũciatio fieri nõ poſsit, nec ualeat. Et teneatur accuſans, ſeu denuncians, ad inſtantiam accuſati, ſeu denunciati, de hoc dicere ueritatem, uidelicet, an a die ſcientiæ ſupradictæ, accuſationem, ſeu denunciationem fecerit infra tempus ſuperius declaratum, an poſt: & prædictam ueritatem dicere per ſacramentum, ſi de hoc fuerit requiſitus, per dominum Vicarium, ſeu Iudicem. Qui D. Vicarius, ſeu Iudex ad inſtãtiã accuſati, ſeu denũciati, ipſum cõpellere teneatur, alioquin accuſatio, ſeu denũciatio, nõ ualeat ſeu teneat: in accuſis uero extraneorũ, ſeu denũciationibus, denũcietur infra menſem defenſio, a die dictæ accuſæ. Hoc enim addito, & ſanè intellecto, quòd qualibet perſona accuſata, ſeu denunciata, in

omnibus

omnibus,& singulis casibus supradictis, possit se defendere suo iuramento, & vno teste fide digno, nisi maleficium, uel dãnum esset legitime probatum per eius confessionem, uel per testes, quo casu possit se defendere, prout iura uolunt, & si quis aliquem iniuste accusauerit, dictus accusans teneatur restituere dicto indebite accusato, damna, & expensas, arbitrio domini Iudicis taxandas, & aliam pœnam talionis minime teneatur soluere.

De denunciatione damni dati facienda. *Caput* VII.

ITEM statutum est, quòd si contigerit aliquam personam, de ciuitate MontisRegalis, uel iurisdictione, uelle denunciare de aliquo proprio damno suo, quod diceret sibi fuisse datum in rebus suis, per aliquam, seu aliquas personas, in qua, uel quibus suspicionem haberet, quòd D. Vicarius, seu Iudex dictam denunciam recipere teneatur. Et si talis persona denuncians, probauerit per unum testem, uel duos fide dignos, aut per cõfessionem personæ denunciatæ, quòd dictum dãnum, de quo facta fuisset denunciatio, esset datũ, uel factũ per prædictas personas nominatas, in dicta sua denuncia, aut per bestias suas, illa, seu illæ tales proinde personæ, puniantur, & condemnentur; prout & sicut accusatio facta fuisset, & legitimè probata, dummodo dicta denunciatio facta fuerit, infra quindecim dies, a die qua denuncians sciuerit, uel intellexerit damnum prædictum sibi fore datum, & de hoc teneatur per sacramentum dicere ueritatem, si inde fuerit requisitus. Et elapsis dictis quindecim diebus D. Vicarius, seu Iudex, aut Notarius dictam denunciationem recipere non debeant, & si secus fieret, non ualeat dicta denunciatio, nec ex ea aliqua condemnatio sequi possit. Et si aliquis denunciatus legitimè se defenderit, quòd dictus denuncians, teneatur, & debeat restituere denunciato expensas, arbitrio domini Iudicis moderandas, & nullam aliam pœnam patiatur. Et præsens capitulum, in aliquo non præiudicetur capitulo præcedenti, sub rubrica, quòd accusæ fiant infra octo dies, &c.

De bestijs inuentis in alieno damno. *Caput* VIII.

ITEM statutum est. quòd si aliqua bestia caualllina, mulatina, asinina, uel bouina inuenta fuerit in damno alicuius, scilicet in uineis, ortinis, & planteriis, bladis, & leguminibus in toto anno, incurrat pœnam solidos quinque, pro qualibet bestia, & qualibet uice, & totidem pro emenda, de die: de nocte uero duplum,

plum, & emendã in duplo. Et in alienis pratis, incurrat pœnam solidorum duorum, pro quolibet & qualibet uice, uidelicet a medio mense Martii, usque ad festum sancti Martini, & non in alio tempore, & quælibet bestia lanuta, & caprina, inuenta in alienis pratis, denarios sex, & totidẽ pro emenda. Et pro qualibet bestia porcina, inuenta in alienis pratis, solidos duos, & totidem pro emenda. In uineis, ottinis, planteriis, bladis, uel leguminibus, quælibet bestia porcina, & caprina, incurrat pœnam solidos duos, & pro qualibet bestia lanuta, solidum unum, & totidem pro emenda, usque ad stropũ, & a stropo supra quantacunque sit quantitas, libras duas de die, & de nocte duplum, & totidem pro emenda, & intelligatur stropus, a decem bestiis supra. Eo saluo, quòd si dictæ bestiæ facerent maius damnum, quàm esset bannum, emendetur dictum dãnum tantum, quantum esset, iuxta æstimationem faciendam per æstimatores communis. Et si plures essent socii, qui custodirent plures bestias lanutas ex supra dictis, & starent ad communem præbendã, quòd eo casu non teneãtur soluere, nisi pro uno stropo, exceptis illis, qui se associarent fraudulenter: & dicta banna, & emendæ duplicentur in nocte, & teneatur accusator, nominare custodientem bestias. Et quælibet capra, quæ inuenta fuerit in alienis uineis, ottinis, & plãteriis, soluat bannũ, pro qualibet uice, solidos quatuor. Et si custos non reperiretur tempore factæ condemnationis, uel non haberet, unde solueret bannum, tunc dominus, cuius essent dictæ bestiæ, soluere teneatur dicta banna. Et stropus bestiarum lanutarum, & caprinarum inuentus in pratis, soluat solidos decem, & grex porcorum, solidos uiginti, & intelligatur grex, a quinque supra.

De celantibus nomen. *Caput* IX.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona, inuenta fuerit dare, uel facere aliquod damnum cum bestiis, uel sine, aut dixisse, uel fecisse aliquod delictum, & non uoluerit dicere nomen suum, aut celauerit, uel secretum tenuerit, aut mutauerit nomen suum, incurrat pœnam solidorum uiginti, pro quolibet, & qualibet uice.

De hominibus inuentis in alieno damno, & de sapellis, & de cloendis. *Caput* X.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona reperta fuerit in damno alicuius personæ de ciuitate MontisRegalis, uel

distrıctu

distri&u faciendo damnum cum pedibus, transeundo per possessionem alterius, soluat bannum solidum unum, & totidem pro emenda. Et si cum bestiis faciendo damnum cum pedibus trãseundo, & faciendo uiam nouam per alienam possessionem cum bestiis a basto, seu cum curru, plouo, seu carruta, soluat bannum illa talis persona, solidos quinque. Et si quis sapellaret, seu sapellũ fecerit, disclaudendo alienã clausuram, soluat bannum pro qualibet uice, solidos uiginti. Et si fecerit sapellum, vel explanauerit alienos fossatos, in possessione alicuius, soluat bannum solidos decem. Et si exportauerit alienam sepem, seu clausuram, soluat bannũ solidos uiginti, & totidem pro emenda, in prædictis singula singulis referendo. Et intelligãtur dictæ pœnæ, si fuerit de die: de nocte uero duplicentur. Et si talis persona non posset ire, uel redire per aliam partem commodè, & sine nimia prauitate, & hoc probare posset, tunc non teneatur soluere aliquod bannum, damnum uero emendare teneatur passo.

Quòd quilibet teneatur claudere suos testos. *Caput* XI.

ITEM statutum est, quòd quilibet teneatur claudere suos testos deuersus uias, infra confines signatos, & scriptos, infra. Et quòd aliquis non dimittat aliquod sapellum apertum per suum sedimen, airale, uel hortum, seu aliam possessionem, unde posit fieri damnum, si aliquæ bestiæ intrarent per sapellum alicuius ille qui, deberet claudere, soluat bãnum, & emendam. Et qui ipsos testos non tenuerit clausos, soluat bannum solidos tres, si bestiæ per ipsum sapellum intrare possent, vel alicui damnum dare. Et D. Vicarius, teneatur facere cridari ter in anno, quòd quilibet claudat suos testos, infra octo dies, a tempore cridæ, & inquirere post terminum dictarum cridarum, omnes testos, qui sint infra confines contentos in præsenti capitulo: & si D. Vicarius non faceret fieri dictas cridas, non posit capere bannum. Confines uero sunt isti, deuersus Vicum a terra, quæ fuit domini Iacobi Donzelli, citra, deuersus portam Vaschi, tectum Iacobi Clerici, deuersus Burgatum, a domo Passerii citra, & a ponte Ermenæ de Burgato, ueniendo per uiam Garilorum, ab utraque parte uiæ Garilorum, & a dicta uia citra uersus ciuitatem Montis Regalis, usque ad tectum Iacobi Clerici, deuersus pontem Vici, a tecto, quòd fuit Caciæ, & quem habuit a Doleis, citra deuersus Carassonum, a

ponte Caraffoni citra, deuerfus Lupifanum, a foffato Grammaticorum citra, defuper uiam, deuerfus planum, & deuerfus Riuum album a tecto, ubi erat Trolium, quod fuit Oberti Borrale citra, a tecto Petri Scaragloni fupra, & deuerfus Rencium, a vinea Henrici de la Vagnina, & à uinea Manfredi Veglacii citra. Et eodem modo iftud capitulum uendicet fibi locum per totam ciuitatem, per totam uillam Villanouæ, Rochafortis, & uillarii Vici ueteris. Et quilibet homo bonæ famæ, pofsit contrafacientes accufare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De faciendo decem fulcos per cauezagnam deuerfus confortes. Caput XII.

ITEM ftatutum eft, quòd quilibet bouerius laborans cum bobus, debeat facere decem fulcos per cauezagnam antequam laboraret deuerfus fuum confortem, fi feminatus fuerit campus cõfortis, & blaua nafcerentur, uel effent nata, & qui contrafecerit, foluat pro banno pro qualibet uice folidos quinque, & camparii teneantur ipfos accufare, & ei iuramento credatur, fecundum formam capitulorum de accufationibus cum iuramento. Et idem intelligatur de uineis & pratis, fi fuerint confortes.

De non intrando in alienis vineis feu ottinis. Caput XIII.

ITEM ftatutum eft, quòd aliqua perfona non debeat intrare in alienis vineis, fcilicet a Calendis Maii, ufque ad fanctũ Michaelem, aliqua occafione uel modo, fine licentia illorum quorum funt vineæ feu ottini, & fi inuenta fuerit in eis, foluat pro banno, folidos decem, & totidem pro emenda. Et D. Vicarius pofsit & debeat facere inquifitionem, & ponere fuper his cuftodes ad fuam uoluntatem, & teneatur facere præconizari per ciuitatem infra octo dies, poftquam iurauerit regimen, & eandem pœnam & emendam foluat toto anno, fi caperet de alienis farmentis, uitibus, uuis, mexicis, & aliis fructibus. Et quilibet homo bonæ famæ pofsit accufare contrafacientes, & ei iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De capientibus uuas in alienis vineis feu ottinis. Caput. XIIII.

ITEM ftatutum eft, quòd nulla perfona audeat uel præfumat capere uuas in alienis vineis uel ottinis cum facco, cum finu, cum manica, uel alio vafe a tribus uuis fupra, fub pœna li-

na librarum quinque, pro quolibet & qualibet vice, de die, & totidem pro emenda, & de nocte sub pœna librarum decem: & si non haberet unde soluere, fustigetur, ab uno campanile, usque ad aliud per plateam: & a tribus uuis infra, soluat bannum, solidos decem, pro quolibet & qualibet vice, & quilibet homo bonæ famæ, posit contrafacientes accusare, & ei iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni.

Item additum est, quòd si quis repertus fuerit de nocte cum armis, in alienis uineis, seu ottinis, capiendo uuas, seu causa capiendi, incurrat pœnam librarum uigintiquinque pro quolibet & qualibet uice, & ut supra, quæ pœna applicetur pro duabus partibus curiæ, & pro alia tertia accusatori: Et quilibet homo bonæ famæ, ac etiam camparii possint contrafacientes accusare, & eorum iuramento credatur.

De capientibus alienas bropas uel lignamina. *Caput* XV.

ITEM statutũ est, quòd si aliquis caperet bropas alienorum ottinorum, uel uinearum, aut cesias, uel faceret sapellum prædictis cessiis, soluat bannum solidos uiginti, & totidem pro emenda, pro quolibet & qualibet uice, & quicunque acceperit aliena ligna uiridia, uel sicca, uel bropas in nemoribus, uel campis, si non fuerint amassata in lignario, soluat bannum solidos decem, & totidem pro emenda. Et si ea ceperint postquam fuerint amassata in lignario, soluat pro pœna & banno, solidos uiginti, & totidem pro emenda, pro quolibet & qualibet uice.

Item ad euitandum furta quæ committuntur de palibus & bropis, ordinauerunt, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat leuare, nec amouere, seu extrahere aliquos palos, uel bropas de aliquibus possessionibus, uineis, seu ottinis, nisi solum & per totum mensem Martii, & non alio tempore cuiuslibet anni, sub pœna solidorum uiginti, pro quolibet pallo, & totidem pro emenda, & quælibet persona bonæ famæ, possit contrafacientes accusare, & eis iuramento credatur.

De capientibus alienos fructus uel hortoraglias. *Caput* XVI.

ITEM statutum est, quòd qui ceperit alienos fructus domesticos, rapas, uel hortoraglias ubicunque essent, soluat bannum de die, solidos quinque, & in nocte, solidos decem, & totidem pro emenda. Et idem intelligatur de glande & galla &

la & quocunque alio fructu.

De capientibus alienam paleam uel alienum fœnum.

Caput XVII.

ITEM statutum est, quòd si aliquis caperet alienam paleam uel alienum fœnum in ciuitate MontisRegalis uel posse, de die soluat bannum solidos decem: in nocte uero solidos uiginti, & totidem pro emenda paleæ, & solidos sexaginta, & pro emenda fœni de nocte: & si de die, solidos decem soluat pro emenda Et quicunque ceperit in die cum carro uel carrossa alienum fœnum uel paleam, soluat bannum solidos quadraginta, & in nocte duplum, & totidem pro emenda, & plus, si damnum plus esset. Et si non potuerit soluere bannum, fustigetur ab uno campanille, usque ad aliud per tres cursus: Et quilibet possit accusare, & ei cum iuramento credatur.

Item additum est, quòd si quis caperet, uel repertus fuerit capere de nocte alienum fœnum ad domum, aut ad tectum alicuius, soluat bannum librarum decem, & solidos sexaginta pro emenda, & plus, si damnum plus esset in duplum, in ceteris firmo remanente præfato capitulo.

De capientibus alienam stobiam. *Caput* XVIII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non possit nec debeat capere, uel capi facere alienas stobias, nec portari facere, sub pœna solidorum quinque, & totidem pro emenda pro quolibet & qualibet uice. Et quilibet possit contrafacientes accusare, tam si uiderit dictas stobias in platea, quàm si reperiretur in campis capere dictas stobias, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, & D. Vicarius possit inquirere, & comburi facere dictas stobias.

De capientibus alienas coues. *Caput* XVIIII.

ITEM statutum est, quòd qui ceperit alienas coues super tectis alienis, uel alibi, de die soluat bannum solidos decem, de nocte uero, solidos uiginti, & totidem pro emenda, pro quolibet & qualibet uice. Et quilibet homo bonæ famæ, possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De capientibus alienum sablonum. *Caput* XX.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat, uel præsumat capere, seu capi facere, alienum sablonum, per aliquem amassatum, in aliquo loco, sub pœna solidorum quinque

que, pro quolibet & qualibet uice, & restitutione sabloni. Et si aliquis acciperet sablonū amassatum per aliquem, qui ipsum conducere uellet pro murādo pro communi, incurrat pœnam dupli, & ultra teneatur ducere dictum sablonum, ad locum, in quo murari deberet per commune, absq; eo, quòd aliquid pro portu dicti sabloni habere debeat.

De ochis, & gallinis inuentis in alienis damnis. *Caput* XXI.

ITEM statutum est, quòd omnes ochæ, in alienis damnis inuentæ, soluāt bannū, & emendam, sicut oues inuentæ in alienis damnis, ex forma capituli, & cōsilii dictæ ciuitatis. Et quilibet possit occidere gallinas, & pullos, quos, & quas inuenerit in suo damno, sine pœna. Et si uoluerit retinere gallinam, uel pullum, det illi cuius est denarios sex, pro pullo, & pro gallina, solidum unum. Et si quis occideret alienas ochas, in suis damnis possit retinere, si uoluerit, dando illi, cuius esset, solidum unum pro qualibet ocha.

Quòd berbiarij non teneant eorum bestias, cum bestijs domini sui. *Caput* XXII.

ITEM statutum est, quòd aliquis berbiarius non debeat tenere aliquas suas bestias, cum bestiis domini sui, sub pœna solidorum decem, pro qualibet uice, qua accusatus fuerit præter duas in hieme, & quatuor in æstate, & ultra dictam pœnam amittat bestias. Et de prædictis dominus Vicarius, possit, & debeat ter in anno, quotienscunque uoluerit inquirere contrafacientes, & eos punire, & capere bestias, quascunque inuenerit, ultra numerum prædictum, & dominus bestiarum, seu berbiarii, teneantur inde dicere ueritatem, sub pœna solidorum sexaginta.

De cesiis non faciendis, & de limijs. *Caput* XXIII.

ITEM statutum est, quòd in aliquo loco, de toto fine ciuitatis MontisRegal. extra clausuras dictæ ciuitatis, non fiet per aliquam personā de cetero aliqua cesia, in uineis, uel hortis, uel aliquod plantamentum, seu alleuamentum aliquarum arborum, quæ noceat uineæ, horto, seu canapali alicuius sui consortis, nisi dimitteret de terra sua expedita, deuersus uicinum suum, seu cōsortem, cui noceret, septem pedes, & hoc casu non intelligatur uitis esse arbor. Et quicunque contrafecerit, soluat bānum solidorum sexaginta Asten. Et teneatur eradicare arborem, & cesiam, quam plantasset infra octo dies, postquam ei denunciatum

ciatum fuerit per consortem, sub eadem pœna: & cesiæ, quæ factæ essent, usque modo, inter uicinum, & consortem, & alium per aliquem eorũ, in uineis, uel hortis, qui, uel quæ sunt extra clausuras, quæ uiderentur nocere uineæ, horto, uel canapali consortis, debeãt remoueri, & eradicari per illũ, cuius esset cesia, si eam eradicare uoluerit: si autem eã eradicare noluerit infra octo dies, postquam ei esset denunciatum per cõsortem, cui cesia noceret, ille consors, cui nocebit, posit illam cesiam sine pœna, & banno eradicare suis expensis, si eam eradicare uoluerit, & habeat pro expensis, & labore, id quod eradicauerit, seu inciserit de dicta cesia. Et idem eodem modo intelligatur de sosenis, & de omnibus uniuersaliter arboribus, non portãtibus fructum comestibilem, quæ sunt, uel essent inter dictos consortes uinearum, hortorum, & canapalium. Et istud capitulum habeat locum, tam intus uillam, quàm extra, & etiam de gurris non tenendis, quæ noceant horto, uineæ, uel canapali consortis. Et nulla persona teneat intus, uel extra (exceptis castaneis,) aliquas arbores, seu uites super terram consortis, nec super ea fructus cadentes capere debeat, imò sint illius, super terra cuius caderent, & essent. Et ille consors, sine pœna, & banno, posit incidere indirecto suæ terræ, arbores, & uites sibi nocentes, & fructus earum impune capere. Et idem intelligatur de amarenis, & cerasis intus uillam, & extra. Et si aliquod limen erit inter campos, seu uineas aliquorum superiorum, uel inferiorum, consortes posint illud destruere ad suam uoluntatem, sine pœna, & banno. At si contentio oriretur inter partes, seu consortes, de limiis, dominus Iusdicens dictæ ciuitatis, cum consilio eorum, qui sibi uidebuntur, debeat ire ad uidendum dicta limia, & secundum quòd D. Iusdicens de dictis limiis definierit, obseruetur, & executioni mandetur. Si uero aliquis de Monte, uel posse fuerit vicinus, vel consors alicuius, qui non sit sub seculari iurisdictione dictæ ciuitatis, & qui non posit compelli, ad faciendum rationem sub Vicario, & Iudice dictæ ciuitatis, tunc ille consors, vel vicinus posit, si sibi placuerit, in suo, & super suum cesiam, & clausuras facere, & plãtare sine eo, quòd dimittat septem pedes, ita quòd non incurrat aliquam pœnam, nec teneatur ad obseruationem dicti capituli.

Quòd nemo debeat destruere alienas arbores. Capu XXIIII.

Item

ITEM ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona de ciuitate Montis Reg. & poſſe, poſsit plantare, & alleuare ſuper ſuam poſſeſsionem, tã intus uillã, quàm extra arborem, pirus, nucis, pomorũ, caſtanearum, ruuoris, cerri, & cuiuſcunque generis. Et illæ arbores ſint bãnitæ, taliter quòd qui inciderit, ſcorzauerit, vel ſcaluauerit ipſas arbores, ſoluat bannum, pro qualibet uice, & qualibet arbore, ſolidos decem, & totidem pro emenda, & plus, ſi damnũ plus eſſet, Et hoc intelligatur de arboribus sbrondoratis, xartatis & aptatis, cauſa alleuandi, & de omnibus gurris, ſalicibus, uidex, uernis, & generaliter de omnibus arboribus sbrondoratis.

De non incidendo uel ſcaluando alienas arbores domeſticas,
Caput XXV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd qui inciderit uel ſcaluauerit alienã arborem caſtanearum domeſticam uel partem ipſius, vbicunque fuerit, ſoluat bannum ſolidos decem, pro quolibet & qualibet uice, qua accuſatus fuerit, & totidem pro emenda, & plus ſi damnum plus eſſet. Et ille penes quem inuenta fuerit arbor inciſa, niſi oſtenderit euidenter qui dictam arborem incidiſſet, præſumatur dictam arborem incidiſſe, & ſoluat dictum bãnum. Et qui incideret ad pedem ſeu cauzegnum aliquam arborem caſtanearum, alicuius hominis ſpecialis, ſoluat bannum, ſolidos uiginti, & idem intelligatur de ruuore, quercu, cerro, nuce, pomo, piru, gurris, & ſalicibus domeſticis, portantibus pertich~~as uel fructus ubicun~~que ſint, & de qualibet arbore domeſtica. Et qui incideret de nocte, ſoluat bannum ſolidos centum. Et qui ſcaluauerit aliquam arborem uiridem de contentis in dicto capitulo, ſoluat bannum ſolidos decem. Et qui inciderit aliquam arborem ſiccam ad pedem, ſoluat bannum ſolidos quinque Aſten. & totidem pro emenda ſingula ſingulis referendo.

De non ſcorzando alienam arborem domeſticam. *Caput* XXVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quicunque ſcorzauerit alienam arborem domeſticam, ſcilicet caſtaneam, quercum, certum, pirum, pomum, uel aliquam aliam arborem domeſticam in die, ſoluat bannum ſolidos uiginti, & nocte uerò ſolidos ſexaginta, & totidem pro emenda, & plus ſi damnum eſſet plus.

Item additum eſt ſupraſcripto capitulo, in illa parte dum

dicitur, & si scaluauerit aliquam castaneam, soluat bannum solidorum viginti, quòd qui scorsauerit, uel inciderit ad pedem, & ante fructum portauerit, soluat bannum solidorum sexaginta, quæ pœna distribuatur, ut in capitulo continetur, pro quolibet & qualibet uice, & totidem pro emenda.

Item additum & statutum est, quòd qui inciderit ad pedem seu causegnum, aut scaluauerit uel scorsauerit aliquam ex dictis arboribus castanearum domesticarum, siue saluaticarum, alicuius hominis, aut communibus affictatarum, soluat bannum librarum decem, pro qualibet arbore domestica, & librarum quinque pro qualibet arbore saluatica, & totidem pro emenda de die, de nocte uero duplum.

De non incidendo alienos salices. *Capur* XXVII.

ITEM statutum est, quòd nemo debeat incidere alienos salices, & quicunque inuentus fuerit incidere uel portare ipsos, soluat bannum solidos decem, pro quolibet fasso, & qualibet uice, & pro somata solidos uiginti, & quilibet possit accusare, & habeat quartam partem banni, & etiam camparius teneatur accusare, & etiam soluat totidem pro emenda quantum est bannum, & plus si damnum esset plus.

De Moronibus. *Caput* XXVIII.

ITEM quoniam a paucis annis citra, in ciuitate & posse MontisReg. inuentum fuit genus, & a partibus longinquis per Philippum Bonadam, delata fuit plantatio arborum moronorum albarum, de quarum foliis facilius aluntur uermes facientes setam, quod cedit in magnū lucrum particularium, & totius reipublicæ commodum, & magis atque magis id tendit & procedit in augumentum, & ut de bono in melius procedatur, statuerunt & ordinauerunt, quòd nemo audeat nec præsumat eradicare, seu incidere, aut furari, seu incidi, uel furari facere, aliquas plantas moronorum, tam nigrarum quam albarum, aut earum folias colligere, seu colligi facere, contra uoluntatem dominorum ipsarum arborum, seu colligere contra uoluntatem conductorum foliorum, sub pœna florenorum uigintiquinque de die, & dupli de nocte, toties committenda, quotiens fuerit contrafactum, applicanda pro dimidia fisco, & pro altera dimidia accusanti, seu damnum passo denuncianti, seu querelanti, & ulterius teneatur contrafaciens, seu delinquens ad damnum & interesse damnum passi, & quilibet homo

mo bonæ uocis & famæ, etiam familiares curiæ posſint accuſare, & inquirere, & qui in præmiſſam pœnam incurrerit, & non habuerit unde ſoluat, fuſtigetur a palatio communis, uſque ad capellam ſanctæ Crucis, publicè & in die fori.

De caſtaneis & alijs fructibus cadentibus in fundo conſortis. Caput XXIX.

QVONIAM multæ querelæ ſunt de caſtaneis, & aliis fructibus cadentibus ſuper terra cõſortis, & damnis quæ in eis inferuntur propter caſtaneas & alias arbores, tam propter frondes penicios & ligna cadentia in eis. Super his prouidere uolentes, ad tollendum ipſas querelas: Statuerunt & ordinauerunt, quòd quilibet habens terras aratorias ſeminatas, & prata iuxta aliquas arbores caſtanearum, aut alterius generis arborum, in quibus terris ſeu pratis caderent caſtaneæ, ſeu alii fructus talium arborum: Quòd liceat perſonæ in cuius poſſeſsione pratiua, ſeu ſeminata, caderent caſtaneæ uel alii fructus, ipſos fructus & caſtaneas impunè capere & colligere. Et ſimiliter poſsit ille uel illi cuius eſſent arbores impunè ipſos fructus & caſtaneas colligere ſuper terra conſortis, ſatisfaciendo damnum ſi quod dederit in ſeminato uel prato.

De capris non tenendis infra certos confines. Caput XXX.

ITEM ſtatutum eſt, quòd nemo poſsit uel debeat paſcere capras citra Ellerum, à Burgato uſque ad montem Bugloriæ, & ſicut eſt mons Bugloriæ, ad Rocham fortem per planum, & ſicut ſtat Serra de Seramo, & omnia caſtegneta, uſque ad ſerram Anſerem, ſint bannita capris, & caſtagneta de Blanzora, ſint bãnita capris, ſicut alia caſtagneta citra Ellerum: Deuerſus Caraſſonum, ſint confines capris, a ſancto Ioanne ſicut uadit Riuus Albus uerſus Ellerum, & ſicut eſt pratum Baraglerium, & ſicut eſt Rocha de cagnis, uſque ad Muxiliam uerſus Ellerum, uſque ad pratum Fidelis, & a Riuo albo, uſque ad Rocham Otteriæ, capræ non debeant paſcere. Et qui contra fecerit ſoluat bannum ſolidos quinque pro qualibet. Et ubi dicitur ab aqua Elleris citra, intelligatur eodem modo ab aqua Coſaliæ citra. Et capræ poſsint paſcere a ſerra Mirogla, uſque ad Rocham Ferrariam, & a Rocha Ferraria uſque ad caſtrum Modagnæ, & a caſtro Modagnæ, uſque ad montem Caluetum & a monte Calueto per directum Auoada de Loia ſuperius.

dicitur, & si scaluauerit aliquam castaneam, soluat bannum solidorum uiginti, quòd qui scorsauerit, uel inciderit ad pedem, & ante fructum portauerit, soluat bannum solidorum sexaginta, quæ pœna distribuatur, ut in capitulo continetur, pro quolibet & qualibet uice, & totidem pro emenda.

Item additum & statutum est, quòd qui inciderit ad pedem seu causegnum, aut scaluauerit uel scorsauerit aliquam ex dictis arboribus castanearum domesticarum, siue saluaticarum, alicuius hominis, aut communibus affictatarum, soluat bannum librarum decem, pro qualibet arbore domestica, & librarum quinque pro qualibet arbore saluatica, & totidem pro emenda de die, de nocte uero duplum.

De non incidendo alienos salices. *Caput* XXVII.

ITEM statutum est, quòd nemo debeat incidere alienos salices, & quicunque inuentus fuerit incidere uel portare ipsos, soluat bannum solidos decem, pro quolibet fasso, & qualibet uice, & pro somata solidos uiginti, & quilibet posit accusare, & habeat quartam partem banni, & etiam camparius teneatur accusare, & etiam soluat totidem pro emenda quantum est bannum, & plus si damnum esset plus.

De Moronibus. *Caput* XXVIII.

ITEM quoniam a paucis annis citra, in ciuitate & posse MontisReg. inuentum fuit genus, & a partibus longinquis per Philippum Bonadam, delata fuit plantatio arborum moronorum albarum, de quarum foliis facilius aluntur uermes facientes setam, quod cedit in magnũ lucrum particularium, & totius reipublicæ commodum, & magis atque magis id tendit & procedit in augumentum, & ut de bono in melius procedatur, statuerunt & ordinauerunt, quòd nemo audeat nec præsumat eradicare, seu incidere, aut furari, seu incidi, uel furari facere, aliquas plantas moronorum, tam nigrarum quam albarum, aut earum folias colligere, seu colligi facere, contra uoluntatem dominorum ipsarum arborum, seu colligere contra uoluntatem conductorum foliorum, sub pœna florenorum uigintiquinque de die, & dupli de nocte, toties committenda, quotiens fuerit contrafactum, applicanda pro dimidia fisco, & pro altera dimidia accusanti, seu damnum passo denuncianti, seu querelanti, & ulterius teneatur contrafaciens, seu delinquens ad damnum & interesse damnum pasi, & quilibet homo

mo bonæ uocis & famæ, etiam familiares curiæ posſint accuſare, & inquirere, & qui in præmiſſam pœnam incurrerit, & non habuerit unde ſoluat, fuſtigetur a palatio communis, uſque ad capellam ſanctæ Crucis, publicè & in die fori.

De caſtaneis & alijs fructibus cadentibus in fundo conſortis. *Caput* XXIX.

QVONIAM multæ querelæ ſunt de caſtaneis, & aliis fructibus cadentibus ſuper terra cōſortis, & damnis quæ in eis inferuntur propter caſtaneas & alias arbores, tam propter frondes penicios & ligna cadentia in eis. Super his prouidere uolentes, ad tollendum ipſas querelas: Statuerunt & ordinauerunt, quòd quilibet habens terras aratorias ſeminatas, & prata iuxta aliquas arbores caſtanearum, aut alterius generis arborum, in quibus terris ſeu pratis caderent caſtaneæ, ſeu alii fructus talium arborum: Quòd liceat perſonæ in cuius poſſeſsione pratiua, ſeu ſeminata, caderent caſtaneæ uel alii fructus, ipſos fructus & caſtaneas impunè capere & colligere. Et ſimiliter poſsit ille uel illi cuius eſſent arbores impunè ipſos fructus & caſtaneas colligere ſuper terra conſortis, ſatisfaciendo damnum ſi quod dederit in ſeminato uel prato.

De capris non tenendis infra certos confines. *Caput* XXX.

ITEM ſtatutum eſt, quòd nemo poſsit uel debeat paſcere capras citra Ellerum, à Burgato uſque ad montem Bugloriæ, & ſicut eſt mons Bugloriæ, ad Rochamfortem per planum, & ſicut ſtat Serra de Seramo, & omnia caſtegneta, uſque ad ſerram Anſerem, ſint bannita capris, & caſtagneta de Blanzora, ſint bānita capris, ſicut alia caſtagneta citra Ellerum: De uerſus Caraſſonum, ſint confines capris, a ſancto Ioanne ſicut uadit Riuus Albus uerſus Ellerum, & ſicut eſt pratum Baraglerium, & ſicut eſt Rocha de cagnis, uſque ad Muxiliam uerſus Ellerum, uſque ad pratum Fidelis, & a Riuo albo, uſque ad Rocham Otteriæ, capræ non debeant paſcere. Et qui contra fecerit ſoluat bannum ſolidos quinque pro qualibet. Et ubi dicitur ab aqua Elleris citra, intelligatur eodem modo ab aqua Coſaliæ citra. Et capræ poſsint paſcere a ſerra Mirogla, uſque ad Rocham Ferrariam, & a Rocha Ferraria uſque ad caſtrum Modagnæ, & a caſtro Modagnæ, uſque ad montem Caluetum & a monte Calueto per directum Auoada de Loia ſuperius.

Et quòd omnia castagneta, quæ sunt in finibus dictæ ciuitatis infra dictos confines, sint bannita capris. Et quòd capræ non posint pascare in fine Carassoni,& Lupizani in aliquo loco citra Tanagrum, nec etiam in finibus dictæ ciuitatis, citra Ellerum. Eo addito quòd quodlibet caput domus pro libito uoluntatis suæ, posit tenere unam capram & pascare infra dictos confines, dum tamen ipsam capram teneat ligatam extra domum suam. Et si inuenta fuerit non ligata, soluat bannum solidos quinque, & si faceret damnum alicui, emendetur damnum in duplum damni dati,& quælibet persona bonæ famæ posit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

Quòd custodes caprarum non portent ferrum in nemoribus.
Caput XXXI.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona quæ custodit capras, non posit portare in nemoribus communis bannitis, nec debeat aliquòd ferrum, nisi lanceam, & cultellum paruum, nec debeat incidere aliquod lignum uiride in aliqua parte de ruuore, sapo, castanea, biolla, uel de collera, nec de ligno fagi, sub pœna solidorum decem, pro quâlibet uice, & quilibet homo bonæ famæ, posit contrafacientes accusare, & ei iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, eo saluo, quòd ipsi caprarii posint incidere de ramis saporum a medio arbore inferius. Et si aliqui caprarii inuenti fuerint cum capris sub, vel super aliquibus arboribus incisis, quæ arbores essent bannitæ secundum ordinamenta uel capitula, & illæ arbores essent incisæ recentes, siue uirides, ita quod capræ pascerentur de ramis dictarum arborum, præsumatur quòd dicti caprarii inciderint prædictas arbores, & posint accusari, ac si incidissent dictas arbores, nisi ostenderent & accusarent illos qui dictas arbores incidissent, & de prædictis quilibet posit accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

Quòd montes Carassoni toto anno sint banniti capris extraneorum. *Caput* XXXII.

ITEM statutum est, quòd montes Carassoni toto anno sint banniti omnibus bestiis caprinis personarum extranearum, sicut vadit riuus Oteriæ, flumen Elleris, flumen Tanagri, fossatum Melæ, & mons de Obiano, sub pœna & banno solido-

rum

rum decem pro quolibet ſtropo,& a ſtropo infra pro qualibet beſtia, ſolidum unum,& quilibet poſsit contrafacientes accuſare, & habeat quartam partem banni.

De extraneo non paſcendo in montibus Caraſſoni.
Caput XXXIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliquis extraneus non poſsit nec debeat paſcere aliquas beſtias, nec tenere in montibus Caraſſoni, ſub pœna & banno pro quolibet ſtropo ouium, caprarum, & grege porcorum, ſolidos quinque, & pro qualibet beſtia bouina, & pro qualibet alia beſtia a ſtropo infra ſolidum unum: Eo ſaluo, quòd ſi aliquis laboraret terras in montibus Caraſſoni, poſsit illa die qua laborauerit, paſcere boues, cum quibus laborauerit, ſine eo quod damnum faciat a tertia uſque ad nonam, ſine pœna & banno.

Quòd extranei non poſsint paſcere in fine ciuitatis Montis Regalis. *Caput* XXXIIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona extranea, quæ non ſtet ad locũ, focum, & catenã, & quæ non ſoluat fodrũ, & taleam in dicta ciuitate, uel diſtrictu, non poſsit, nec debeat per ſe, uel per aliquam perſonam paſcere, uel tenere aliquas beſtias, in fine dictæ ciuitatis, uel poſſe poſt medium menſem Martii, uſque ad feſtum ſancti Andreæ aliquo modo, uel tempore, niſi per duos dies, & duas noctes, in qualibet hebdomada, uel niſi tempore nundinarum dictæ ciuitatis, uidelicet per quatuor dies ante feſtum ſanctæ Mariæ, de menſe Septembris, & ipſa die, & per quatuor dies poſt, & ſi contrafactum fuerit, ſoluat cuſtos beſtiarum, ſeu ille cuius eſſent beſtiæ, pro banno, & pœna ſolidos ſexaginta, pro qualibet uice, & eandem pœnam incurrat quælibet perſona, quæ fraudem fecerit in præmiſsis, & quælibet perſona bonæ famæ, de præmiſsis poſsit contrafacientes accuſare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et idem intelligatur de non alpando, & niſi ipſas beſtias ducerent ad uendendum in præſenti ciuitate. Et quòd aliqua perſona non poſsit, nec debeat aſſociare, nec penes ſe fraudulenter tenere beſtias extraneas cum ſuis, ſub pœna ſolidorum ſexaginta, pro quolibet & qualibet uice, & quælibet perſona, tam familia domini Vicarii, & Iudicis, quàm alia bonæ famæ de prædictis poſsit accuſare, & habeat medietatem banni. Et poſsit quælibet perſona de dicta ciuitate, & diſtrictu, di-

ctas bestias capere, & ipsas præsentare curiæ dictæ ciuitatis impunè. Et de contentis in præsenti capitulo, non posit dari licentia, nisi per consilium.

Item additum est, quòd nulla persona extranea, audeat, uel præsumat ducere, uel duci facere aliquas bestias, cuiusuis generis, in & super finibus dictæ ciuitatis, posse, ac uillarum eiusdem, saluis pactis ipsarum uillarum, & cuiuslibet earum causa pascendi, sub pœna solidorum uiginti, pro qualibet bestia lanuta, caprina, & porcina, & pro qualibet bestia bouina, cauallina, mulatina, & asinina, librarum decem, eo saluo, quòd in suis propriis possessionibus registratis in registris præsentis ciuitatis, posint impune ipsas bestias pascere, quæ pœna applicetur pro medietate curiæ, pro quarta parte emptori gabellæ bestiarum, pro alia quarta parte accusatori, & quælibet persona bonæ famæ, posit contrafacientes accusare, & bestias capere, & ad præsentem ciuitatem cõducere, & præsentare infra unum diem, a die captionis.

Quòd extraneus non soluens fodrum in ciuitate Montis Regalis, non posit incidere ligna uiridia. Caput. XXXV.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona extranea, quæ non fuerit in registro ciuitatis MõtisReg. in solidis centum, & quæ inuenta fuerit incidere in fine Carassoni, citra Tanagrum, aliquod lignum uiride, soluat bannum, pro qualibet uice, in die solidos uiginti, & in nocte solidos sexaginta, & quælibet persona bonæ famæ, posit eam accusare, & ei cũ iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, & posit dictam personam pignorare consignando dicta pignora, coram domino Clauario, uel Vicario, aut Iudice.

Quòd masnenghi ecclesiarum, & presbyterorum teneantur pro bannis. Caput XXXVI.

ITEM statutum est, quòd ecclesiæ, seu ministri ecclesiarum compellantur per eum, qui habet ius compellendi eos, partem soluere sibi contingentem, in conditionibus communibus, in quibus soluere tenẽtur de iure. Et si bestiæ, uel masnenghi presbyterorum, uel ecclesiarum, seu ministri prædicti, uel religiosæ personæ, dederint aliquod damnum alicui, emendam faciant dari de damno illi, cui damnum factum fuisset. Et masnenghi bouerii, seu berbierii, qui fecerint prædicta damna, seu custodiuerint dictas bestias, facientes damnum, soluant banna,

secundum

secundum quod facerent alii homines ciuitatis MōtisRegalis, qui damnum facerent, & pro personis, & pro bestiis, quas custodirent.

De accusationibus Rochabaudorum, fiendis in ciuitate Montis Regalis. *Caput* XXXVII.

ITEM statutum est, quòd illi de Rochabaudorum, faciant, & facere debeant, accusationes hominum ciuitatis MontisReg. damnum dantium in finibus Rochæ, coram D. Vicario, uel Iudice dictæ ciuitatis. Et quòd non possint capere aliqua pignora a damnum dantibus in dicto posse, imò potius accusas facere, ut dictum est, sub pœna solidorum decem, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice. Et D. Vicarius, seu Iudex, teneatur facere reddi pignus illis, a quibus captum fuisset incontinenti sine pecunia. Et intelligantur esse de ciuitate MontisRegalis, homines villariorum dictæ ciuitatis, & ibi habitantium.

In quibus casibus habeant locum capitula loquentia, de damnis datis. *Caput* XXXVIII.

ITEM statutum est, quòd omnia suprascripta, & infrascripta capitula, & ordinamenta ciuitatis MontisRegal. loquentia, de damnis datis, seu quæ ponunt pœnam, & bannum pro damnis datis, locum habeant solummodo in damno illorum, qui soluunt fodrum, & taleam in dicta ciuitate, & in aliis non, præter quàm in propriis bonis ecclesiarum.

De emendis fieri faciendis. *Caput* XXXIX.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius, teneatur facere solui omnes emendas tantum, quantum fuerit bannum, & plus, si damnum esset plus incontinenti soluto banno, seu facta confirmatione per iudicem maiorem, seu cognitorem, si inde fuerit requisitus ab illo, cui datum, uel factum fuisset damnum cum persona, uel bestiis, & hoc sine omni placito, & dilatione. Et istud capitulum habeat locum, & obseruetur & ualeat, tam de præterito, quàm de futuro. Et quòd super emendis quas debent habere camparii, eligatur per consilium unus homo de dicta ciuitate, qui iuret in consilio dictas emendas excutere, & exigere bona fide, & de eis rationem reddere campariis, & habeat pro labore, secundum quod fuerit ordinatum per consilium. Et quòd omni anno facta electione campariorum finis, D. Vicarius teneatur infra octo dies facere eligi in consilio dictum Collectorem, per eos quos uoluerit consilium, qui electus iuret di-

ctum officium exercere per totum annum, salua tamen super mutatione ipsius uoluntate consilii, per alium uero non possine exigi emendæ prædictæ, nisi per ipsos cāparios personaliter, & eius salarium ordinatum per consilium, soluatur de emendis prædictis, ita quòd commune nihil soluere teneatur.

De bannis excedentibus ualorem rei. *Caput* XL.

ITEM, quia sæpe contingit banna esse excessura ualorem rei, seu fundi, in qua, seu quo est arbor, seu fructus, de quo facta est accusa, vel denuncia, & de quibus sunt multæ querimoniæ, & sit in præiudicium Reipub. præsentis ciuitatis, & singularium personarum eiusdem, ideo statutum & ordinatum est, quòd banna damnorum, ruuorum, uernarum, collerarum, salicum, gorrarum, & gorrassorum, non portantiū fructus commestibiles, & similium arborum, nō possint excedere ualorem dictarum rerum, uel fundi, in quo reperiatur tale damnum fore factum, & per æstimatores communis præsentis ciuitatis, debeat tale damnum æstimari, si de eo fuerit controuersia.

De non concedenda per aliquos licentia, pasculandi contra formam capitulorum, & bannimentorum. *Caput* XLI.

ITEM statutum est, quòd dominus Gubernator, seu Vicarius, & Iudex, seu Clauarius, non possint licentiam impartiri alicui, ut uadat cum bestiis in stobiis, seu castagnetis, & aliis prædiis, contra formā statutorum, & bannimentorum Montis Regal. factorum, & fiendorum, sub pœna periurii, & librarum decem, & nihilominus delinquentes, teneantur ad pœnam in dictis capitulis, & ordinamentis stabilitam, tali licentia concessa, non obstante, & ulterius concedentes, teneantur ad restitutionem dupli pluris, totius eius, quòd uirtute dictæ licentiæ habitum, uel passum fuerit, & de eis possint syndicari.

Quòd impune possit quis offendi super communibus iniustè occupatis ab aliquo. XLII.

ITEM statutum est, quòd si aliquis inuentus fuerit tenere aliquid commune, quod non sit adebitatum, & aliquis sibi damnum daret cum bestiis, uel sine, quòd non teneatur prædicta de causa aliquod bannum, uel emendam soluere, si probaretur illud esse communis ciuitatis MontisRegalis.

De impune boscando, in bosco Moretij. *Caput* XLIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de ciuitate MontisRegalis, districtus, & posse, possit, & valeat libere, & impune bos-

ne boſcare, & lignamina incidere in nemore Morocii, ac etiam paſcere, & paſcare eorum beſtias, in fine, & poſſe Morocii, dum modo dictæ beſtiæ non reddant damnum in rebus campeſtribus ſingularium perſonarum.

Finis Quartæ Collationis.

QVINTA COLLATIO

De Campariis & de Bealeriis ac Ripatibus Fluminum.

QVOD CAMPARII DEBEANT *ſuperſtare, exercendo officium ſuum, a Solis ortu, uſque ad occaſum.*

Caput Primum.

PRIMO ſtatutum eſt, quòd camparii finis Vici, Caraſſoni, Lupizani, vallis Vaſchi, Breduli, & aliorum finium & campariarum præſentis ciuitatis & poſſe, separantur & debeant cuſtodire bona fide & ſine fraude, omnes poſſeſsiones terceriorum Vici, Caraſſoni, & Vallis, hinc ad eorum terminum, & in eos fines eorum campariarum, ire, & ſuperſtare in ſua camparia, exercendo ſuum officium, cuſtodiendo dictam campariam finium, & bona forenſia, a ſolis ortu uſque ad occaſum, ſub pœna & banno pro quolibet & qualibet vice, ſolidorum quinque Aſten. quà ſtaret in dicta ciuitate, uel in aliquo uillario ſeu uilla, hora prohibita, niſi haberet iuſtam cauſam. Et omnes prædicti camparii ſint & ſtent in dicto officio uſque ad dictum terminum, ſine fraude, ad emendanda damna, ſecundum infraſcripta capitula, & quilibet homo bonæ famæ poſsit cum eius iuramento accuſare dictos camparios contrafacientes inuentos, contra formam præſentium capitulorum, & habeat medietatem banni.

Qualiter

Qualiter debeant restitutiones damnorum, & uastorum fieri.
*Capu*t II.

ITEM statutum est, quòd dicti camparii teneantur & debeāt emēdare dāna data in dictis finibus, & eorū cāpariis, exceptis fœnis, quæ essent in riuagiis post festū S. Michaelis, & exceptis damnis furtiuè & clādestinè datis, & exceptis dānis datis per incendiū, dequibus nō teneātur emendare. Et restitutiones uastorū & dānorum, debeat D. Vicarius seu Iudex facere restitui à cāpariis postquam fuerint scriptæ in libro cōmunis, infra octo dies post requisitionem factā per illum qui fecerit scribi emendam, seu per eius procuratorem, nulla exceptione, uel compensatione facta uel admittenda. Et quòd D. Vicarius uel Iudex, posśint imponere dictis campariis, seu illis qui dare deberent dictas emendas, pœnam dupli, & illud facere teneantur dicti camparii antequā ab aliquibus accusatis de prædictis posśint conueniri, seu exigi ab eisdem. Et quilibet qui damnum sustineret, & quilibet de familia ipsius damnificati, dummodo sit de bona fama, a quatuordecim annis supra, posśit denunciare, & se scribi facere emendam, & ei credatur de damno sibi dato usque in solidis decem uel infra, cum iuramento, dummodo denunciauerit cum iuramento, quòd damnum de quo faciet denunciationem, non fecit, nec fieri fecit per se ipsum, uel per aliquem de sua familia. Et a solidis decem supra, teneantur dicti camparii emendare secundum quod æstimata fuerint per æstimatores communis, infra terminum superius denotatum, uidelicet pro medietate dicti æstimi, & de alia medietate expectetur usque ad tempus mesśium proximè sequentium: & tunc temporis prædicti æstimatores, si uenirent uel alii æstimatores, qui tunc temporis erunt, debeant super dicto æstimo prouidere: & si inuenirent quòd dictam medietatem posśent diminuere in toto seu in parte, quòd eorum dicto seu æstimationi stetur, & hoc intelligatur de bladis, leguminibus, & seminatis, & intelligatur etiam si dictum æstimum ascenderet ultra unum modium bladi uel leguminū, expensarū cuius æstimi soluant camparii medietatem, & illi qui peterent eundem, aliam medietatem. Et teneantur ipsi camparii emendare omnia damna, messes, fenum, canabum, linum, legumina, airatia hortalia, fructus, ligna, & in clausuris omnia alia damna data, sita in finibus dictæ ciuitatis, extra ciuitatem, quousque reducta

fuerint

fuerint ad airas, seu tecta, & in clausuris siue loca, ubi debuerint restringi, & amassari, dummodo ipsa damna sint alicuius personæ dictæ ciuitatis, uel posse, uel ibi habitantis ad focum, & catenam, & ibi soluerit fodrum, & taleam, & aliter non. Eo saluo, quòd dicti camparii non teneantur emendare aliquod damnum, de quo accusarent, seu accusationes facerent. Saluo, quòd si accusati se defenderent, quòd eo casu camparii teneantur ad emendas, ut supra. Et si non se defenderent dicti accusati, D. Vicarius, uel Iudex teneantur facere dare emendam infra terminum octo dierum damno passo, sine aliqua exceptione. Et quilibet possit cũ iuramento denunciare, & sibi facere scribi emendas in libro communis, infra quindecim dies, postquam damnum, seu guastum fuisset datum ei in aliquibus rebus. Excepto quòd in castagnetis, & aliis nemoribus, seu ruuoribus, casnis, cerris, salicibus, gurris, planteriis, & aliis nemoribus, de quibus possit quilibet denunciare, & se facere scribi emendam, infra quatuor menses, postquam uastum, seu damnũ eis esset datum, vel factum. Et si quis committeret fraudem in suo iuramento, ita quòd dãnum, quod iuraret sibi datum ualeret minus, quàm iuraret, soluat bãnum solidos decem, & restituat duplum campariis, & si placuerit campario, & uoluerit dicere dictum damnum non ualere, secundum quod iuratum esset, D. Vicarius, seu Iudex, teneantur mittere æstimatores ad æstimandum dictum damnum ad expensas campariorum: & secundum quod æstimabunt, ualeat dicta æstimatio, dummodo forma præsentium capitulorum loquentium de ipsa materia, fuerit obseruata.

De denunciatione facienda per illos, quibus esset damnum datum. *Caput* III.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona, cui damnum datum esset, quod emendari deberet per dictos camparios, debeat suam denunciationem facere de dicto damno, coram domino Vicario, seu Iudice, uel notario curiæ, in præsentia alicuius camparii suorum terceriorum, uidelicet in quo fine datum fuerit dictum damnum, seu facere notum eis, uel alicui ipsorum campariorum dicti finis per decanum curiæ, infrà tertiam diem, uel quartam, post ipsam denunciationem: & teneatur illa persona ponere in denunciatione prædicta, diem & horam, in quibus faceret ipsam denunciationem, & locum, in quo

esset

esset damnum datum uel factum, alioquin non ualeat dicta denuntiatio, nec aliqua emenda exigi posit.

De damnis æstimatis emendandis per facientes simile damnum. Caput IIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona inuenta fuerit dare uel facere simile damnum, illi damno, de quo damno facta fuerit denunciatio contra camparios, in finibus campariæ dicti camparii, teneatur restituere campariis infra octo dies post condemnationem de ipso factam, quantum camparii dedissent, uel dare deberent denuncianti. Et ille teneatur emendare campariis, qui primo inuentus fuerit damnum uel guastum facere per se, uel eius bestias in ipsa camparia, post denunciationem factam seu scriptam. Et si camparii inuenirent plures personas seu bestias, uno momento uel una & eadem hora, facientes simile damnum, uel bestias plurium personarum, quod quilibet teneatur emendare pro rata. Et aliquis camparius non posit dare seu imponere alienam emendam, seu restitutionem emendæ alicui, qui non fecisset damnum, seu guastum, seu dedisset in sua camparia, seu finibus. Et camparii non posint petere seu imponere aliquam emendam, alicui personæ, de aliquo damno seu guasto, nisi pro una accusa seu denunciatione, seu pro una uice. Eo saluo quòd si primus accusatus haberet iustam defensionem, nihilominus camparii habeant regressum, & posint petere & executare emendas secundo accusato. Et si secundus se defenderet, petant tertio, & ita gradatim, quousque eis esset satisfactum, secundum formam capitulorum.

De damnis per bestias datis emendandis secundum quod bestiæ sunt. Caput V.

ITEM statutum est, quòd damna data per porcos, emendari debeant per bestias porcinas, & damna data per bestias caprinas & lanutas, emendari debeant per bestias caprinas & lanutas: & damna data per bestias asininas, bouinas, & caualinas, emendari debeant per bestias asininas, bouinas, & caualinas. Eo saluo, quòd si dominus, seu domini, aliquarũ bestiarũ quæ deberent restituere aliquas expensas & emendas cãpariis, cõtra denuncias, quæ emendæ ascenderent ad tãtam quantitatem, quod dominus, seu domini dictarum bestiarum, potius eligerent, & uellent dare bestias campariis, de quibus dicta re-

stitutio

ſtitutio fieri deberet, quòd ipſi domini, ultra dictas beſtias, compelli non poſsint ad reſtitutionem prædictam, tamen camparii habeant regreſſum contra alias beſtias, ſimiles ſequenter inuentas in ſimili caſu, uel ſimili damno, uſque ad ſupplementum reſtitutionis emendæ prædictæ, ultra ualorem dictarum beſtiarum eis datarum, per dominos ipſarum ut ſupra, Et quòd quilibet denuncians teneatur & debeat in eius denunciatione ponere genus beſtiarum, quæ feciſſent dictum damnum.

De arboribus emendandis per camparios. *Caput* VI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd camparii tercerii Vici, teneantur emendare omnes arbores inciſas, uel ſchaluatas, ſcoarſatas, & ſbrōdatas, cauſa alleuandi in finibus & poſſe ciuitatis MontisRegalis, quam emendam, facere teneantur & debeant dicti camparii ſecundum quod æſtimatæ fuerint per æſtimatores. Et dictam reſtitutionem teneantur facere fieri D. Vicarius, uel Iudex damnificatis, infra unum menſem poſt denunciationem factam per illum qui petierit dictum damnum. Et eodem modo teneantur emendare camparii finis uallis Vaſchi, Breduli, Caraſſoni, Lupizani, Villenouæ, Rochefortis & Monaſterii Vaſchi.

De defenſione danda & facienda ſuper emendis. *Caput* VII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona denunciata uel accuſata per dictos camparios, uoluerit dicere ſe fore iniuſtè accuſatam, poſsit ſe defendere, & ſuam defenſionem facere infra quindecim dies continuos, a die datæ defenſionis, quæ defenſio intelligatur quantum ad emendas faciendas prædictis campariis. Et a dicto termino in antea quindecim dierum ſupra, non ualeat in aliquo dicta defenſio, quantum ad emendam ſeu emendas prædictas faciendas. Et tranſactis dictis quindecim diebus, ſi iuſtam non fecerit defenſionem, teneatur dictam emendam incontinenti campariis de damnis per ipſos factis, denunciatis, & accuſatis.

Quòd campary non debeant ire in alpibus pro caſeis habendis. *Caput* VIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliquis camparius non poſsit nec debeat ire ad alpes cauſa habendi caſeos a barbiariis, ſub pœna & banno pro quolibet & qualibet uice, qua contrafactum fuerit, ſolidorum ſexaginta Aſten. Et eandem pœnam

X incurrat

incurrat qui dictos caseos daret campariis, & quilibet homo bonæ famæ, possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat medietatem banni: & super prædictis D. Vicarius & Iudex, possint & teneantur inquirere & inquisitionem facere.

Quòd unus camparius possit accusare de camparia alterius.

Caput. IX.

ITEM statutum est, quòd omnes camparii teneantur accusare omnes personas quas uiderint facientes damnnm aliquod alicui personæ, tam de alienis campariis, quam de suis propriis, sub pœna solidorum decem, pro qualibet uice qua contra fecerint: Et ille camparius qui accusauerit aliquem extraneum, siue de alieno tercerio, habeat medietatem emendæ accusationum quas faceret.

De non committendo fraudem in imponendo emendas.

Caput X.

ITEM statutum est, quòd si aliquis camparius commiserit fraudem in ponendo restitutionem emendæ, & eam imposuerit, nisi ei cui debuerit, seu quem primo inuenerit facere simile damnum, amittat solidos uiginti Asten. & remoueatur ab officio, & quòd emendæ sequentes restituantur a sequentibus accusatis per ordinem, & scribatur dies denunciationis & hora emendæ, & quòd nulla persona accusata per camparios propter quæ scripta fuerit emenda, camparii possint opponere exceptionem quo minus camparii eam restituere teneantur, infra terminum superius constitutum.

Quòd pater, filij, & fratres camparij possint accusare.

Caput XI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis camparius habuerit patrem, filios, uel fratres secum stantes in una domo, ad focum & catenam, quòd quilibet ipsorum, si fuerit homo bonæ famæ, possit accusare, & ei cum iuramento credatur, & quod contra omnes damnum facientes, qualibet persona possit facere in omnibus, & per omnia accusationes, & denunciationes, tanquam si esset uerus camparius, secundum formam capitulorũ, & ordinamentorũ, suprascriptorum, & quilibet maior quatuordecim annorum, & filius familias intelligatur esse sufficiens denunciator, & accusator, quamuis minor uigintiquinque annorum, dummodo sit homo bonæ famæ.

De

De non exigendo solutionem campariæ, ante exitum sui officij. *Caput* XII.

ITEM statutum est, quòd camparii, & aliquis ipsorum, non possint petere, uel exigere solutionem suæ campariæ ante exitum sui officii, sub pœna, & banno solidorum quinque, pro quolibet eorum, & qualibet uice. Et post exitum, seu depositum officium suum, quilibet teneatur eis soluere campariam, postquam requisitus fuerit per aliquem campariorum, sub pœna dupli. Eo saluo, quòd ab extraneis possint petere, & exigere solutionem, secundum quod hinc retro capere consueuerunt. Et extranei intelligantur hoc casu illi, qui non sunt de tercerio suæ campariæ.

Quod camparij habeant regressum post exitum sui officij ad primum accusatum, per camparium subsequentem.

Caput XIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua accusa, seu denunciatio facta fuerit contra cāparios, seu aliquem ipsorum per unum mensem, seu infra unum mensem, antequam dicti camparii exiuerint de eorum officio, pro qua dicti camparii tenerentur ad aliquam emendam faciendam, & ipsi, tempore suæ campariæ non inuenirent aliquem facientem simile damnum, a quo possent excutere, uel petere illam emendā, quòd ipsi camparii habeant regressum ad primum accusatum de simili damno, per camparios sui tercerii eos subsequentes.

Quòd camparij non possint lignamare in alienis boschis, nec alicui iuuare. *Caput* XIIII.

ITEM statutum est, quòd prædicti camparii, seu aliquis eorum, non debeat, uel possit iuuare alicui personæ, pro aliquo salario, uel sine, nec etiam lignamare, seu facere aliquod lignamen in alienis boschis, & si contrafecerit, incurrat pœnam solidorum uiginti, pro quolibet & qualibet uice, qua contrafecerit, & quilibet homo bonæ famæ, possit contrafacientes accusare, & habeat medietatem banni, & ei cū iuramento credatur.

De accusis uinearum. *Caput* XV.

ITEM statutum est, quòd dicti camparii toto tempore sui officii, teneantur accusare omnes personas, & bestias, quas uiderint, uel inuenerint facere damnum in alienis uineis, excepto illo tempore, quo camparii uinearum eas custodire debent dum uuæ sunt in eis.

De salario campariorum. *Caput* XVI.

ITEM statutum est, quòd non obstantibus prædictis capitulis dicti camparii habeãt salarium, quod eis taxabunt eorum uillæ consiliarii sui tercerii.

Quòd accusæ ualeant. *Caput* XVII.

ITEM statutum est, quòd omnes accusæ olim factæ per præsentes camparios, ualeant & teneant, ac si fierent ab hodie in antea, & tempore retroacto aliquo capitulo non obstante.

Quòd capitula campariorum habeant roboris firmitatem. *Caput* XVIII.

ITEM statutum est, quòd omnia suprascripta, & infrascripta capitula, & statuta durent, & uim & robur habeant perpetuò, quousque per consilium præsentis ciuitatis fuerint reuocata, aliquo capitulo non obstante.

Quòd campary uinearum, teneantur emendare damna data in uineis. *Caput* XIX.

ITEM statutum est, quòd camparii uinearum, qui fuerint in tempore præterito, & qui erunt in futurum, teneantur, & debeant emendare omnia dãna data in fructibus uinearum, planteriorum, & ottinorum: & in uineis, planteriis, & ottinis, quos positi essent ad custodiendum, prout tenentur camparii finium de aliis damnis datis, in finibus Montis Regalis, & quòd quilibet possit denunciare, & sibi scribi facere emendam, usq; in solidis decem Asten. cum iuramento suo, ut supra continetur in suprascriptis capitulis, de aliis damnis, siue quòd teneantur mittere æstimatores, & quòd a solidis decem supra, teneantur emendare, secundum quod dicta æstimatio facta fuerit per æstimatores communis dictæ ciuitatis.

Quòd campary teneantur ad emendas, in quibus fuerint condemnati. *Caput* XX.

ITEM statutum est, quòd omnes, & singuli camparii prædicti, tam præsentes, quàm futuri, teneantur ad emendas, in quibus condemnati sunt, uel fuerint, dandas, & soluendas illis quibus condemnati fuerint, aliquo capitulo facto, uel fiendo in contrarium, non obstante, sicut tenerentur de aliis condemnationibus, uel instrumentis, & possint dictæ emendæ exigi cum effectu: & eodem modo intelligatur de dãnis datis temporibus eorum officii, licet nondum condemnati fuissent, & emendare teneantur, ut supra. Et idem intelligatur de campa-

riis uinearum, & nullum tempus currat iis, qui emendas habere debebant. Et prædicti camparii possint petere restitutiones sibi fieri de emendis, quas soluerint ab aliis, qui per formam capitulorum, & ordinamentorum restituere tenerentur præscriptione temporis, capitulorum, uel ordinamentorum, quibus contrarium caueretur in aliquo, non obstante. Et quòd Notarii maleficiorum, antequam camparii iurent eorum officium, teneantur eis legere præsens capitulum.

Quòd campary faciant accusationes suas, & non faciendo fraudem in eorum officio. *Caput* XXI.

ITEM statutum est, quòd si aliquis camparius committeret fraudem in officio suo, soluat bannum solidos sexaginta, & remoueatur ab officio perpetuò, ita quòd non possit habere ulterius officium campariæ. Et camparius teneatur facere accusas campariorum notario curiæ, omni die Veneris, & non ultra. Et si cãparius reciperet aliquod seruitium ab aliqua persona, ut cessaret facere accusam de eo, uel eam faceret aliter, quàm deberet, incurrat pœnam prædictam. Et omnes personæ, quæ dedissent seruitium campario, possint dictum camparium accusare, & eis credatur eorũ iuramento, cum uno teste, dummodo fuerint homines bonæ famæ. Et ille, qui dedisset seruitium campario, ne accusaret nullam pœnam, possit incurrere, uel portare pro accusa quam fecisset de campario, qui seruitium recepisset, imò debeat habere tertiam partem bãni, quod solueret camparius. ~~Et quilibet camparius,~~ teneatur stare omni die ad suum officium, a mane usque in sero, ita quòd non reuertatur ad ciuitatem, uel uillas, excepta die Veneris, qua ueniat, & uenire debeat, & possit ad accusationes faciendas. Et accusationibus factis ad suum officium reuertatur, nisi iustã causam haberet ægritudinis, uel citationis factæ de eo coram curia, uel propter cridamforam, uel aliam euidentem causam, & probabilem; & camparius, qui contrafecerit, soluat bannum, pro qualibet uice, qua uideretur in ciuitate, uel uillis, in quibus esset camparius, & esset accusatus, solidos quinque.

De bealeriys & ripatibus fluminum. *Caput* XXII.

PRIMO statutum est, quòd fiant duæ bealeriæ nouæ ultra Ellerum, prima de introitu ubi fit preisa usque ad fontem Ameti, & sit lata duobus trabuchis inter fundum & terratam, quæ a uia Breorascha inferius diuidatur per tres partes.

Et prima pars vadat, seu labi debeat uersus pratum de Arbris, usque ad Branzoriam. Secunda pars uadat secus possessiones de Dutis, uidelicet Petri & Iacobi, transuersando Turnas usque ad fontem Falchi, & a dicto ponteto usque ad Vernetum sequendo dictum Vernetum usque ad uiam planè, sequendo dictam uiam, usque ad prædictum pontem Ameti. Tertia pars uadat per terras Valonorum, usque ad uiam Marencham, & usque ad Cassanium, tantum quantum ire poterit per Cassanium, secundum quod sapientes ordinauerint.

Secunda bealleria. *Caput* XXIII.

ALIA incipiat ad molendinum Villenouæ, transuersando per prata & terras, usque ad uiam Villenouæ, & sit lata trabuchum unum cum dimidio, inter fundum & terratum, secundũ quod ordinatũ & diuisum fuerit per massarios.

Qui voluerit habere partem in eis, se scribi faciat. *Caput* XXIIII.

ITEM statutum est, quòd quilibet qui voluerit habere partem in dicta bealeria, faciat se scribi per notarios terceriorum ad hoc deputatos, infra quindecim dies, postquam fuerit præconizatum, alioquin a dicto termino in antea non audiatur.

Quòd eligantur tres campary bealeriarum. *Caput* XXV.

ITEM statutum est, quòd in dictis bealeriis sint tres camparii, uidelicet unus pro quolibet tercerio, qui camparii seu Bearii habeant plenũ posse faciendi & ordinandi aquam prædictam, & dare cuilibet partem suam, prout fuerit ordinatum, per quatuordecim sapientes qui habeant plus facere in dictis bealeriis, sub uinculo eorum iuramenti, qui camparii seu bealerii, eligantur de anno in annum, per quatuordecim de illis qui haberent plus facere in dictis bealeriis, uidelicet, septem pro qualibet ipsarum bealeriarum.

De non proijciendo aliquid quod impediat bealeriis. *Caput* XXVI.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat uel presumat proijcere in dicta bealeria, seu bealeriis, aliquos lapides, fraschas, uel aliud quod impediat dictam bealeriam, seu bealerias, sub pœna pro quolibet & qualibet uice solidorum uiginti Asten. & totidem pro emenda, & nihilominus teneatur auferre illud impedimentum quod proiecerit in dicta bealeria, seu bealeriis, suis expensis.

Quòd

Quòd quilibet teneatur defendere suum ripagium, & ghigetos, ixtua suam possessionem. *Caput* XXVII.

ITEM statutum est, quòd quilibet teneatur defendere, iuxta possessionem suam, ripagium & aqueirolios, seu gighetos, ita quòd dicta aqua non uadat, seu discurrat in possessionem suam, sub pœna solidorũ uiginti, & totidem pro emenda. Hoc saluo, & reseruato, quòd si tempore pluuiæ, uel alio tempore ueniret tãta importunitas, uel abundãtia aquæ, quòd ipsa aqua exiret uiolenter de dicta bealeria, seu bealeriis, & intraret possessionem, seu possessiones, ad dictas pœnas minime teneantur.

Quòd quilibet faciat suum ghigetum. *Caput* XXVIII.

ITEM statutum est, quòd quilibet faciat suum ghigetum, qui habuerit partem in dicta bealeria, seu bealeriis, ad tempus sibi stabilitum per Sapientes prædictos, sub pœna solidorum uiginti, & totidem pro emenda, & nihilominus non audeat, uel præsumat capere, seu capi facere de dicta aqua, donec fecerit, seu fieri fecerit dictum suum ghigetum.

Quòd nemo audeat frangere aliquam bealeriam. *Caput* XXIX.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat, uel præsumat frangere, seu frangi facere dictam bealeriam, seu bealerias, in toto, uel in parte, sub pœna librarum decem, & totidem pro emenda.

Quòd nemo audeat frangere aliquod ghigetum. *Caput* XXX.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat, uel præsumat frangere, seu frangi facere, aliquod ghigetum, seu begetum, in toto, uel in parte, sub pœna solidorum uiginti, & totidem pro emenda.

Quòd nemo audeat frangere aliquam clusam bealeriarum. *Caput* XXXI.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non audeat, uel præsumat frangere, seu frangi facere præisam, seu clusam primæ bealeriæ, sub pœna librarum decem Asten. & totidem pro emenda, pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus teneatur aptare dictam præisam suis propriis expensis, infra tertiam diem, postquam ei denunciatum fuerit, & dicta emenda conuertatur in reparationem dictæ bealeriæ.

De non tenendo aliquod molendinum, uel asium in dictis bealerijs.
Caput XXXII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat, uel præsumat facere, uel tenere in dicta bealeria, seu bealeriis aliquod molendinum, seu tornaglium, uel aliquod aliud asium, sub pœna librarum decem Asten. pro quolibet, & qualibet uice, & totidem pro emenda, & nihilominus ille, cuius esset dictum asium, teneatur auferre, seu auferri facere dictum asium, infra tertiam diem post denunciationem sibi factam, sub eadem pœna; & etiam quilibet posit dicta asia rumpere, & diruere sine pœna, & banno, & nihilominus D. Vicarius, Iudex, seu miles, uel alter officialis ciuitatis MontisRegalis, teneantur eorum posse, & sub uinculo eorum sacramenti dicta asia auferri facere, ita quòd ibi non sint aliqua.

Quòd quilibet teneatur soluere id, quòd sibi impositum fuerit.
Caput XXXIII.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona habens de dicta aqua, teneatur, & debeat soluere id, quod sibi impositum fuerit per Syndicos, & massarios suprascriptos, uel per illos, qui deputati fuerint, uidelicet per illos, qui plus habent facere, in dicta bealeria, seu bealeriis, aut quod impositum esset per Sapientes infrascriptos, sub pœna quarti, & nihilominus teneantur soluere taleam sibi impositam.

De non capiendo aquam bealeriarum. *Caput XXXIIII.*

ITEM statutum est, quòd nulla persona, undecunq. sit, cuius conditionis existat, audeat, uel præsumat capere, seu capi facere, seu deuiare aquam dictarum bealeriarum, sub pœna solidorum sexaginta Asten. & totidem pro emenda, de die: & de nocte duplum, nisi per manus campariorum, uel nisi esset sibi concessa, & intelligatur dictam aquam cepisse, si inuenta fuerit dicta aqua, in aliqua possessione sua; saluo, & reseruato, quòd si persona, in cuius possessione inuenta fuerit dicta aqua, uellet iurare in termino suæ defensionis sibi data, quòd ipse, nec aliquis de eius conscientia, & uoluntate cepit dictam aquam, in dicto eius prato, seu possessione. Quòd tunc ipse, qui sic iurauerit ab ipsis pœnis penitus absoluatur. Et illud idem sacramentum præstare teneantur filii sui, & familiares, qui ascenderent ætatem quatuordecim annorum, ad uolũtatem campariorum, & camparii, teneantur uinculo iuramenti dare aquam, uideli-

cet

cet partem, cuilibet peruenientem, die qua eis peruenerit, & hoc post Solis ortum, & non ante.

Quòd si per commune rumperentur dictæ bealeriæ, quòd teneatur restituere expensis illis, quibus fieri fecerunt. *Caput* XXXV.

ITEM statutum est, quòd dictæ bealeriæ durent & durare debeant omni tempore, & si per commune consilium MontisReg. uel commune eodem daretur, consilium, fauorem, uel auxilium, uel ordinaretur quòd dictæ bealeriæ rumperentur, uel frangerentur in toto, uel in parte, uel aliquid quod esset in diminutione dictæ bealeriæ, seu bealeriarum, quòd tunc dictum commune teneatur & debeat soluere & restituere illis, quibus facerent uel fieri fecerint dictam bealeriam, uel bealerias, omne id quod prædicti iurare uellent, quòd expenderint in dicta bealeria seu bealeriis, antequam dicta bealeria seu bealeriæ rumperentur: uel aliquid ordinaretur quod esset in præiudicium ipsius bealeriæ seu bealeriarum.

Quòd massarij possint facere drizare uotas bealeriarum. *Caput* XXXVI.

ITEM statutum est, quòd si esset in dicta bealeria, seu bealeriis, aliqua uota, quòd dicta bealeria non iret recta, quòd massarii dictæ bealeriæ posint facere drizare, ita quod uadat recta, & si fortè daretur damnum alicui personæ, æstimetur per duos bonos & legales viros, & illud damnum quod æstimauerint, soluatur antequam faciant aliquid in dicta bealeria, seu bealeriis, uel deponant apud unum mercatorem nomine ipsius.

De potestate Sapientum bealeriarum. *Caput* XXXVII.

ITEM statutum est, quòd prædicti sapientes, uel maior pars ipsorum, habeant plenum posse ordinandi & faciendi in dicta bealeria, seu bealeriis, & circa prædicta, prout eis videbitur, pro meliori, tantum quantum haberet consilium generale communis dictæ ciuitatis, etiam dando ipsa bealeria ad pretium factũ per massarios, & in omnibus aliis quæ tangunt ad dictam bealeriam, & etiam declarare interpretare in prædictis & circa prædicta, prout eis uidebitur faciendum.

Quòd capitula bealeriarum durare debeant omni tempore. *Caput* XXXVIII.

ITEM statutum est, quòd prædicta capitula, durent & durare debeant omni tempore, & nullo modo uel ingenio cassentur

ſentur uel diminuentur per conſilium communis Montis-Regalis, nec per aliquem officialem præſentem uel futurum, ſub uinculo iuramenti, & ſi aliquid facerent uel proponeretur aliquid contra prædicta capitula, non ualeat.

Quòd quilibet teneatur aptaſſe ſuum ghigetum infra octo dies.
Caput XXXIX.

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnes ghigeti ſingularum perſonarum habentium ad faciendum in dicta bealeria ſeu bealeriis, debeant ſic & taliter aptaſſe, quilibet ſuum ghigetum quòd aqua non perdatur in dicto ſuo ghigeto, dum partem ſuam nõ habuerit, & hoc infra octo dies, poſtquam ſibi denunciatum fuerit per cãparios, ſeu per bealerios ad hoc electos, & hoc ſub pœna ſolidorũ uiginti Aſten. & totidem pro emenda.

Quòd quilibet habens partem in ipſis bealerys poſſit accuſare.
Caput XL.

ITEM ſtatutum eſt, quòd camparius & quilibet homo bonæ famæ habens partem in ipſa bealeria ſeu bealeriis poſsit accuſare quemcunque contrafacientem, contra dicta capitula, & ei credatur cum iuramento, & habeat quartam partem banni. Eo ſaluo quòd pro iuramento accuſatorum, non derogetur beneficium capituli poſiti ſub rubrica de non capiendo aquam bealeriarum, uidelicet in illa parte ubi dicitur quòd ſi perſona in cuius poſſeſsione inuenta fuerit dicta aqua, uelit iurare in termino defenſionis &c. & uſq; ad finem d. capituli &c.

Quòd emendæ conuertantur in reparationem bealeriarum.
Caput XLI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnes emendæ ſint & eſſe debeãt dictæ bealeriæ, & conuertantur in reparationem dictarum bealeriarum, excepta parte data campariis.

Quòd campary faciant fieri ghigetos. Caput XLII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi ghigeti infra octo dies ſibi ſtatutos per dictos camparios, ſeu bealerios, non fuerint aptati bene & ſufficienter, quòd dicti camparii, ſeu bealerii, teneantur & poſsint dictum ghigetum ſeu ghigetos aptari facere bene & competenter expenſis illius ſeu illorum, cuius eſſent dicti ghigeti. Et D. Vicarius ſeu Iudex dictæ ciuitatis, teneantur, uinculo iuramenti, ipſum uel ipſos qui habent facere in dictis ghigetis aptatis per dictos camparios, ſeu bealerios tantùm detinere, quouſque ſatisfecerint dictis campariis ſeu bealeriis de

expenſis

expensas quas fecissent in reparatione dictorum ghigetorum, seu ghigeti, & de labore ipsorum campariorum seu bealeriorum, præstito prius iuramento per eos quod tantum expendissent, & omnes ghigetos, dicti camparii debeant fecisse fieri per totum mensem Februarii, sub pœna eorum salarii.

Quòd camparij teneantur dare aquam, & unicuique partem suam. *Caput* XLIII.

ITEM statutum est, quòd prædicti camparii, seu bealerii, teneantur uinculo iuramenti dare aquæ unicuique partem suam, prout & quam citius poterint, & illa hora, qua dabunt aquam supradictis personis illa hora, teneantur eam auferre, die crastina sequenti, sub pœna solidorum uiginti Asten. pro quolibet & qualibet uice, quæ pœna sit illius personæ, ad quam peruenerit dicta aqua, & hoc de die in diem, & subsequenter, & continuè, & non teneatur dare aquam, nisi habentibus ghigetum aptatum.

Quòd camparij uadant bis omni die ad preisam. *Caput* XLIIII.

ITEM statutum est, quòd dicti camparii, seu bealerii, teneantur ire omni die, usque ad preisam bis causa custodiendi dictam aquam, & accusandi contrafacientes, ut suprà in dictis capitulis continetur sub uinculo iuramenti, & prædicta teneantur iurare prædicti camparii, seu bealerii, qui camparii teneantur etiã ter in hebdomada iacere ultra Ellerum extra terram, nisi haberent rationabilem causam. Et teneãtur auferre omnes trabes, & zucos ibi positos, in bealeriis prædictis, sub pœna iuramenti.

De Sex hominibus eligendis, qui faciant tabulerias *Caput* XLV.

ITEM statutum est, quòd eligantur sex homines qui faciant tabulerias ad diuisionem dictæ aquæ, & secundũ quod diuisa fuerit, ualeat & teneat.

De Syndico, & Clauario eligendis. *Caput* XLVI.

ITEM statutum est, quòd omni anno eligatur unus Syndicus, & eodem modo unus Clauarius, ad excutiendum emendas.

Quòd camparij, teneantur omni die Sabbati facere scribi per Syndicum omnes accusas, per eos factas. *Caput* XLVII.

ITEM statutum est, quòd camparii, seu bealerii prædicti, uinculo iuramenti, teneantur omni die Sabbati, omnes accusas factas per ipsos, de personis inuentis, facientibus damnum, &

aquam

aquam accipientibus incontinenti, quòd fecerint accusas prædictas in manibus Notarii curiæ, teneantur illas facere eadem die, scribere, & notare per Syndicum dictarum bealeriarum, uel per Clauarium electum per dictum Syndicum, & hoc sub pœna, pro quolibet dictorum campariorum, solidorum uiginti Asten.

Quòd pontes fiant expensis bealeriarum, & etiam salaria campariorum.

Caput XLVIII.

ITEM statutum est, quòd omnes pontes seu ponti, facti seu fiendi occasione dictarum bealeriarum, fiant & fieri debeãt expensis dictarum bealeriarum, & quòd illi qui habent dictas bealerias, siue aquam ipsarum, teneantur soluere campariis ipsarum bealeriarum, & quòd commune nihil soluat, nec ponat: Et quòd camparii sint & esse debeant, unus, de tercerio Vici, alius, de tercerio Carassoni, alius, de tercerio Vaschi.

Quòd D. Vicarius teneatur cognoscere debata bealeriarum.

Caput XLIX.

ITEM statutum est, quòd si casus contingat quod occasione dictarum bealeriarum, uel alicuius earum, uel aliarum, existentium super posse ciuitatis MontisRegalis, oriatur quæstio inter aliquas personas dictæ ciuitatis, uel commune, quomodocunque, & D. Vicarius dictæ ciuitatis uocetur siue petetur per partes litigantes, uel altera ipsarum, ad uidendum aliquam bealeriam, uel id quod, super quo, uel cuius occasione, dicta quæstio bealeriæ moueretur, uel ad cognoscendum de dictis quæstionibus, uel connexis, uel dependentibus ab eis, quòd ipse D. Vicarius teneatur ire. Et tunc in eis casibus dicto domino Vicario possit taxari salarium publicè per partes, seu per partem, quæ ipsum D. Vicarium fatigauerit pro mercede, seu labore. Et hoc posset fieri de uoluntate partium, seu partis, cuius, vel quarum, ad uoluntatem fecerit prædicta, uel aliquod prædictorum, & aliter non, & teneatur dictam causam diffinire summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, uisis iuribus partium, & absque libello, & litis contestatione, & habeat locum præsens capitulum, non obstante aliquo alio capitulo in contrarium loquente, & trahatur ad præterita, & futura.

Quòd

Quòd officiales curiæ non possint procedere occasione bealeriarum, nisi de aquis spargentibus in vys, ut infra. *Caput* L.

ITEM statutum est, quòd aliquis officialis curiæ, non possit, nec debeat accusare, denunciare, nec per inquisitionem procedere contra aliquam personam, ratione uel occasione aliquarum aquarũ spargentium in uiis, aut occasione pontium, seu galamborarum, nisi a domo hæredum Iacobi Dominici super stratam rectam, ueniendo de Villanoua, usq; ad Reclusum, & a prato D Ogerini Fauzoni, eundo versus Cuneum, per stratam magistram, usque ad Bozolium Et super uia Breduli, incipiendo ad pontem Elleri portæ Breduli, usque ad Bozolium. Et a sancto Bernulfo, usq; ad tectum Henrici Fiandoti. Et a sancto Bernulfo, usque ad turrim Burgensiorum. Et a uia Cuniascha super ripis, usque ad ecclesiam sancti Georgii. Et a sancto Georgio super ripis Carassoni, per uiam eundo uersus Carassonum, usque ad tectum Odini Zarboni. Et per aliam uiam a tecto Mansuinorum, usque ad Branzolam. Et ab ecclesia sanctæ Mariæ de Spineta, deuersus Cassanium per rectam uiam usque ad uineam Gulielmi Linguæ. Et a uia de Cerretta usque ad Turrim Gulielmi Galli, per rectam uiam. Et super ripis a uia pratorum Arbrarum, usque ad uiam qua itur ad possessiones Barriorum, super quibus uiis suprascriptis, possint dicti officiales accusare omnes contrafacientes, occasione aquarum spargentium in dictis uiis, & occasione pontium & galemborarum super ipsis uiis: de aliis uero contentis & descriptis in dictis capitulis bealeriarum, nullo modo procedere, seu accusare possint, & si secus fieret non ualeat.

Quòd quilibet possit ducere aquam a flumine ad pratum suum. *Caput* LI.

ITEM statutum est, quòd quicunque uoluerit ducere aquam ad pratum suum, a flumine, uel a riuo, possit ipsam capere per directum terræ suæ, & cum ipsam aquam habuerit in prato suo, adaquato prato suo secundum quod uoluerit, ipsam aquã quæ sibi superfuerit, non impediat ire uel transire in pratum consortis, per fossatum, uel alium modum, sub pœna solidorum uiginti, & sub eadem pœna consors qui uoluerit habere illam egredientem de prato consortis, nihil faciat uel tangat in prato consortis prædicti contra uoluntatem suam, causa habendi ipsam aquam. Et qui non posset habere

competenter dictam aquam per directum terræ suæ, possit capere eam super terram, seu pratum conuicini superioris, per eam partem, qua melius poterit, faciendo minus damnum & æstimatione facta per æstimatores, & soluta illi cuius terra, pratum, seu possessio esset, per quam, vel per quod duceretur aqua, uel illam nolente recipere deposita, vel consignata, tunc impunè possit facere bealeriam, seu clusam super terram seu pratum, vel possessionem conuicini sui. Et si ille super cuius possessione esset facta bealeria, vel alius vellet vti dicta aqua dictæ bealeriæ, & habere partem in ea, debeat iuuare ad faciendum dictam bealeriam, & clusam pro parte sibi contingente, seu soluere expensas factas, uel quæ fierent pro dicta clusa, & bealeria, scilicet pro parte sua: Et si hoc noluerit facere, non possit accipere, nec uti dicta aqua, nec impedire alteri dictam aquam, & qui contra fecerit, soluat pro pœna solidos viginti, qualibet uice, & quilibet possit accusare, & ei cum iuramento credatur. Et ille seu illi qui sunt subter, si uoluerint habere aquam, teneantur facere partem expensarũ clusæ & bealeriæ, pro rata. Et si aliquis fecerit bealeriam per pratum suum, vtens teneatur conferre in expensis factis & faciendis in ipsa bealeria, pro rata. Et ibi vbi dicitur, quòd quilibet possit ducere aquam per pratum, vel terram consortis, vel conuicini sui, quod intelligatur, & vendicet sibi locum tam in superioribus, quàm in inferioribus, per terram, campum, vel pratum, vel per locum vbi magis sibi necesse fuerit, vel ducere uoluerit ad minus damnum quod fieri poterit, vt si esset consors illius uolentis ducere, vel duci facere aquam, uel bealeriam ad pratum suum, vel ad appraandum aliquid de nouo, non obstantibus aliquibus contentis in dicto capitulo, prius soluendo damnum datum, & æstimum dictæ bealeriæ, vt in ipso capitulo continetur. Et si aliqua via esset in medio duorum consortium habentium ipsam discordiam, intelligatur consors magis propinquus petenti ipsam bealeriam, vel plures, si affuerint.

Item statutum est, quòd quælibet persona possit facere clusam in flumine publico, & eam appodiare terræ, seu prato conuicini sui, etiam ex altera parte fluminis consistentis, emendando damnum æstimatum per æstimatores, dicto conuicino suo datum. Et si vero aliquis per bealeriam, siue pratum eiusdem vicini sui, voluerit ducere aquam ad pratum suum, possit eam

ducere

ducere impune, emendando damnum, si quod ei dederit, adiuuando ad faciendum clusam & bealeriam, pro parte sibi contingente, vt hoc capitulo concessum est. Eo addito, quòd si D. Vicarius, seu Iudex, viderint in processum temporis quòd maius damnum quàm vtilitas consequeretur, quòd posit illud remouere & interpretari. Et si quis vellet prohibere ne forma capituli seruaretur, soluat pro banno solidos quinque, pro qualibet vice.

De non frangendo aliquam bealeriam molendinorum seu pratorum. Caput LII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona non debeat frangere aliquam bealeriam, seu clusam factam occasione ducendi aquam ad molendina, seu prata, & qui contra fecerit soluat pro qualibet vice solidos sexaginta. Eo saluo, quòd si aqua esset necessaria pro molendinis, occasione molendi, quòd aqua posit deriuari ad ipsa molendina de dictis pratis, seu clusis, primo tamē requisito domino cuius esset pratū, seu clusa nō obstante præsenti capitulo, dum tamen clusæ molendinorum sint immotatæ, & quilibet homo bonæ famæ posit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur. Et hoc capitulum uendicet sibi locum solummodo in clusis & bealeriis, quæ sunt seu ducuntur in riuis, & a riuis & fluminibus, & nemo molinarius seu alia persona pro ipso, seu habens causam ab ipso, audeat uel presumat, frangere alienam bealeriam seu clusam pratorum, pro aliquo molendino molendo, qui molendinus sit a cima Burgati supra, & a ponte Carassoni infra, sub pœna prædicta, & totidem pro emenda, soluenda illi cuius esset pratum, seu bealeria.

Quòd impune poßint frangi bealeriæ quæ sunt in uijs publicis. Caput LIII.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona fregerit aliquam bealeriam quæ sit in uia publica, quòd non incurrat pœnam quæ continetur in capitulo proximè precedenti, de non frangendo aliquam clusam, nisi illa persona cuius esset dicta bealeria, fecisset dictam bealeriam, uel haberet pontem uel galamboram sufficientem taliter, quòd dicta bealeria seu aqua, quæ discurreret per ipsam, non daret damnum in uia communis, neç impediat iter ad eūdum cum bestiis & plaustris, & sine.

De ripatibus fluminum. *Capus* LIIII.

ITEM statutum est, quòd si aliquod flumen, uidelicet flumen Elleri, Pesii, Modagnæ, Cosaliæ, & generaliter cuiuscunque alterius fluminis fluentis per posse ciuitatis Montis Regalis, dederit aliquod damnum alicui personæ habenti aliquam possessionem, iuxta aliquod prædictorum fluminum relinquendo proprium alueum, seu sedem suam in totum uel in parte, derumpendo possessionem illius personæ supradictæ: Quod illa persona supradicta, debeat habere illum alueum, seu illam sedem, seu partem quam reliquerit iuxta possessionem suam, etiam si foret in alia parte fluminis, usque ad possessionem propriam illius qui haberet possessionem ab alia parte dicti fluuminis: Ita & taliter quòd illa persona cui non dederit aliquod damnum, faciendo alueum seu sedem in sua propria possessione, nihil possit petere uel habere de alueo seu sede, seu parte ipsius relicta per aliquod prædictorum fluminum, iuxta possessionem suam, aliquo capitulo, iure, consuetudine, contrariis non obstantibus. Vendicante sibi locum præsenti capitulo, in casibus præsentibus, præteritis, & futuris. Et quod eligantur per sapientes communis, duo homines pro quolibet tercerio, qui habeant plenum posse & bailliam, omnes insimul uel maior pars ipsorum, aptandi ipsas discordias, & ipsas diffiniendi secundum formam præsentis capituli, prout eis uidebitur fore iustum, & secundum quod per ipsos, uel maiorem partem ipsorum factum, & ordinatum fuerit, obseruetur. Et idem & eodem modo intelligatur de omnibus & singulis riuis existentibus in fine dictæ ciuitatis, seu per quos labitur aqua pro medietate temporis, uel ultra.

De non capiendo alieno lignamine aquarum. *Capus* LV.

ITEM statutum est, quòd nulla persona sub pœna solidorum decem, audeat uel præsumat capere, signare, uel ostendere, aut de loco ubi remanserit remouere aliquod lignamen, uel aliquam aliam rem communis, seu alicuius hominis specialis, quod uel quæ ducantur per aliquos ad plenitudines, siue aluuiones aquarum. Et non possit nec debeat aliqua persona, illam rem tenere, uel capere, celare, nec uetare illi cuius esset, uel qui eam iret inquirendo, sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente, solidorum decem.

CAPITV-

CAPITVLA BEALERIAE BROBII.
Caput LVI.

IN NOMINE domini Amen. Quoniam post inuentionem sapientiæ superuenit gratiæ plenitudo, ut successiuis naturæ beneficiis ingenium perdotetur, non est mirum si humana conditio, continuis exercitiis & cogitationibus, recipit incrementum, quia cogitando ipsa consuetudo, uertitur in naturam, unde Iuniores & Moderniores perspicacius quoque singula contemplantur. Est enim natura quædam existentia subiectorum, complectens accidentia secundum proprium esse: uel est natura id quod intus latet, & extra consuetudinis instantiam quæritur: de quo tantum accipitur, quantum est de materia: & tamen augeri potest per consuetudinarium modum cogitandi. Hinc est, quod nobiles Otho & Laurentius de Biglonibus, prouidi atque discreti uiri Antonius de Rubeo, Michael Thomas, Petrus de Bruno, Iacobus Tealdus, ac alii quamplures consocii, suorum prædecessorum uestigia insequentes, qui semper circa bonum, utilitatem, honorem & statum huius Reipublicæ laborarunt, non solum ipsius conseruationem, sed augmentationem, procurando non hæsitantes, quantum boni, vtilitatis, & proficui huic Reipublicæ in vniuersali & particulari afferat ductus aquarum & bealeriarum, a fluminibus publicis, ut experientia, quæ rerum est magistra, docet, sua peruigili natura, optimo atque subtili ingenio, auisarunt quandam posse aquæ quantitatem & in copia duci a flumine Brobii, in & super finibus præsentis ciuitatis, uidelicet super finibus S. Blasii, Breduli, & Carassoni, & ulterius cogitatum ad effectum producentes, bealeriam construxerunt, per quã ipsa aqua quæ inæstimabilem est vtilitatem allatura labatur, uerũ quia propter immensam utilitatem, quam ipsis affere participantibus, effrenata cupiditas ex humanæ conditionis corruptione perueniens, quæ pacis inimica est, mater litium & materia iurgiorum, multa noua litigia posset generare, uellent ut iustitia, conatus eius sua uirtute reprimere posset, & quæstiones implicitas explicare, leges & statuta infrascripta prodi & approbari, ut noxii apetiti sub iure & statutorum infrascriptorum, possent regula limitari, per quam participantes & alii ut honeste uiuant, & alterum non lædant, & ius suum unicuique tribuant inuitantur.

Et primo, quòd dicta bealeria diuidatur & diuidi debeat, seu sit vnciarum, seu librarum decemseptem, hoc est, aqua quæ ducetur per eam.

ITEM quòd communitas Margaritæ, habere possit de dictis partibus, siue unciis aquæ ipsius bealeriæ, unam partem aut unciam, quæ debeat assignari in loco magis habili, & minus damnoso, secundum quod ordinabitur per unum magistrum aquæ, & in talibus expertum, eligendum per syndicum seu syndicos, si plures esse contingeret, & massarios dictæ bealeriæ, ita & taliter quòd a ghigeto sibi assignato usq; ad præisam uel gulam dictæ bealeriæ, non possit ipsa communitas, seu aliquis in dicto loco Margaritæ habitans, cuiuscunque status & conditionis existat, accipere aquam in dicta bealeria, ab ipso ghigeto, eidem communitati assignato, supra usque ad dictam præisam siue gulam, & hoc sub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, quæ pœna applicetur pro tertia parte Illustrissimo D. Domino nostro Sabaudiæ Duci, pro alia tertia parte accusatori, & pro reliqua tertia parte dictæ bealeriæ. Et quilibet homo bonæ famæ, & etiam camparii super bealeria deputati, possint contrafacientes accusare, & eis cum iuramento credatur.

ITEM, quòd ipsa communitas Margaritæ, seu ipsi de Margarita participantes in dicta bealeria, teneantur & debeant, ac sint obligati custodire, aut custodiri facere dictam bealeriam magistram a ghigeto, sibi ut supra assignato, usque ad gulam siue præisam dictæ bealeriæ magistræ, eorum propriis sumptibus & expensis, sub pœna prædicta applicanda ut supra, & ulterius quòd teneantur casu quo dicta bealeria egeret reparatione tantum, facere seu reparare eorum propriis sumptibus & expensis, quantum facere possent duo homines, seu duo boni, & sufficientes laboratores, hoc est a dicto ghigeto sibi assignato usque ad præisam.

ITEM statutum est, quòd homines sancti Blasii possint accipere, & habere unam partem, aut unciam de decemseptem partibus, uel unciis dictæ bealeriæ, quæ illis debeat assignari & tradi in loco magis habili, & minus damnoso, subtus tamen tapam illorum Margaritæ, ubi ac secundum quod ordinabitur per unum magistrum aquæ, & in talibus expertum, eligendum per syndicum, seu syndicos, si plures esse contin-

contingeret, & massarios dictæ bealeriæ, ita & taliter, quòd a ghigeto sibi assignato, usque ad ghigetum assignatum suprascriptis de Margarita, non possint quouis modo, seu colore accipere, seu capi facere, aquam in dicta bealeria, & hoc sub pœna librarum uigintiquinque, pro quolibet contrafaciente & qualibet uice, quæ pœna applicetur ut supra, in capitulo loquente de hominibus Margaritæ, & quilibet homo bonæ famæ, & etiam camparii super hoc deputati, nec non familiares curiæ possint contrafacientes accusare, & eis cum iuramento credatur.

ITEM quòd tales de sancto Blasio participantes, teneantur & debeant custodire, seu custodiri facere, eorum propriis sumptibus & expensis a ghigeto, sibi uel eis ut supra, assignato usque ad ghigetum illorum de Margarita, sub pœna prædicta applicanda, & totiens committenda ut supra. Et ulterius quòd teneantur casu quo dicta bealeria egeret reparatione, tantum facere seu reparare, eorum propriis sumptibus & expensis quantum facere possent duo homines sufficientes laboratores, hoc est a dicto ghigeto sibi assignato, usque ad ghigetum illorum de Margarita de quo supra.

ITEM quòd a tapa illorum de sancto Blasio, usque ad bealeriam Pessii, possit capi pars una dictæ aquæ, uidelicet quatuordecima pars totius bealeriæ, & ibi unum ghigetũ fieri per agentes & habentes possessiones in flascheta, ubi aqua ipsa duci possit, & hoc in loco magis habili & idoneo ad ordinationem & dictam unius magistri aquæ, & in talibus experti, eligendi per syndicum, seu syndicos, si plures esse contingeret, & a tali ghigeto usque ad tapam sancti Blasii, non possint accipere aquam, seu capi facere, sub pœna de qua supra in ceteris capitulis, totiens committenda & applicanda prout in eis, & quilibet homo bonæ famæ, possit accusare, ac reliqui prout supra in capitulis describitur supra scriptis, & eis cum iuramento credatur.

ITEM quòd quando dicta bealeria siue aqua ipsius bealeriæ erit ad stratam Cunei supra, uel infra ipsam stratam ubi uidebitur, syndicus & massarius dictæ bealeriæ, non multum longe ab ipsa strata tamen, partire & diuidere debeat, aquam ipsius bealeriæ cum uno trabe seu ligno necessario, & in talibus opportuno, assignando partem ipsius bealeriæ pessii & parti-

cipantibus in ea quæ eſt medietas dictæ bealeriæ ſeu aquæ, exiſtentis ibi in ipſa bealeria Brobii, ita & taliter, quòd ipſa medietas intret & intrare debeat in ipſa bealeria Pesſii, & quòd alia medietas, quæ uenire debet uerſus MontemRegalem, tranſitum faciat, & debeat tranſire cum inſtrumentis ad hoc neceſſariis, ſupra dictam bealeriam Pesſii, hoc eſt, in loco magis habili, & minus damnoſo ipſius bealeriæ Pesſii, in dicta unius magiſtri ſeu ordinatione in talibus experti, eligendi per ipſos participantes dictarum bealeriarum, ſcilicet Pesſii & Brobii.

ITEM quòd ab ultima tapa ſupra, ſcilicet bealeriæ Pesſii, & alterius quæ uenit uerſus MontemRegalem, non poſsint fieri per aliquem, ſeu conſtrui alii ghigeti, quàm illi de quibus ſupra mentio eſt habita, ſub pœna, de qua ſupra in aliis capitulis, totiens committenda, quotiens foret contrafactum, quæ applicetur ut ſupra, in aliis capitulis: & quilibet homo bonæ famæ, & camparii poſsint accuſare, & eis credatur cum iuramento.

ITEM quòd qui dictis ghigetis bealeriæ Pesſii, & alterius qui uenit uerſus MontemRegalem, & per quem medietas aquæ ducitur in ipſo, contrafecerit ſcoarſando ipſam bealeriam, ſeu aliter damnificando tapas, uel ghigetos in ipſa bealeria deſignatos, uel aliter quocunque ipſi bealeriæ, ſeu participanti damnum intulerit, incurrat pœnã ordinatam per capitula poſita in uolumine capitulorum præſentis ciuitatis, de bealeriis &c. ac in omnibus & per omnia prout in ipſis cõtinetur.

ITEM quòd omnes participantes, de quibus ſupra, in ipſa bealeria, omnes & ſinguli, teneantur & debeant rationem facere, ac expenſas pro rata aquæ contribuere, uſque ad flumen Poglioliæ.

ITEM quòd caſu quo aliqua differentia, ſeu quæſtio orietur inter prædictam bealeriam, ſeu in ea participantes & præſentem communitatem, ſeu alias bealerias quaſcunque, quæ ſunt, ipſæ quæſtiones & differentiæ poſsint & debeant ſedari per ſex homines ad hoc eligendos; uidelicet duos pro parte cõmunitatis, duos pro parte participantiũ in ipſa bealeria Brobii & Pesſii, & duos per participantes in bealeria, cum qua quæſtio orietur, qui unà cum domino Vicario tunc MontisRegalis, aut eius locumtenente, habeant poteſtatem diffiniendi

dictas

dictas quæstiones & controuersias, in omnibus, & per omnia prout continetur in capitulis bealeriarum de hoc mentionem facientibus, ita & taliter, quòd nihil eis intelligatur additum uel diminutum, nisi quoad numerum, & mutationem personarum.

ITEM quòd nemo ex prædictis participātibus in dicta bealeria, possit habere ultra secatores quindecim aquæ in dicta bealeria; nisi aliter foret dispensatum per syndicos & massarios dictæ bealeriæ, qui habeant potestatem minuendi & augendi summam secatorum dictis participantibus, secundum quod sibi uidebitur opportunum, & hoc a Poglolia infra.

ITEM quòd facta ratione ipsius bealeriæ, omnes in ea participantes, & aquam habentes, teneantur & debeant soluisse infra quindecim dies medietatem taxæ, quæ sibi prouenirет pro ipsa aqua, & aliam medietatem infra mensem ex tunc proximè sequuturum, sub pœna, si non soluerint, quod non possint capere aquam, sub pœna solidorum sexaginta, totiens committenda, quotiens fuerit contrafactum, & quilibet participans, & camparii, possint accusare, & eis iuramento credatur, & applicetur pro tertia parte Illustrissimo Domino D. nostro, pro alia tertia accusatori, & pro alia tertia bealeriæ, & qui non soluerit ipsam taxam infra festum sancti Michaelis proximè uenturum, tunc & eo casu sit priuatus parte aquæ pro qua non soluerit.

ITEM quòd communitas MontisRegalis possit accipere tertiam partem aut quartam totius bealeriæ, soluendo tamen expensas hoc intellecto, quòd partem quam uoluerit, ipsam accipiat super omnibus partibus scriptis.

ITEM quia territoria reperiuntur in uno loco magis sterilia, & arenosa quàm in alio, & egeant maiori aquæ quantitate, sit in dispositione syndici & massariorum, secundum occurentiam temporum, licentiam dare requirentibus de captione ipsius aquæ, aut obturatione; ita tamen quòd ex tali licentia nō intelligatur posse infringi ghigetum bealeriæ prædictæ, in aliqua sui parte.

ITEM quòd præmissis non obstantibus capitulis, quia ex discursu temporis utilitas dictæ bealeriæ & cursus aquæ aduideri poterit, quod possit fieri per consilium dictæ ciuitatis electio personarum, habentium prouisionem facere secundum occurren-

occurrentiam addendi & minuendi super ipsis capitulis, & de nouo capitulandi, si opus fuerit hinc ad annos duos proximè uenturos.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, indictione prima, die septima Iulii.

IN pleno & generali consilio communis & hominum ciuitatis MontisRegalis, hodie congregato super domo communis, sono tubæ & campanæ, ut moris est, coram Magnifico D. Gilardo ex Marchionibus Ceuæ, honorando Vicario ciuitatis prædictæ.

SVPER facto secundo secundæ propositæ, mentionem facientis de capitulis, editis, super bealeria noua Brobii citra Pesium, dato partito, placuit omnibus, exceptis duabus, in contrarium quòd ipsa capitula approbentur, & pro approbatis habeantur, saluo semper iure communitatis. Ita tamen quòd eligantur in præsenti consilio, per D. Vicarium, syndicum, & gubernatores tres, unus pro quolibet tercerio, parte communitatis qui habeant ad uidere possessiones, quæ possunt aquari & bonificari, ex aqua dictæ bealeriæ, quæ sint communis, & habeant referre præsenti consilio, qui electi sunt hi Girardinus Ferrarius pro tercerio Vici, Iacobus de Vialda pro tercerio Vaschi, & Robaldus Tascha pro tercerio Carassoni.

Quòd quæ dicta sunt de bealeriis Elleri, intelligantur de aliis. Caput LVII.

ITEM statutum est, quòd omnia quæ dicta sunt de bealeria Elleri intelligantur de omnibus aliis bealeriis ubicunque sint, descendentibus a fluminibus publicis & aliis.

De pœna illorum in quorum pratis reperitur aqua. Caput LVIII.

ITEM quia ut experientia docet sub prætextu pauci timoris iuramenti quòd præstatur per personas, in quarum pratis reperitur aqua, damna multa inferuntur in bealeriis; & maximè in bealeria Brobii citra Pesium, a Monasterio Pogliolæ usque ad pontem bealeriæ Pesii, super strata Cunei, statuerunt & ordinauerunt, quòd nulla persona cuiuscunq; conditionis existat, audeat uel præsumat capere nec capi facere aquam dictæ bealeriæ Brobii, a dicto Monasterio usque ad dictum pontem, nisi per manus camparii deputati & deputandi, nec frangere, aut frangi facere dictam bealeriam in dicto loco.

sub

ſub pœna in aliis capitulis contenta. Et ſi aqua a dicto Monaſterio, uſque ad dictum pontem reperta fuerit in aliquibus pratis ſe irrigantibus de aqua proueniente ex dicta bealeria, abſque eo quod tradita fuerit per camparium deputatum, quòd intelligatur eſſe capta, & bealeria fracta per perſonam, ſiue perſonas, in quorum pratis aqua ipſa reperiretur, & ſic contrafaciens poſsit accuſari, ſeu denunciari per camparium dictæ bealeriæ, & eius iuramento credatur, quæ perſona ſic accuſata ſeu denunciata, condemnari poſsit & debeat iuxta & ſecundum formam, & in pœna impoſita per alia capitula bealeriarum, & ipſius bealeriæ, non obſtante aliquo alio capitulo in contrarium faciente, etiam ſi iurare uellent & iurarent ipſam aquam non cepiſſe, nec bealeriam fregiſſe per ſe, nec per aliam perſonam de ſua familia.

De bealerijs. Caput LVIII.

ITEM pro euidenti utilitate Reipublicæ, & ſingularium perſonarum, ſtatuerunt & ordinauerunt, addendo capitulis de bealeriis, & ipſa limitando, quòd nulla perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat, ſeu præſumat fieri facere aliquam bealeriam, ſeu bealerias, uel aliter quouis modo aquam capere, in & in partibus fluminum præſentis ciuitatis & poſſe, deſuper præiſas bealeriarum Brobii, uidelicet bealeriæ Magliani, & alterius quæ ducitur in flumine Peſsii, & demum citra Peſsium per Fraſchetam uſque ad planam Caraſſoni, ac etiam bealeriæ magiſtra Peſsii, in omnibus bealeriis exordientibus ſuper iuriſdictione prædicta, & bealeria quæ conducitur Caraſſoni & Vaſchi, quæ ad Brugundos capiuntur in flumine Elleri, præſentialiter conſtructarũ, quæ aliqualiter inferant ſeu inferre poſſent præiudiciũ & aquæ diminutionem dictarum bealeriarum, conſtructarum, niſi aqua talium bealeriarum reuerteretur deſuper præiſam ipſarum bealeriarum, ſub pœna librarum quinquaginta, pro quolibet & qualibet uice, totiens committenda, quotiens fuerit contrafactum, & nihilominus quælibet perſona participans in dictis bealeriis, tales bealerias conſtruendas in præiudicium & damnum ut ſupra, dictarum bealeriarum, poſsit & ualeat impunè rumpere & deſtruere ipſas tales bealerias conſtruendas, & eorum præiſas, & quilibet homo bonæ famæ, poſsit contrafacientes accuſare, & eius iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni, &

etiam

etiam camparii prædictarum bealeriarum uirtute eorum iuramenti, teneantur quoscunque contrafacientes accusare: Et præsens capitulum etiam locum habeat in bealeriis etiam iam constructis a sex annis citra inferentibus damnum ut supra, ita tamen quòd præsens capitulum non habeat inferre aliquod præiudicium aliis capitulis de bealeriis loquentibus, propter quæ conseruatio dictarum bealeriarum & præsarum, earum magis conseruatur, ideo quòd talia capitula, dictas bealerias & præisas conseruantia in sua remaneant firmitate.

Finis quintæ Collationis.

SEXTA COLLATIO

De Meistralibus & Retaglatoribus.

DE MACELLATORIBVS.

Caput Primum.

PRIMO statutum est, quòd macellarii ciuitatis MontisRegalis, non possint nec debeant uendere carnes alicui personæ nisi tales quales fuerint, semper notificando emptoribus quales fuerint carnes, dicendo carnes quas tibi uendo, non sunt castroni, seu montoni, in casu quo essent de aliis carnibus, nominando & notificando sunt ouis, si de oue essent, aut sunt de castroglo, aut de boue, aut de uacca, aut de capra, aut de hirco, aut de agnello, aut de caproto, aut de porco masculo, aut de porca femella, & sic de singulis, notificando cuius generis sunt carnes singulæ per ipsum macellatorem uenditæ: Et qui contra fecerit, soluat bannum solidos decem pro qualibet uice. Et non possint nec debeant uendere carnes castrogli sub nomine castroni, sub eadem pœna. Et omnes macellari teneantur habere & tenere carnes competentes, & sufficienter omnibus diebus conuenientibus ad comedendum carnes in ciuitate MontisRegalis, a solis ortu usque ad uesperas, & secundum formam capitulorum factorum super gabella macelli, & uendere, & tradere cuilibet

bet petenti carnes pro ſuis denariis. Et quòd non vngent boues vel vaccas, ſeu caſtronos, nec aliquas carnes inflabunt, nec inflari facient cum ore, ſub pœna prædicta, pro qualibet vice, qua contrafecerint contra prædicta, uel aliquid prædictorum, aliter vero quàm cum ore poſsint impunè dicti macellarii inflare & orare. Et ſi oriretur quæſtio de talibus carnibus inflatis ſeu oratis, quòd ſtetur ſacramento macellarii, ſeu macellariorum, cuius uel quorum eſſent dictæ carnes. Et eodem modo debeant attendere & obſeruare omnia capitula & ordinamenta, loquentia de macellatoribus. Et ſi quis macellarius emerit aliquem porcum uel porcam, & ipſum inquiſiuerit & duxerit, uel occiderit, & ipſe porcus vel porca, inuentus uel inuenta fuerit habere porrigines ſeu gramignas, quòd venditor porci ſeu porcæ, non teneatur propter ipſas porrigines, ſeu gramignas recuperare vel retinere, nec de pretio ipſius diminuere, niſi ſolidos quinque pro qualibet libra pretii, ſecundum diuerſitatem temporum, & qualitatem gramignarum. Et ſi de hoc quæſtio eſſet, eligantur per D. Vicarium, ſeu Iudicem, duo homines qui dictam diſcordiam determinent, & ſecundum quod dicti duo, ſupra dicta quæſtione ordinabunt, & terminabunt, obſeruetur, dum tamen non aſcendant dictam quantitatem ſolidorum quinque, pro qualibet libra pretii. Sed dictus macellarius teneatur & debeat dictum porcum retinere, & pretium ſoluere dicto venditori, ſecundum limitationem ſeu declarationem ſuperius prætenſam. Inſuper teneantur dicti macellarii vendere carnes prædictas ad ſtantiam datam & factam per ſtantiatores ad hoc electos, & qui contra fecerit, ſoluat bannum ſolidos decem, & quilibet homo bonæ famæ, ac etiam familiares D. Vicarii, poſsint & debeant accuſare, & accuſator habeat tertiam partem banni.

De ſtancia facienda ſuper carnibus & alijs rebus.

Caput. II.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ad inſtanciã ſyndici communis & etiam macellariorum ciuitatis MontisRegalis, ſiue maioris partis ipſorum, in principio cuiuslibet menſis D. Vicarius dictæ ciuitatis, qui pro tempore fuerit, teneatur fieri facere ſtanciam de carnibus recentibus, pro qua quidem ſtancia ſic fienda per ſtanciatores communis, qui pro tempore fuerint electi, emi debeant per ſyndicum communis & ſtanciatores, be-

ſtia una, uel plures, prout eis uidebitur. Et ſi contingeret ſyndicum eſſe grauatum, ex quo pecuniam non haberet, prædicti macellarii concedere teneantur ſyndico prædicto pecuniam neceſſariam pro talibus beſtiis emendis, occaſione dictæ ſtāciæ fiendæ, in qua quidem ſtancia ſic fienda, requiri debeāt macellarii die Iouis proxima ante introitum cuiuslibet menſis. Et etiam prædicti ſtanciatores, teneantur ſtanciare, & ſtanciam dare, tunc omnibus aliis rebus pertinentibus ſtanciam habere vt moris eſt, quæ ſtancia obſeruari debeat per prædictos reuenditores, ſub pœna in capitulis eorum contenta.

De non vendendo carnes morboſas. *Caput* III.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliquis macellarius de ciuitate MontisRegalis, non audeat uel præſumat vendere ſeu vendi facere aliquas carnes morboſas, ſeu gramignoſas, aut bozoſas vel defectuoſas, ſub pœna ſolidorum viginti, pro quolibet & qualibet vice, & carnes comburentur, & quælibet perſona bonæ famæ, & tam familia D. Vicarii, quàm alii, poſsint contrafacientes accuſare, & ei iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni.

De non faciendo aliquod turpe iuxta macella in circuitu plateæ. *Caput* IIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd macellarii circa eorum banchas macelli iuxta plateam, poſsint interficere beſtias bouinas, porcinas, & cuiuſcunque generis beſtiarum, tam groſſas, quàm minutas, recogligendo ſanguinem dictarum beſtiarum, eorum poſſe in vaſa. Et ſi ſanguis vel aliud turpe expanſerit in terram, & macellarii, uel alii pro eis eleuauerint, uel abſtulerint ſanguinem, uel turpitudinem, a mane uſque ad tertiam ſi in mane fecerint, & a tertia uſque ad nonam, a nona uſque ad ueſperas, ſecundum quod fecerint, quòd tunc & eo caſu condemnari non poſsint, & ſi macellarii contra fecerint contra prædicta, incurrant in pœnam ſolidorum decem, pro quolibet & qualibet vice, & tam familia curiæ, quàm alii poſsint contrafacientes accuſare ut ſupra.

Quòd Socij macellarii non poſsint accuſari, niſi ſolus pro vna banca. *Caput* V.

ITEM ſtatutum eſt, quòd duo ſocii macellarii poſsint ſtare, & ſeruire ſimul ad vnam bancam macelli, & quod miles ſeu officialis, non poſsint nec debeant, pro eo quòd dicti macellarii

macellarii non haberent carnes ad sufficientiam, uel contrafacerent contra capitula seu ordinamenta facta super macellariis seu macellis, accusare nisi vnum socium pro qualibet banca, & semel in die tantum, & si vltra vnum accusaret pro qualibet banca, non teneatur soluere bannum, nisi pro vno ipsorum & pro vno banno ipsius accusæ.

De tenendo carnes separatas. *Caput* VI.

ITEM statutum est, quòd nullus macellarius in ciuitate Montis Regalis, & iurisdictione, se debeat associare cum aliis macellatoribus præterquam cum vno tantum, & ad vnam bancam tantum, & non possit, nec debeat tenere carnes de troia cum porco, & carnes ouinas cum castronis, & carnes bouis cum vaccinis: sed ipsas diuisas tenere, sub pœna & banno solidorum quinque, pro quolibet & qualibet vice, & qualibet tam familia curiæ, quàm alii, possint contrafacientes accusare, & habeant tertiam partem banni.

De ferrariis & cauderariis, & eorum fusinis. *Caput* VII.

ITEM statutum est, quòd quilibet ferrarius & cauderarius cooperiat in directo suæ fusinæ, quatuor canteratas, uel circa coporum seu losarum, aut maneant discoperta. Et qui contra fecerit, soluat bannum solidos decem. Et super hoc ponantur tres inquisitores & accusatores per D. Vicarium. Et D. Vicarius qui pro tempore fuerit, teneatur ipsis ferrariis, & cauderariis, personaliter, uel ad domum eorum, infra mensem postquam iurauerint, denunciari facere per decanum, seu decanos, quòd faciāt cooperiri, vel cooperiant fusinas ut supra, & post dictam denunciationem, habeant terminum dicti ferrarii & cauderarii duorum mensium, & transacto dicto termino, possit quælibet persona bonæ famæ, tam familiares D. Vicarii, quàm alii, cum iuramento contrafacientes accusare, & habeant tertiam partem banni, & super hoc possit inquiri per curiam.

De cauderariis. *Caput* VIII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius teneatur infra unum mensem postquam iurauerit facere iurare omnes cauderarios, quòd non vendant libram ferri fabricati seu laborati, in uasis æreis, payrolis, cauderiis, caciis, paylis, & quibuslibet aliis vasis æreis, ultra solidos duos Asten. Et qui contrafecerit, soluat bannum solidos quinque, pro qualibet vice, siue

sit extraneus, siue de ciuitate MontisRegalis. Et teneantur dicti cauderarii uendere suum aramum separatum a ferro, & ferrum separatum ab aramo,& pesare diuisum, ad instantiam emptoris, sub pœna solidorum quinque, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice.

De ferrarijs equorum & asinorum. Capue IX.

ITEM statutum est, quòd omnes ferrarii facientes zaponos ferreos equorum & asinorum, debeant habere tantummodo pro quolibet ferro bono & sufficienti seu zapono & pro ferratura unius ronceni & roncenæ, muli & mulæ magni corporis, solidos duos denarios nouem, & de asinis & muletis paruis, solidos duos pro quolibet zapono, & de asinis & somis paruis, solidum unum denarios nouem, & de zapa bouis, solidos quatuor, & non plus, & qui contrafecerit magis capiendo, soluat bannum pro quolibet & qualibet uice, solidos quinque. Et teneantur eorum posse ad minus semper habere duodecim ferros bestiæ grossæ, & duodecim de bestiis minutis, & centum clauos ad minus, & teneantur ferrarii hoc iurare, attendere, & obseruare. Eo saluo quòd dicti ferrarii non teneantur de præsenti capitulo, quantum ad personas extraneas, nec intelligatur extraneus dominus Episcopus, nec eius familia, & quilibet homo bonæ famæ posſit contrafacientes accusare, & ei iuramento credatur: & præsens capitulum teneantur omnes ferrarii iurare, quando alii meistrales iurabunt attendere & obseruare, sub pœna solidorum decem, pro quolibet & qualibet uice.

De non ferripedando in via porta Vici. Capue X.

ITEM statutum est, quòd nullus ferrarius, seu aliqua persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat ferripedare aliquam, seu aliquas bestias, cuiuscunque generis censeantur, in uia tendente a platea uersus portam Vici, uidelicet a parte subtrana dictæ uiæ, hoc est, deuersus domos subtranas, a medietate ipsius uiæ deorsum, sub pœna solidorum decem, pro quolibet & qualibet uice: nec in ipsa parte uiæ aliquod animal medicinare seu foroborari, sub eadem pœna: Sed a media uia desursum, uidelicet a parte suprana per quam continue transitus non est, posſit quicunque impunè prædicta facere. Et milites & familia curiæ, & quælibet alia persona posſint contrafacientes accusare, & habeant

tertiam

tertiam parrem banni, qui officiales curiæ teneantur sæpe ad uidere, & contrafacientes accusare, uinculo sui iuramenti.

De inferriatura presoneriorum. *Caput* XI.

ITEM statutum est, quòd ferrarii qui habent inferriare & disferriare presonerios, habeant pro inferriatura & disferriatura, illorum quibus imponerent compedes, ut infra scilicet, ab illo qui esset multum diues, solidos sex, a mediocre solidos quinque, a minore solidos tres, & teneantur habere compedes suas; & si compedes amitterentur fuga carcerati, debeant sibi emendari de bannis communium, & nemo nisi ipsi posint aliquem disferriare, sub pœna solidorum quinque, pro quolibet & qualibet uice; & si prædicti ferrarii noluerint prædictum capitulum obseruare, quòd D. Vicarius seu Iudex posint dictum officium exercepi facere aliis ferrariis quos uoluerint.

De ferrariys rusticanis *Caput* XII.

ITEM statutum est, quòd ferrarii teneantur & debeant reconzare sapam pro solidis nouem, ponendo quatuor uerghazazali, & massam pro solidis octo, & cutram pro solidis quatuor, & recauzare securim pro solidis quatuor, & euzare sapam seu massam pro denariis sex; & uendere libram sui ferri lauorati pro solidis duobus, & non ultra, sub pœna solidorum quinque, pro quolibet contrafaciente & qualibet uice; & si quis dederit eis ferrum ad laborandum, teneantur ipsum ferrum laborare pro tanto pretio quanto constiterit ferrum, sub eadem pœna & banno, & quælibet persona bonæ famæ posit contrafacientes accusare. Ab extraneis uero posint dicti ferrarii accipere secundum quod inter ipsos poterint conuenire. Et teneantur dicti ferrarii quando alii meistrales iurabunt, iurare præsens capitulum obseruare, sub pœna solidorum uiginti.

De caligarys. *Caput* XIII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona cuiuscunque conditionis existat, non posit nec debeat facere, uel fieri facere sotulares, solas, nec in aliquo labore, ponere aliqua coria muli, asini, caualli seu cauallæ, sub pœna pro quolibet pari sotulariorum, solidorū uiginti Asten. & ultra dicti sotulares inuenti facti talibus coriis, cōburantur, & quælibet persona bonæ famæ posit contrafacientes accusare, & habeat tertiam partem banni.

De affeitatoribus & caligarijs. *Capur* XIIII.

ITEM statutum est, quòd quilibet caligarius seu affeitator coriorum, tenere debeat coria diligenter in affeito bono de galla per spacium nouem mensium ad minus, & pelles etiam tenere debeant in bono affeito, scilicet de mortareisio per spacium quod sint diligenter affeitatæ. Nec posśint seu debeant ipsi caligarii, seu affeitatores pro affeitando dicta coria seu pelles prædictas ponere in affeito ipsorum ruscã aliquarum arborum, & qui contra fecerit, incurrat pœnam solidorum decem pro quolibet corio & pro qualibet pelle, & quilibet homo bonæ famæ posśit contrafacientes accusare & etiam familiares domini Vicarii, & milites, & habeant tertiam partem banni, ut supra. Et etiam teneatur quilibet uenditor solarum, habere solas ad modamen communis quod est signatum in lapide cisternæ. Et quicunque uendiderit, seu penes se habuerit solas uenales in minori modano seu modanis communis, signato uel signatis in lapide prædicto, soluat pro pœna & banno solidos quinque pro quolibet & qualibet uice, & quilibet homo bonæ famæ posśit contrafacientes accusare, & habeat quartam partem banni.

De dorarijs & eorum officio. *Caput* XV.

ITEM statutum est, quòd nullus dorarius uel exercens artem dorariæ undicunque sit, uendat seu uendi faciat, laboret seu laborari faciat in ciuitate MontisRegalis uel eius districtu, aliquod argentum suum uel alienum, quod sit de minori liga octo denariorum, nec posśit laborare seu laborari facere, uendere, seu uendi facere, aliquod aurum quòd sit de minori liga caratorum decem & octo, sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente & qualibet uice librarum decem, & ultra dictam pœnam, rauba facta seu uendita, contra formam præsentis capituli, comburatur in platea ciuitatis MontisReg. Et uenditor teneatur emendare raubam emptori in duplum, scilicet illam raubam quæ combusta fuerit ut supra. Et prædicta teneantur dorarii iurare, attendere, & obseruare. Et super prædictis D. Vicarius posśit & debeat inquirere ad suam uoluntatem.

De fornarijs. *Caput* XVI.

ITEM statutum est, quòd quilibet fornarius teneatur coquere sextarium grani & alterius bladi pro denariis sex, pro

lignis

lignis & pro fornatico pro pannis sex tantum toto anno, & si plus caperet, soluat bannum solidos quinque, pro qualibet uice, Et si fornarii fecerint aliquam coniurationem, seu ligam, soluant pro banno pro quolibet & qualibet uice solidos uiginti, & istud capitulum teneantur fornarii iurare, attendere, & obseruare, sub pœna solidorum sexaginta. Et teneantur fornarii sub iuramento recipere panem ad numerum, & ipsum numerare & reddere bene coctum & bene aptatum pro dicta mercede, sub dicto banno solidorum uiginti pro qualibet uice. Et dominus & domina panis, teneantur fornarium contrafacientem accusare, uel accusari facere, & ei iuramento credatur, & semper sit in electione illius cuius esset panis, dare panem uel denarios pro fornatico, & dare pecuniam uel ligna pro calefaciendo furno. Et teneatur tenere locum de coquentibus ad furnum, sub pœna solidorum quinque, & non possint exercere dictum officium donec iurauerint, sub pœna solidorum decem, & de prædictis possit inquiri per curiam semel in anno, & pro ipsa inquisitione soluere unum bannum tantum & non ultra.

De furnis cooperiendis. Capu XVII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius teneatur facere quòd omnes furni, seu ædificia in quibus sunt, debeant cooperiri per illos fornarios qui eos tenent de copis, seu tegulis, uel scandalis, uel labeis, & facere fumerium qui vadat desuper totum per unum rasum, qui fornarii hoc facere teneantur, sub pœna solidorũ decem, & D. Vicarius teneatur facere præconizari per tercerios dictæ ciuitatis infra unum mensem postquam intrauerit regimen, & contrafacientes inquirere de tribus in tribus mensibus. Et quòd aliquis fornarius, seu aliqua alia persona, non possit nec debeat prope furnum seu furnos, habere seu tenere uel facere aliquam foueam, imo teneatur tenere aquam de qua operatur in furno, seu ad furnum in aliquo uase ligneo, & qui contra fecerit, soluat pro pœna & banno solidos quinque, pro quolibet & qualibet uice, & qualibet persona tam familiares D. Vicarii & Iudicis, quàm quilibet alius, possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur.

De mensuris fieri faciendis. Capu XVIII.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius infra tres menses

postquam iurauerit, teneatur fieri facere expensis communis infrascriptas mensuras, si placuerit consilio, uidelicet sestarium unum, heminam unam, cazolium unum, pintam unam, rasum unum, & unam cannā, libram, & mediam libram, & modanum solarum, & alias mensuras necessarias communi. Ad quas mensuras recognoscantur omnes aliæ mensuræ specialium persona rum ciuitatis Montis Regalis: quæ mensuræ ponantur, & custodiantur per unum bonum hominem ad hoc electum per consilium, salario sibi ordinato per rationatores, qui electus teneat ipsas mensuras, & de ipsis teneatur facere copiam uolentibus alias recognoscere. Et custos dictarum mensurarum, teneatur, & debeat finito tempore sui officii ipsas consignare in manibus Syndici, & quotiescunque de dictis ponderibus, & mensuris fecerit copiam alicui, teneatur uinculo iuramenti pignus ab illo, cui fecerit copiam, de ipsis mensuris restituendis accipere.

De mensura uini. *Caput* XIX.

ITEM statutum est, quòd mensura uini, uidelicet sestarium uini, uel alia mensura, ad quam mensuratur uinum, debeat tenere, & esse de pintis quinquaginta duabus, ad pintam Ianuensem, & non plus, uel minus, & qui contrafecerit huic capitulo, uenditor, uel emptor mensurādo uinum, quilibet eorum, soluat bannum solidos tres, pro quolibet, & qualibet uice. Et Syndicus cōmunis, teneatur fieri facere unam pintam de vitro factam in forma unius amolæ, ad quam mensurentur, & stancientur omnes sestarii, & minæ.

De molinariis, paratoriis, & batenderiis. *Caput* XX.

ITEM statutum est, quòd omnes illi, qui habent batenderios capiant de quolibet malleo, de quo erit una gombata canabi, solidos duos, & non plus, & qui contrafecerit, soluat pro qualibet uice solidos uiginti pro banno, & illa persona, cuius fuerit canabū, possit, & debeat, si sibi placuerit, tenere nuncium suum ad batendum, seu aptandum, & custodiendum, pro prædicto pretio, sine eo quòd soluatur eidem battitrici, uel battitori, seu eius locum tenenti, nisi solummodo solidos duos, ut supra. Et si battere non permitteret, quòd incurrat pœnam solidorū uiginti. Et paratores parare teneantur teisam pāni, sicut exit de textore pro denariis sex, & si aliquod paratorium laborabit absq; quòd aliqua persona idonea sit ad custodiam ipsius paratoris, parenderius soluat bannum solidos quinque, pro

quolibet

quolibet,& qualibet uice. Et illi, qui habent paratoria, & battenderia debeant tenere suum locũ, ut molinarii,sub pœna sol. decem , & parare, & battere uinculo sui iuramenti omnibus personis de ciuitate MontisRegalis,& posse,antequã extraneus licet prius,& ante dicti extranei haberent eorum pannum , siue canabum ad dictum paratorium,siue battenderium, quòd si facere recusarent dicti battitores, uel paratores, seu eorum locatenentes, quòd tunc talis persona de ciuitate MontisRegalis, & posse,ibi battere,seu parare posit,& debeat pannum, seu canabum extranei eiicere extra pilam paratoris,& batenderii licitè, & impune,& ibi parare,& battere priusquã extraneus ad suam uoluntatem, soluendo tamen eisdem paratoribus, & battitoribus, id quod in capitulo continetur. Molinarius uero habeat unum cazolium,quòd sit uigesima quarta pars sestarii,& uiginti quatuor cazolii, faciant unum sestarium,& non plus,& ad illud cazolium capiatur motura ad rasum toto anno, & non ad aliud, & qui contrafecerit, soluat pro banno solidos quadraginta,pro qualibet uice, & totidem qui inuentus fuerit tenere cazolium, nisi prædictum de mensura.Et molendinarii,teneantur, & debeant ita facere aptare, & tenere garbolas ad Valambrum circa molas, quòd in omni parte garbola, non distet a mola superiori, ultra unum digitum pollicis,sub pœna solidorum sexaginta,saluo quod per locum, ubi exit farina dicta garbola, posit distare per duos digitos a mola. Et cazoli debeant omnes esse signati de ferro speciali communis ciuitatis MõtisReg:& fiat per dictos molinarios medium cazolium, qui teneat medietatem dicti cazolii,ad accipiendum moturam minæ bladi . Et quòd molinarius non posit capere moturam de aliquo blado , nisi in præsentia illius, cuius fuerit bladum, uel qui ipsum portauerit.Et quilibet molinarius, teneatur habere, & tenere ad molendinum dictum cazolium, & medium cazolium.Et quilibet molinarius, qui in aliquo de prædictis contrafecerit, soluat bannum solidos decem Asten. & dominus Vicarius, & Iudex teneantur ter in anno inquirere per duos homines de quolibet tercerio, quorum accusationibus credatur. Et quilibet tam illi inquisitores, quàm alii homines bonæ famæ posint accusare, & credatur eis, & habeat quilibet accusator quartam partem banni, & hoc iurent dicti inquisitores facere bona fide, & legatur præsens capitulum ter in anno in cõcione.

De

De rastellis canalibus molendinorum, battenderiorum, & paratorum tenendis. *Caput* XXI.

ITEM statutum est, quòd quilibet habens rotam seu tenens in flumine Elleris, uel aliorũ fluminũ in posse ciuitatis MontisRegalis, teneatur & debeat continuè tenere & habere in principio canali seu trogli, unum rastellum, qui rastellus habeat grauiglonos vnum prope alium per unum semisse, sub pœna solidorũ uiginti. Et quilibet posit accusare, & habeat quartam partem banni, & ei iuramento credatur. Et D. Vicarius inde posit & debeat facere inquisitionem.

De galla non molenda ad molendina. *Caput* XXII.

ITEM statutum est, quòd aliquis molinarius non audeat uel præsumat molere, seu moli facere, gallam uel ruscham ad aliquod molendinum ubi molatur granum seu bladum, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet uice, & quilibet, tam familiares D. Vicarii, quàm alii, posint contrafacientes accusare, & ei & cuilibet eorum cum iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni. Et quilibet molinarius, qui iurabit officium suum, teneatur iurare, attendere, & obseruare, & attendi & obseruari facere omnia prædicta. Et si aliquis molinarius sciuerit quòd aliquis faceret contra præsens capitulum, teneatur illa talis persona accusare, & denunciare D. Vicario, Iudici, & notario curiæ, & etiam de prædictis posit fieri inquisitio per curiam. Eo saluo quòd galla posit moli ad unum molendinum eis datum & assignatum per D. Vicarium & syndicum, sine aliquo banno, quod molendinum requirere teneantur dicti habentes gallam infra unum mensem postquam molendina fuerint uendita, & quòd ultra dictam pœnam incurrat quilibet molinarius, si ad molendinum moleretur aliquod bladum, quod deterioraretur, quòd incõtinenti ipsum bladum emendare teneatur illi cuius esset dictum bladum deterioratum.

De non battendo borram in platea uel in strata publica. *Caput* XXIII.

ITEM statutum est, quòd nemo posit uel debeat battere borram in platea ciuitatis MontisRegalis, nec etiam in aliqua strata publica, seu in aliquo alio loco, propter quòd tedium inferre seu nocere posit uicinis, seu aliis transeuntibus per uiam publicam, sub pœna solidorum quinque pro quali-

bet

bet uice. Et D. Vicarius inde posſit & debeat inquirere, & quilibet homo bonæ famæ posſit contrafacientes accuſare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De basterys. *Caput* XXIIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet basterius teneatur facere formam basti aſinorum pro denaris quindecim, de rebus illius cuius fuerit baſtum, excepto filo, & forratura, basti groſsi, pro denariis uiginti, & teneatur ponere borram pro denariis quatuor pro libra, de gambeglis, & illam de paratorio, pro denariis quinque, tam in baſtis quàm in ſellis, alienam uero borram, teneantur ponere pro uno denario. Et D. Vicarius teneatur facere iurare omnes basterios, & ſi aliquis basterius contrafecerit, ſoluat bannum pro qualibet uice qua magis caperet, ſolidos decem. Et baſterii qui faciunt baſtos, teneantur iurare quod obſeruabunt præſens capitulum, ſub pœna ſolidorum decem pro quolibet, & qualibet uice, & quilibet homo bonæ famæ poſsit contrafacientes accuſare, & ei cum iuramento credatur, & ſuper hòc per curiā poſsit inquiri.

De fileriys. *Caput* XXV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd fileriæ quæ filant lanam, non faciant aliquam fraudem in faciendis grumiceglis, uidelicet quòd in ipſis non faciant initium de lapide, nec de aliquo alio, præterquam de filo, ſub pœna ſolidorum trium pro qualibet uice & pro qualibet fœmina, & ſi qua fileria deuaſtaret lanam ſibi datam ad filandum, occaſione quod eſſet male filata uel alia occaſione, teneatur emendare in duplum, & credatur datori lanæ iuramento ſuo, tam de lana data, quam de fraude eius, et dāno facto in ipſa lana, dummodo ſit homo bonæ famæ.

De textoribus & textricibus panni, & de menſuris.

Caput XXVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet textor & textrix debeant habere teiſam ordinatam orditoriam, ad quam texitur pannus, ita magnam ſicut eſt, illa conſueta, duodecim palmorum, ad quam menſuratur: ita quod pannus orditus inueniatur ſemper ad menſuram prædictam, & qui contra fecerit, ſoluat bannum pro qualibet vice, ſolidos quinque. Et hoc teneantur inquiſitores inquirere & ordinare dictas teiſas infra quindecim dies poſt ingreſſum ſui regiminis. Qui inquiſitores non poſsint nec debeant capere aliquid ab aliqua perſona, pro cognoſcendis

gnoscendis mensuris & scandaglis, uel alias mensuras siue teisas, sed sint contenti eorum parte banni. Vbi uero mensuræ non essent iustæ, uel fierent de nouo, capiant quod consuetum est. Et contrafaciens soluat pro banno solidos quinque pro qualibet uice, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Eo saluo quòd quilibet textor, seu textrix habeat pro textrura & orditura cuiuslibet teisæ panni, denarios decem octo, & non ultra, & si plus acceperit, soluat pro banno solidos decem pro qualibet uice, & eandem pœnam incurrat qui recusauerit texere pro prædicto pretio, & ultra dictam pœnam interdicatur dicto officio, & interdictum sit; & si fecerit, soluat bannum pro qualibet uice solidos uiginti. Et habeat locum præsens capitulum in omnibus textoribus & textricibus ciuitatis MontisRegalis & ibi habitantibus. Et teneantur facere pannum de octo ligaturis & non minus, sub eadem pœna & banno.

De non ponendo pilos bouinos, uel asininos in panno.
Caput XXVII.

ITEM statutum est, quòd nulla persona de ciuitate Montis Regalis, uel posse, uel ibi habitans, debeat ponere, uel poni facere, uel exerceat sub aliquo ingenio pelatam in panno, nec pilos bouinos, asininos, caprinos, uel porcinos, nec illos pannos uendere, in ciuitate MontisRegalis, uel poderio, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet, & qualibet uice. Et dictos pãnos debeant cõburi facere in platea MontisReg Et quilibet homo bonæ famæ possit cõtrafacientes accusare, & habeat quartam partem banni, Et dominus Vicarius, seu Iudex, teneatur facere iurare textores, & textrices pannorum, quòd non texent dictos pannos. Et custodientes paratoria, quòd non parabunt, nec parare permittent dictos pannos. Et si aliquis emerit dictum pannum, postquam ei ab aliquo dictum, uel denunciatum fuerit de dictis pilis, in dicto panno, quòd teneatur accusare illum, qui ei dictum pannum uendiderit, sub pœna solidorum uiginti, & dominus Vicarius, teneatur facere restitui dictum pannum ab illo, qui eum uendidisset illi, qui eum emisset incontinenti. Et dominus Vicarius teneatur ponere custodes, & facere inquisitionem, & ipsis custodibus eorum iuramento credatur.

De non uendendo pannum sarcitum in rota.
Caput XXVIII.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona undecunque sit, nõ audeat uendere, uel emere in platea a decem cãnis supra, uel apportare, seu apportari facere aliquem pannum sarcitum, in rota canonatum, sub pœna, & banno solidorũ quinque, pro quolibet, & qualibet uice. & eandem pœnam soluat, penes quem dictus pannus reperiretur. Nec possit aliquis emens, uel uendens pãnum tenere, uel habere subium, uel rotam, ad tirandum pannos, sub pœna, & banno solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet uice: & quilibet homo bonæ famæ, possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et teneatur D. Vicarius hoc facere cridare quolibet mense. Et hoc intelligatur de pannis, qui fuissent tirati ad subiũ, seu rotam, quòd debeant cognosci per tres homines electos in cõsilio. Alios autem pannos, qui non fuissent tirati ad subium, seu rotam, quilibet possit tenere, emere, & uendere ad suã uoluntatem, sine pœna, & banno, & omnes mercatores, & alii facientes toto anno pannũ ad uendendum ab una petia supra in anno, teneantur iurare dictum capitulum attendere, & obseruare, sub pœna solidorum quinque.

De uendendo pannum sarcitum ad cannam. *Caput* XXIX.

ITEM statutum est, quòd nemo de ciuitate MontisRegalis, & eius iurisdictione, nec aliqua alia persona uendat, seu emat in dicta ciuitate, & iurisdictione pannũ sarcitum ad aliquam mensuram, nisi ad teisam, seu cãnam consuetam duodecim palmorum iustam, de qua cãna quælibet persona utatur emendo, & uendendo, sub pœna solidorum uiginti, pro qualibet uice.

De textatoribus, & textricibus telæ. *Caput* XXX.

ITEM statutum est, quòd quilibet textor, seu textrix capiat tantum pro texitura, & orditura, pro qualibet teisa telæ subtilis lini, solidos quatuor: de teisa telæ ristæ, solidos tres, cum dimidio: de teisa telæ stopæ, solidos tres: & de groppis solidos duos: de teisa mantilis largorum, solidos octo: de mezanis, solidos sex: de minoribus, solidos quinque: de teisa soaglorum, solidos tres: & qui ultra acceperit, incurrat pœnam solidorum quinque Asten. pro qualibet uice. Et teneatur de suo proprio cassare, & ungere bene, & competenter telas, quas faciunt, habendo ultra salarium suprascriptum pro dicto casso denarios

duos, pro qualibet teiſa telæ orditoriæ, & qui ultra acceperit, ſoluat bannum ſolidos decem, pro quolibet, & qualibet uice. Et dicti textores, & textrices, quando alii meiſtrales iurabunt, teneantur iurare præſens capitulum attendere, & obſeruare,& eis legatur præſens capitulum. Et ipſi textores, & textrices, teneantur ſub eadem pœna tenere locum primo,& ſecundo,ſicut tenerent molinarii: & ſi dicti textores,& textrices,uel aliqui ex ipſis nollent dictum officium exercere pro dicto pretio, quod eis interdicatur, & eis interdictum ſit dictum officium, uſque ad duos annos proxime ſequentes,& ſi exercerent dictum officium, ſoluant pro pœna, & banno, pro qualibet uice,qua contrafecerint,ſolidos uiginti,& de prædictis omnibus,& ſingulis, quilibet homo bonæ famæ poſsit contrafacientes accuſare,& ei cum iuramento credatur,& habeat quartam partem banni.

De fornaſſeriis. *Caput XXXI.*

ITEM ſtatutum eſt, quòd fornaſſerii de ciuitate MontisRegalis,uel poſſe,uel ibi habitantes,facientes calcinā uenalem, habeant,& habere teneantur menſuras iuſtas, ſignatas ſigno communis,& ſtanciatas per ſtanciatores communis, & alias minime.Et quilibet fornaſſerius,qui non haberet,uel ad aliā menſuram menſuraret, aut uenderet, incurrat pœnam ſolidorum ſexaginta, pro quolibet, & qualibet uice. Et teneantur, & debeant prædicti fornaſſerii dare ſeſtarium calcinæ,de rubis quinque,pro ſolidis quatuor de calcina graua, & de affiorata pro ſolidis duobus cum dimidio,& qui contrafecerit de prædictis in aliquo, ſoluat dictam pœnam, & reſtituat emptori illud, quod plus ſoluiſſet. Et debeant facere lateres, & copos ad modanum communis, ſub pœna ſolidorum uiginti, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, & dare centum monos pro ſolidis decem, & centum copos, pro ſolidis uiginti, & non ultra,ſub eadem pœna poſsint uendere,& quilibet homo bonæ famæ,poſsit de prædictis accuſare contrafacientes,& ei cum iuramento credatur,& habeat quartam partem banni.

De ſartoribus, & acimatoribus. *Caput XXXII.*

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliquis ſartor impignorauerit aliquam robam ſibi ad faciendum datam,D. Vicarius,& Iudex, teneantur eum capi facere, & detineri perſonaliter in carceribus,quouſque reſtituerit rem impignoratam,& ille,qui recepiſſet dictam robam in pignore, teneatur eam reſtituere,

ſine

ſine aliquo pretio, & ſine aliquibus denariis, illi cuius eſſet dicta roba, & de dicta pignoratione credatur ſartori ſuo iuramento, qui dictam robam impignoraſſet, & quælibet perſona bonæ famæ quæ iurare uoluerit ſe dediſſe robam ſartori, de ipſa roba credatur ei cum iuramento. Et ſi ipſe ſartor ſeu eius famulus, uel habitans cum eo, dictam robam impignorauerit ſeu alio modo alienauerit, quòd ſoluat pro banno ſolidos uiginti pro quolibet & qualibet uice, & nihilominus detineatur ut ſupra. Et quilibet ſartor ſeu acimator, qui habuerit ab aliquo mercatore, ſeu aliqua alia perſona, pannum in comenda, uel alio modo, teneatur eum reſtituere illi a quo habuerit, alio quin detineatur in carceribus, donec fecerit prædictam reſtitutionem, qui uero acimatores capere poſsint pro eorum acimaturis pro raſo panni Toloſſ. denarios octo, & pro raſo pannorum de Francia ſolidum unum, & non ultra, ſub pœna ſolidorum quinque pro qualibet uice.

De tabernariis. *Caput* XXXIII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet qui uoluerit uendere uinum ad minutum in ciuitate MontisRegalis & poſſe, teneatur & debeat illud uendere ad iuſtam pintam communis cuilibet, & qui contra fecerit ſoluat bannum ſolidos decem pro qualibet uice. Et quilibet tabernarius & alia perſona uendens uinum ad minutum, teneatur habere iuſtam mediam pintam, ſub dicta pœna. Et qui uenderit ſeu dederit ad mancham pintam ſeu menſuram, ſoluat eandem pœnam, & ſuper his D. Vicarius poſsit inquirere ad ſuam uoluntatem, & de prædictis tam familia curiæ, quàm alii poſsint accuſare, & eis cum iuramento credatur, & habeant quartam partem banni. Et non poſsint dicti uenditores uini menſurare, ſeu menſurari facere, uendere ſeu uendi facere, uinum ad copam ſeu miolium, uel ad aliud uas, niſi ad dictas menſuras contentas in præſenti capitulo, ſub pœna ſolidorum trium, pro quolibet & qualibet uice. Et D. Vicarius teneatur infra quindecim dies, poſtquam iurauerit regimen, cridari facere præſens capitulum per ciuitatem MontisRegalis. Et miles uel familia D. Vicarii non poſsint nec debeant inquirere de uino menſurato, utrum fuerit bene aut male menſuratum, poſtquam uinum per aliquam perſonam fuerit extractum extra tabernam, nec ipſum uinum illi qui illud portaret menſurare, uel auferre cauſa menſuran-

di, & si fecerint uel inuenerint dictum uinum male mensuratum, uel manchum quòd ex hoc non posint tabernarii accusari, dum tamen tabernarius habeat iustas mensuras.

De piscatoribus, & pisces, ac alias saluasinas vendentibus.
Caput XXXV.

ITEM statutum est, quòd pisces recentes, & aliæ saluasinæ teneantur ad uendendum ut infra, scilicet in platea dictæ ciuitatis, in consurtio Plani uallis, in consurtio Breduli, & in consurtio Carassoni, & non alibi, sub pœna solidorum quinque, pro qualibet uice: & omnes piscatores & uenatores teneantur apportare omnes pisces & saluasinas, quos & quas pro uendere habuerint in simul in platea communis, siue locis prædictis, & ibi eos uendere sub pœna solidorum quinque. Saluo quòd piscatores posint uendere pisces usque in denariatas duodecim, ubique & cuilibet personæ uolenti emere impunè. Et quilibet posit emere pisces impunè si uoluerit, sine aliquo banno, & similiter omnes saluasinas dummodo non emat causa reuendendi. Et aliquis piscator per se uel alium, seu aliquis pro eo, non posit extrahere, seu extrahi facere aliquos pisces de posse dictæ ciuitatis, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet vice, & super hoc posit fieri inquisitio. Et aliqua persona; quæ non soluat fodrum, seu taleam in ciuitate MontisRegalis, & posse, non posit piscare in dicta ciuitate, uel posse, sub pœna solidorum sexaginta. Et quælibet persona posit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni. Et si aliquis extraneus piscaret cum naui, amittat ultra dictum bannum dictam nauem, & quilibet posit dictam nauim capere, & sibi retinere, & lucretur ipsam nauim. Et quælibet persona, quæ apportauerit, seu habuerit pisces ad uendendum in platea, seu in consurtio Vallis, teneatur ibi ipsos uendere, & tenere quousque uendiderit, & si eos reportauerit, teneatur dictis piscibus auferre caudam, usq; ad pulpam piscis, uidelicet, piscibus ualentibus ultra solidum unum, & hoc sub pœna solidorũ quinque, pro quolibet & qualibet uice. Et teneantur dicti piscatores, seu uendentes pisces dare libram botarum, strionorum, & piscium minutorũ, pro uno solido, item libra trutarum, et temaridorũ, pro uno solido, cum dimidio, & libram anguillarum, pro duobus solidis cum dimidio, & libram aliorum piscium, cuiuscunque generis sint de

aquis

aquis dulcibus, pro uno solido, & qui contrafecerit, soluat bannum solidos quinque, pro singulo die.

De piscatoribus cum calce uel calcina.
Caput XXXIIII.

ITEM statutum est & ordinatum, quòd nulla persona cuiuscunque conditionis existat, audeat uel præsumat piscari uel piscari facere in aliquibus fluminibus præsentis ciuitatis & districtus, cum calce, nec ullo modo ipsam calcem uel morbum in aqua spargendo, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet uice, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & eius iuramento credatur, & habeat tertiam partem banni.

Quòd tabernarij non possint emere pisces seu perdices.
Caput XXXVI.

ITEM statutum est, quòd nullus tabernarius audeat uel præsumat per se uel interpositam personam, emere pisces in aliqua parte dictæ ciuitatis in plano, uel alibi, sub pœna solidorum decem pro quolibet & qualibet vice. Eo saluo quòd quilibet tabernarius, possit emere seu emi facere in platea publicè usque in solidatis quinque piscium, pro quolibet die tantum, & non vltra, sine pœna & banno. Nec etiam audeat uel præsumat emere perdices ultra duas, sub eadem pœna, & de prædictis possit inquiri per curiam, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De perdicibus in platea vendendis, & non extrahendis de ciuitate Montis Regalis, & de non pernicando ad manicam. *Caput* XXXVII.

ITEM statutum est, quòd omnes perdices uendantur in platea ciuitatis MontisRegalis, & qui habuerit eas ad uendendum, debeat omnes insimul apportare palam, & qui contra fecerit, soluat bannum solidos decem pro quolibet & qualibet uice, nec aliquis audeat eas uendere alicui extraneo, portare uolenti extra territorium dictæ ciuitatis, sub pœna solidorum decem, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice. Et aliquis non possit vendere vel emere ultra perdices duas, nisi in platea maiori & publicè, sub pœna & banno pro quolibet emente & uendente solidorum decem. Et aliqua persona non possit extrahere de ciuitate MontisRegalis uel posse, sub pœ-

na unius solidi pro qualibet perdice, & amissionis dictarum perdicum. Et si qua persona inuenta fuerit portando uel habendo perdices penes se, nisi ueniendo uersus dictam ciuitatem præsumatur eas extrahere de posse MontisRegalis, & incurrat dictam pœnam, & de prædictis possit inquiri per curiam, & quælibet persona bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & lucretur perdices. Eo saluo quòd pernicatores habentes penes se in domibus eorum sine fraude, non incurrant pœnam prædictam. Et aliqua persona non audeat uel præsumat capere perdices ad manicam, siue ad aliud simile ingenium, in posse dictæ ciuitatis a festo sancti Martini, usque ad festum carnispriuii proxime sequentis, sub pœna & banno solidorum sexaginta. Et teneantur prædicti pernicatores apportare in simul omnes perdices quas capient in finibus dictæ ciuitatis & posse, ad uendendum publicè in platea dictæ ciuitatis. Saluo quod possint uendere & dare usque in duas perdices, sine eo quòd portent eas in platea, sine pœna & banno, & non possint uendere perdices ultra solidos duos cum dimidio, pro qualibet perdice, sub pœna solidorum quinque & amissionis perdicum, & de omnibus contentis in præsenti capitulo, quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni, & de prædictis possit inquiri per curiam.

Item additum est, supra dum dicitur, quòd pernicatores nō audeant, vel præsumant capere perdices ad manicam, &c. a festo sancti Martini, usque ad festum carnispriuii &c. intelligatur quòd possint eas capere, impune a festo sancti Martini, usque ad festum carnis priuii, tunc proxime subsequentis, alio uero tempore non, sub pœna in capitulis contenta.

De coturnicibus non capiendis. *Caput* XXXVIII.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd de cetero nulla persona audeat, seu præsumat, uenari ad qualias, quouis modo, super finibus, & territorio dictæ ciuitatis a mense Augusti citra, nisi a mense Augusti ultra, sub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet uice, qua contrafactum fuerit, cuius pœnæ medietas applicetur fisco Ducali, & alia medietas accusatori, & quilibet homo bonæ famæ possit contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur.

De

De columbis non capiendis. *Caput* XXXIX.

ITEM statutum est, quòd nulla persona, undecunque sit, audeat capere columbos ad filatum, seu ad trapolas, sub pœna solidorum sexaginta, pro quolibet & qualibet uice, nec audeat etiam occidere, seu percutere columbos domesticos, qui nutriuntur in columberiis, seu domibus cum balistris, lapidibus, baculis, uel alio modo, sub eadem pœna, & emendetur dānum illi, cui datum fuerit arbitrio duorum uirorum bonorum, per D. Vicarium eligendorum. Et qui lacerasset, seu caperet filatum, uel tales trapolas nullam pœnam incurrat, & curia possit inquirere contra omnes contrafacientes, etiam quilibet homo bonæ famæ possit accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeat medietatem banni.

De reuenditricibus fructuum, & panateriys. *Caput* XL.

ITEM statutum est, quòd reuenditrices fructuum non possint, nec debeant per se, nec per alios emere fructus, nisi post nonam, & qui contrafecerit, soluat pro pœna, & bannio solidos tres. Et reuenditrices, nec panateriæ stando ad uendendum panem, & fructus, carminare, nec filare debeant, sub eadem pœna, nec aliqua alia persona, quæ fructus, uel panem uenderet. Et quòd aliqua persona uendens fructus, non possit, nec debeat uendere fructus extra ciuitatem MontisRegalis, & hoc intelligatur de reuenditricibus, & reuenditoribus alliorum, ceparum, raparum, caulium, & pomorum, & qui contra fecerit, soluat pœnam prædictam. Et D. Vicarius, teneatur, & debeat super prædictis ponere accusatores, & inquisitionem facere, & quilibet homo bonæ famæ, & familia D. Vicarii, possint contrafacientes accusare, & habeant tertiam partem banni, & fructus.

De stanciatoribus, & stancia tenenda. *Caput* XLI.

ITEM statutum est, quòd D. Vicarius faciat fieri stanciam, ut infra. Et quòd stanciatores non possint, nec debeant uendere carnes, plusquam eas uendunt macellarii, antequam fiat stancia per ipsos, sub pœna solidorum sexaginta. Et commune teneatur per Syndicum restituere stanciatoribus illud, quòd iurauerint se amisisse, quando uendiderint pro stancia facienda. Et ipsi stanciatores, teneantur dare stanciam, secundum temporum diuersitatem omnibus uenditoribus olei, candelarum de seuo, casei, saracii, carnium salsarum, & recentium, piscium, & pa-

nis, & secundum quòd ipsi stanciatores circa stanciam, ordinauerint obseruetur, qui stanciatores eligantur, de sex in sex mensibus, & mutentur sicut alii officiales. Et D. Vicarius possit, & debeat cōstringere dictos stāciatores, ad dictas stātias dandas, quotiens ei uidebitur, & intellexerit fore oportunum, & saltem de mense in mensem, & semper duret stancia, donec de nouo data fuerit, & qui uendiderit plus stancia ordinata, soluat pro banno solidos decem, pro qualibet uice. Quod capitulum intelligatur super reuenditoribus, qui dictas res reuendunt ad minutū, super aliis uero non, & quilibet tam familia D. Vicarii, quàm alii, possint contrafacientes accusare, & ei cum iuramento credatur, & habeant quartam partem bāni. Et dominus Vicarius, si fuerit requisitus elapso mense stanciæ, per duos ex macellatoribus, de dando stācia de nouo, teneatur eis dari facere dictam stanciam, & si dicta stancia eis non dabitur, tunc macellarii non teneantur stanciam veterem obseruare, donec ipsis data fuerit de nouo, dummodo dicta requisitio fiat, & scribatur in die Iouis, ita quòd haberi possit copia de stanciatoribus in de sabbati proximè sequentis.

Quòd quibuslibet ementibus suum pondus tribuatur.

Caput XLIII.

ITEM statutum est, quòd quilibet venditor, teneatur sub pœna periurii, uendere aut reuendere quascunque res quas tenebit ad uendendum aptas ad ponderandum ad bilancias seu stateras æquales & iustas in cordis seu funibus, & pondere ac catenis appensas & affixas alicui rei, itaquod sint firmæ, & pondera iusta tradantur, & etiam teneantur cuilibet emere uolenti ad scandaglium, ponderare ad scandaglium ab una libra supra cuiuscunque rei aptæ ponderari ad ipsum pondus, sub pœna in suprascripto capitulo contenta toties committenda, quotiens fuerit contrafactum.

De recognitoribus mensurarum & de pane minoris ponderis.

Caput XLIIII.

ITEM statutum est, quòd recognitores mensurarum communis, non possint nec debeant pro inquisitione ponderum & mensurarum, quæ & quas inuenient iustas & iusta aliquid exigere uel accipere, sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente, solidorum quinque, & sub pœna restitutionis eius quod acceperint, & stanciatores teneantur dare stanciam panis

quousque

quouſque fuerint requiſiti, per D. Vicarium, ſecundum temporum diuerſitatem, & uenditores, ſeu uenditrices panis teneantur uendere panem,& dare pro dicta ſtancia, ſub pœna ſolidorum quinque, pro quolibet, & qualibet uice, & fractionis panis,& fractus reddatur eiſdem uenditoribus, & eandem pœnam incurrat quælibet perſona uenditrix, ut ſupra, penes quã panis uenalis minoris ponderis quàm eſſe debeat reperiretur, ſecundum formam ordinatam per ſtãciatores, ſaluo quàm pro quatuor panibus, uel minus, qui non eſſent de pondere, nulla pœna patiatur, niſi ſolummodo panis frangatur. Et tam familiares domini Vicarii, quàm alii poſsint contrafacientes accuſare, & eis iuramento credatur, & habeant quartam partem banni.

De pedagijs, & pedagerijs. *Caput* XLV.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona extranea, uel de ciuitate MontisRegalis, uel diſtrictus ducens mercantias extraneorum, uel extranei, cum beſtiis, & mercantiis debeat ſoluere pedagium conſuetum pedageriis, & tenere rectos caminos, ſub pœna ſolidorum ſexaginta Aſten. pro quolibet, & qualibet vice, quã contrafecerit, & peſare ad peiſum communis ordinatum, & conſuetum, ſub pœna ſolidorum uiginti, pro quolibet, & qualibet vice, qua cõtrafecerit, & ſuper his D. Vicarius poſsit inquirere. Et ſi aliquis pedagerius, uel alius collector alicuius exactionis caperet ab aliqua perſona, ultra quàm deberet, ſoluat bannum, ~~pro qualibet uice, ſolidos ſexaginta~~, & omnes homines ciuitatis MontisRegalis, & eius poſſe, poſsint inter ipſos peſare, ad quem peiſum uoluerint, dummodo illa peiſa ſint iuſta. Et de peiſo communis, nihil dare debeant alicui de ciuitate MõtisRegalis, uel poſſe. Et ſi peſator communis peteret aliquid ab aliquo de ciuitate MontisRegalis, uel diſtrictus, ſoluat bannum, ſolidos decem, pro quolibet, & qualibet uice. Et teneatur quilibet peſator, & pedagerius, ſeu collector alicuius exactionis, uel pedagii iurare, attendere, & obſeruare omnia, & ſingula ſupradicta, ſub pœna, & in pœna ſolidorum viginti, ſi non iurauerit ad terminum ſibi præfixum, & nihilominus iurare teneatur, & quilibet poſsit contrafacientes in prædictis, uel aliquo prædictorum accuſare, & ei cum iuramento credatur, & habeat quartam partem banni.

De pedagijs, & maletotis. *Caput* XLVI.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ultra pedagium conſuetum fiat,

colligatur,

colligatur, & capiatur ad opus communis ciuitatis Montis-Regalis, simul maletota in omnibus mercantiis illius quod capitur de hominibus dictæ ciuitatis in uillis circumstantibus, scilicet in Alba, Claraſcho, Cuneo, Foſſano, Sauiliano, Ceua, Bennis, & generaliter in aliis terris, & ſuper hoc D. Vicarius, ſeu conſiliarii, teneantur ponere bonos & legales homines ſeu maſſarios, uel ipſam maletotam uendere ad incantum.

Quòd aliquis non poßit medicinare, niſi prius eſſet approbatus in arte. *Caput* XLVII.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona non poſsit, nec debeat medicinare, uel uti, ſeu exercere, aut in aliquo operari artem Medici phyſicè, in ciuitate MontisRegalis, uel poſſe, ſeu iuriſdictione ipſius, niſi prius eſſet perſona approbata in dicta arte per Iudices, & Sapientes ad hoc requiſitos, vel maiorem partem ipſorum, ſub pœna ſolidorum ſexaginta, pro quolibet, & qualibet vice. Et qui approbatus fuerit ad medicinandum in dicta arte, teneatur intus ciuitatem MontisRegalis uidere aquam infirmi, & dare ei primũ conſilium, pro ſolido vno monetæ currentis, ſub eadem pœna, pro qualibet vice.

Quòd omnes meiſtrales, de quibus ſit mentio in capitulis, iurent eorum officium. *Caput* XLVIII.

ITEM ſtatutũ eſt, quòd omnes meiſtrales, de quibus fit mentio in capitulis, quòd eorum officium iurare teneantur, & debeant iurare in principio cuiuslibet regiminis infra octo dies a tempore cridæ inde factæ, niſi aliud tempus eſſet per capitula ordinatum, facere ſuum officium, & ſuam artem exercere bene & legaliter, ſecundum formam capitulorum ciuitatis Montis-Regalis, ſub pœna ſolidorum quinque, niſi in aliis capitulis de eorum pœna eſſet poſita, & ſuper prædictis poſsit fieri inquiſitio per curiam, & dictam cridam teneatur facere fieri dominus Vicarius infra octo dies, poſt introitum ſui regiminis. Et quòd aliquis non poſsit cogere aliquam perſonam, ſoluere Notariis curiæ, pro faciendo iurare aliquem meiſtralem, pro ſuo ſacramento ſcribendo, niſi ſolummodo denarios ſex Aſten. Et quòd Notarius, qui reciperet iuramentum dictorum meiſtralium, teneatur eis legere diſtinctè totum capitulum, de quo iurabũt, & macellarii, & reuenditores caſei, broſi, carnium ſalſarũ, candelarum, & olei, teneantur iurare in præſentia, in conſilio generali eorũ officium legaliter facere, & aliter recipi non poſsit ſacramen-

ſacramentum. Et idem intelligatur de omnibus officialibus, qui debent iurare eorum officium, ſecundum formam capitulorum dictæ ciuitatis, quòd teneantur, & debeant iurare in dicto conſilio, & quicunque dictorum meiſtralium non iurauerit in dicto conſilio, non poſsit exercere dictum ſuum officium, in toto illo anno, & incurrat pœnam ſolidorum quinque.

Quòd curia poſsit accuſare quoſcunque reuenditores & meiſtrales, ut infra. Caput XLIX.

ITEM ſtatutum eſt, quòd curia ciuitatis MontisReg. poſsit & debeat accuſare quoſcunque reuenditores, cuiuſcunque generis ſint, & quoſcunque meiſtrales quos repériret facere contra ſtancias pondera & menſuras ſibi ordinata & ordinatas per formam capitulorum & reformationum dictæ ciuitatis, & non poſsit procedere per uiam inquiſitionis contra prædictas, & ſi contrarium facerent, non ualeat talis inquiſitio, & quodlibet capitulum ſeu capitula, quod & quæ reperientur diſponere contrarium huic capitulo, illa talia capitula & additiones per præſens capitulum ſint correcta.

De apothecis. Caput L.

ITEM die 3. Februarii 1455. ſtatuerunt & ordinauerunt pro bono & utilitate Reipublicæ, & ſingularium perſonarum, attento maximè quòd ea quæ de nouo emergunt, nouo indigent conſilio, uidelicet quòd nulla perſona ciuis aut extranea cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat uel præſumat in Planis ſeu Burgis, Villis, uel Villariis dictæ ciuitatis tenere apothecam, nec uendere, uel permutare, aut aliter diſtrahere aliquas res, ſiue merces de infraſcriptis per ſe uel aliũ ſeu alios, nec ibi banchum tenere pro ipſis rebus uel mercibus uendendis, ſub pœna librarum decem, pro quolibet & qualibet uice, cuius pœnæ medietas ſit domini, quarta accuſatoris, & quarta communis, & quilibet homo bonæ famæ poſsit contrafacientes accuſare, & eius iuramento credatur, & habeat quartam partem banni ut ſupra, & ſuper præmiſsis poſsit fieri inquiſitio per curiam, & Vicarii Villarum & locumtenentes eorumdem uinculo eorum iuramenti teneantur contrafacientes in ipſis Villis & Villariis accuſare, & habeant quartam partem banni ut ſupra: Nec etiam aliquis ciuis uel aliunde cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat nec præſumat portare cauſa uendendi uel permutandi per loca prædicta, nec etiam in

roatis

roatis plateæ aliquas ex dictis rebus seu mercibus, sub pœna prædicta, applicanda ut supra, & possint accusari & inquiri ut supra, saluo quod in Planis, Villis, & Villariis prædictis possint uendere sal, oleum, caseum, & candelas de cepo, ac pisces. Quæ res & merces sunt hæ. Panni coloriti, nec aliquid ex eo factum. Margaritæ, seu Perlæ. Annuli auri, argenti, uel lottoni, & cuiusuis alterius generis. Corrigiæ, bursæ, nec aliud opus setæ, seu fili factum. Speciæ, merceriæ, drogariæ, nec ali quæ aliæ res comprehensæ sub genere merceriarum, uel specierum, & quæ uendi solent per apothecarios specierum, excepta tamen triacha, confectionibus, ficubus, amandulis, noxalis, item nec aramum alicuius generis, nec opera confecta ex aramo uel cupro & stagno.

ITEM quia ut notorium est per reuenditores, seu portantes ad uendendum merceriam, speciariam, uasa ferrea, ærea, & cuprea, & alias mercimonias per ruatas, in Villisque & Villariis præsentis ciuitatis fiunt etiam quam multæ apothecæ, speciariæ, & drappariæ, & aliorum de quibus supra, tam in Planis, quàm in Villis prædictæ ciuitatis, ex quibus omnibus mul ta damna eueniunt singularibus personis, maximè propter frau des quæ in præmissis clandestinè committuntur, deceptiones fœminarum & hominum ignorantium, fitque destructio plateæ maioris dictæ ciuitatis, cui per alia loca inferiora deferendum est. Hoc ideo pro bono & utilitate Reipublicæ dictæ præsentis ciuitatis, statuerunt & capitulauerunt, quòd magnificus D. Vicarius, syndicus, & gubernatores, tã præsentes quàm futuri, & qui pro tempore fuerint, una cum tribus eligendis pro quolibet tercerio, habeant omnimodam potestatem in præmissis, & circa prouidendi, ordinandi, deliberandi, dictasque apothecas, & reuenditores interdicendi cum & siue pe ius, & alia faciendi quæ eis uisum fuerit secundum occurrentiam. Ita & taliter quòd dictæ ordinationes, & prouisiones, ac interdictiones per eos faciendæ uim & robur habeant præsentis capituli & omnimodam firmitatem pro utilitate Reipublicæ præsentis communitatis.

Quòd loca plateæ non occupentur. *Caput* LI.

ITEM quia non obstantibus prouisionibus aliis in capitulis comprehensis, diebus fori impedimentum occupatur. Ita quòd habilis transitus impeditur, Statuerunt & ordinauerunt

runt

runt ipsis addendo capitulis, & de nouo statuendo, quòd nullus caligarius, nec alia persona, audeat uel præsumat bancum ponere nec tenere, seu teneri facere in platea prædicta, diebus fori & nundinarum, a domo Iacobi de Pollis per directum, descendendo uersus puteum inferiorem dictæ plateæ deuersus capellas communis, nec etiam in prædicta platea ab ipsa domo Iacobi de Pollis super Plano dictæ plateæ, usque ad domum & apothecam domini Raphaelis & Francisci de Castrutio, & hoc sub pœna solidorum decem pro quolibet contrafaciente & qualibet vice: Et quælibet persona, & etiam familiares curiæ posśint contrafacientes accusare, & habeant tertiam partem banni, aliis duabus partibus remanentibus curiæ. Hoc tamen semper intellecto, quòd ciues & terrigenæ ac mandamenti dictæ ciuitatis, posśint in Plano dictæ plateæ ut supra, limitato, diebus Fori & nundinarum impunè tenere pannos sarcitos cum minori impedimento plateæ quo fieri poterit.

De porcis non tenendis, in die fori, in platea. *Caput* LII.

ITEM, quia oportet, vt conuenit Reipublicæ indemnitati, & singularium personarum, secundum occurrentia temporum prouidere, Statuerũt, & ordinauerunt, quòd in die fori nulla persona, cuiuscũnque conditionis existat, audeat, vel præsumat tenere porcos, nec bestias porcinas ad uendendum, uel aliter contrahendum in viis publicis, nec in platea dictæ ciuitatis, infra limites ~~proxime descriptos, & hoc sub pœna~~ solidorũ uiginti, pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Et primo deuersus portam Vici, a domo Baptistæ de Vagnina, siue hæredum Ludouici de Ceresolis, citra versus plateam, Item nec a furno illorum de Donzellis, versus plateam, Item nec in ruata Thaureti, a domo sancti Antonii, uersus plateam. Item nec a via Boziorum citra, versus plateam, Item, nec ab Episcopatu citra, Item, nec a domo Iacobi de Turre supra, uersus plateam.

Finis Sextæ Collationis.

SEPTIMA COLLATIO, Capitulorum factorum super Gabellis & Redditibus communis.

PRIMO Statutum est, quòd quælibet persona cuiuscunque conditionis existat, quæ emerit aliquam ex gabellis seu redditibus cõmunis ciuitatis Montis Regalis, teneatur & debeat infra tertiam diem numerandam a tempore emptionis dictarum gabellarum uel reddituum, dare idoneam securitatem cum fideiussione de soluendo pretium dictarum gabellarum seu reddituum per eum emptarum, in termino seu terminis consuetis. Et si infra terminum trium dierum, dictus emptor fideiussorem idoneum non præstiterit, qui fideiussor loco principalis habeatur, D. Vicarius qui est, erit, uel pro tempore fuerit in præsenti ciuitate, teneatur & debeat vinculo iuramenti ad requisitionem syndici communis, arrestare & arrestari facere dictos emptores, donec dictam fideiussionem præstiterint, & cum effectu. Et teneantur emptores dictarum gabellarum & reddituum aduenientibus terminis solutionum fiendarum per dictos emptores, elapsis decem diebus, numerandis a tempore dictarum solutionum fiendarum, dictas solutiones facere syndico communis integraliter & cum effectu, in denariis numeratis tantum, scilicet in auro uel in argento. Et si dictam solutionem non facient, ut superius est expressum, dictus D. Vicarius teneatur & debeat vinculo iuramenti, arrestare & arrestari facere ac arrestatos detinere emptores dictarũ gabellarum & reddituum, & fideiussores ipsorum cessantes in solutione per eos fienda vsque ad integram solutionem prædictarum gabellarum & reddituum, Cessantibus in prædictis iuribus quibuscunque ciuilibus, & municipalibus. Et quòd syndicus cõmunis in omnibus & singulis suprascriptis, aduenientibus terminis suprascriptis, teneatur & debeat dare operam cum effectu ad solutiones prædictas sibi fieri faciendas, & si erit negligens in aliquibus supradictis executioni mandandis & requirendis, præfato D. Vicario, dictus syndicus teneatur de suo proprio resarcire, & dictam communitatem indemnem conseruare. Et præsens capitulum

tulum

tulum obtineat perpetuam roboris firmitatem, quousque fuerit per consilium generale reuocatum.

ITEM statutum est, ad euitandum errores & scandala qui & quæ in futurum oriri possunt inter emptores gabellarum & redditiuum præsentis communitatis, ex una parte, & commune huius ciuitatis ex altera parte, quòd quæcunque persona cuiuscunque conditionis existat, quæ emerit, seu emet aliquid de prædictis gabellis, seu redditibus communis, emat suis resicis & periculis, omni exceptione remota. Et non possit quouis modo, uel ingenio, aliqua ratione, uel occasione, uel causa iusta, uel iniusta, petere restitutionem siue damnum de aliqua prædicta læsione uel damno seu interesse alicuius gabellæ, siue daciti, redditiuum, & obuentionum, quod & quam diceret perdidisse uel incurrisse de ipsis, uel aliquo ipsorum occasione guerræ, cambii, deueti, repræsaliarum, siue alterius cuiuscunque occasione uel causa. Et qui aliquam restitutionem peteret, emendam, seu interesse, pro prædictis, uel aliquo prædictorum, incurrat pœnam florenorum quinquaginta auri, cuius pœna medietas applicetur cameræ Illustr. domini nostri, & alia medietas communi præsentis ciuitatis, pro interresse & emenda communis. Et qui consuleret, uel consiliū præberet, auxiliū, uel fauorem dictæ tali personæ restitutionem petenti, incurrat pœnam librarum quinquaginta applicandarum ut supra. Quod capitulum sit præcisum taliter quod non possit tolli, nisi per consilium generale dictæ ciuitatis, ac cedat in exemplum omnibus & singulis emptoribus dacitorum redditiuum, & aliarum obuentionum præsentis communitatis, ut omnes obuentiones præsentis communitatis, de cætero eidem communitati remaneant inconcussæ.

Item statutum est, quòd in singulis capitulis gabellarum & dacitorum communis intelligatur, quòd si aliqua persona duceret aliquas res, cuiusuis res existeret, & nominari posset uel possit in ipsis rebus, inclusis bestiis quibuscunque, ad uendendum in ciuitate MontisRegalis uel posse, & prædictas non uendiderit, quòd illas de dicta ciuitate & posse, reuertere possit & extrahere impune ad domum ipsius siue ipsorum habitationem cum iuramento, habita licentia a gabellatore, sine solutione gabellæ, cessantibus quibuscunq; impedimentis, turbatione, & molestia, inferendis per gabellatores, seu per aliã personã.

Item ſtatutum eſt, quòd in principio medio & fine capitulorum dictarum gabellarum & reddituum, intelligatur quòd non ſit in preiudicium hominibus Brighæ, nec aliquibus aliis perſonis habentibus legitimam libertatem, ſeu franchiſiam in præſenti ciuitate ex conuentionibus, ſeu pactis celebratis cum commune præſentis ciuitatis, ſed ſit & intelligatur omne ius & franchiſias penitus, & omnino reſeruatum & reſeruatas.

Item ſtatutum eſt & ordinatum, quòd infraſcripti ſint & eſſe debeant confines omnium gabellarum communis ciuitatis MontisRegalis. Et qui ultra infraſcriptos confines extraxerit aliquid de contentis in capitulis dictarum gabellarum abſque eo quod ſoluerit gabellam, aut abſque eo quod ſe concordauerit cum gabellatore, incurrat in pœnam & banna in ipſis capitulis deſcripta, reſeruatis pactis, conuentionibus, & conſuetudinibus perſonarum habentium pacta & conuentiones cum præſenti communitate.

Confines uero ſunt hi.

Eundo uerſus Vicum, eſt fornax Stephani Serueti.
Eundo uerſus Garilios, eſt domus hæredum Iacobi Surdi.
Eundo uerſus ſanctum Martinum, eſt porta Paxeriæ.
Eundo uerſus ſanctum Theodorum, eſt eccleſia ſancti Theodori.
Eundo uerſus Lupizanum, eſt porta prope ſanctum Ioannem.
Eundo uerſus Curtiles, eſt porta Curtilium.
Eundo uerſus Caraſſonum, eſt cima montata Baſſorum, & Roncherum.
Eundo uerſus Bredulum, eſt cima montata Breduli.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona duxerit, uel duci fecerit aliquam quantitatem gallarum, ad molendum, in præſenti ciuitate, & illam reuertere uoluerit ad domum ſuam. hoc facere poſsit impune abſque ſolutione alicuius gabellæ, cum buleta tamen, iurando, ſi de hoc fuerit requiſita, quòd dictam gallam reportare uult ad domum ſuam, quam bulletam facere teneatur gabellator, ſine aliqua ſolutione. Et eodem modo intelligatur, ſi aliqua perſona duxerit, ſeu duci fecerit ad uendendum, ſeu permutandum in præſenti ciuitate, uel poſſe aliquam, ſeu aliquas de rebus contentis, & nominatis, in capitulis gabellarum, & ipſam, ſeu ipſas res non uendiderit, ſeu permutauerit, quòd eam, ſeu eas poſsit impune reuerti ad domū ſuam, ſine ſolutione alicuius gabellæ, iurando, ſi de hoc fuerit requiſita, quòd eam, ſeu eas res duxerit, ſeu duci fecerit de domo

mo

mo ſua, & quòd ad eandem domum reportare vult.

Capitula facta ſuper gabella macelli.

PRIMO ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd gabella macelli uendatur ad incãtũ, et ſubhaſtetur more ſolito incãtandi, & plus offerenti detur, & uendatur ad ſtanciã infraſcriptã, & ſub modis, ordinamentis, & formis infraſcriptis, uſque ad unum annum proxime uenturum, incipiendo die ſeptima menſis Ianuarii. Videlicet, qui dictam gabellam emerit, teneatur manutenere, ſeu manuteneri facere macellum toto anno, & tenere carnes motoni bonas, & idoneas, ad ſufficientiam, ut in infraſcriptis capitulis continetur, ſcilicet in platea maiori ciuitatis MontisRegalis, ad duas banchas, in plano Caraſſoni, ad vnam bancham, in plano Breduli, ad unam bancham, in plano Vallis, ad unam bancham, in porta Vaſchi, ad unam bancham in Villanoua, ad unam banchã, in monaſterio Vaſchi, ad vnam bancham, in Rocha forte, ad unam bancham, in uillario Vici, ad unam bancham. Et uendere, & dare carnes infraſcriptas, pro infraſcripta ſtancia, uidelicet,

Carnes motoni	*libra una pro*	*ſol.*	*uno*
Carnes agnelli, & capreti	*libra una pro*	*ſol.*	*den. decem*
Carnes nouellæ	*libra una pro*	*ſol.*	*den. decem*
Carnes aliarum ouium	*libra una pro*	*ſol.*	*den. octo*
Carnes bouis ualoris, flor. uiginti ſup.	*libra una pro*	*ſol.*	*den. octo*
Carnes bouis ualoris, flor. uiginti, inf.	[illegible]	*ſol.*	*den. ſex*
Carnes manzi, & manziæ, de lacte	*libra una*	*ſol.*	*den. decem*
Carnes uaccæ	*libra una pro*	*ſol.*	*de. quatuor*
Carnes porci maſculi,	*libra una pro*	*ſol.*	*den. decem*
Carnes porcæ femellæ	*libra una pro*	*ſol.*	*den. octo*

Item ſtatutum eſt, quòd ſinguli macellarii, & quæcunque aliæ perſonæ uolentes macellum facere, poſsint interficere carnes, & facere macellũ, & uendere carnes, cum obſeruãtia capitulorum, & ſtanciæ carnium, dummodo infra decem dies numerãdos a tempore uenditionis dictæ gabellæ, ſe ſcribi faciant, & dictum macellum acceptent, & faciant, ac promittent de faciendo macellum bene, & ſufficienter toto anno. Et ſi infra dictos decem dies non ſe ſcribi fecerint, & prædictum macellum non acceptauerint, nõ poſsint toto illo anno tempore uenditionis dictæ gabellæ facere macellum, nec carnes aliquas uendere publice, uel priuatim, niſi eſſet de expreſſa uoluntate, & licen-

tia dicti emptoris dictæ gabellæ, & hoc sub pœna librarũ trium Asten. pro qualibet persona contrafaciente, & pro qualibet vice, cuius pœnæ tertia pars sit Domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis: Et quælibet persona bonæ famæ, posſit contrafacientes accusare.

Item statutum est, quòd emptores dictæ gabellæ, teneantur & debeant toto tempore dictæ gabellæ, congruis diebus infrascriptis ordinamentis contentis, tenere carnes motoni bonas, & idoneas, & habere ad sufficientiam, prout inferius declarabitur, quando per macellatores publicos, seu deputatos, ad faciendum macellum, nõ fierent ad sufficientiam, & hoc sub pœna solidorum uiginti, pro qualibet uice, cuius pœnæ tertia pars sit Domini, tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis, & tertia pars accusatoris: & quilibet homo bonæ famæ posſit contrafacientes accusare. Et intelligatur habere carnes ad sufficientiam, si ad unam bancham macelli, in platea essent continuæ libræ sex carnium motoni boni, & sufficientis.

Item statutum est, quòd prædicti macellarii singulis diebus Sabbati, ab hora uesperarum, usque ad diem Lunæ sequentem per totam diem, & similiter singulis diebus Martis, & Iouis completis, teneantur, & debeant habere, & tenere ad banchum sui macelli carnes, ad sufficientiam, ut supra, & hoc sub pœna solidorum uiginti, pro quolibet macellario, & qualibet die, qua non haberent ad unam bancham carnes ad sufficientiam, cuius pœnæ, tertia pars sit Domini, tertia pars accusatoris, & tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis, & quilibet homo bonæ famæ posſit contrafacientes accusare. Hoc intellecto, quòd in mensibus Iunii, Iulii, & Augusti, in diebus suprascriptis, non teneatur habere carnes, ultra horam uesperarũ. Qui macellarii, teneantur semper adesse ad suum macellum, seu ibi tenere unum loco sui. Et si aliquis pro eis nõ erit ad macellum, quòd quilibet posſit sibi ponderare de carnibus, soluendo tamen illa die, uel in crastina macellario pretium carnium.

Item statutum est, quòd singulis diebus Mercurii dicti macellarii, teneantur habere, & tenere saltem ad unam bancham macelli, in circuitu plateæ carnes ad sufficientiã, & in casu quo non reperiretur ad unam bancham, tantum de carnibus ad sufficientiam, ut dictum est, quòd omnes macellarii posſint accusari

cusari, & in dictam pœnam incurrant, uidelicet, solidorum uiginti, pro quolibet, & qualibet die, & applicetur, ut supra.

Item statutum est, quòd quælibet persona faciens macellum in ciuitate prædicta, seu uillis supra nominatis, & posse, teneantur, & debeant soluere emptori dictæ gabellæ, solidos decem, pro qualibet bestia grossa, lanuta, quam interfecerit, uidelicet motono, castrono, pecude, capra, ariete, seu hirco, item pro quolibet rubo carnium bouinarum seu porcinarum, solidos quatuor. Item pro quolibet agno interficiendo, durante mense Maii, solidos tres, & elapso dicto mense Maii, quilibet agnus habeatur pro motono, & de ipso soluere, teneantur dicti macellarii, dicto gabellatori, solidos decem Asten. & casu quo ultra dictū mensem Maii, nascerentur aliqui sotones, qui interficerentur in dictis macellis, soluere teneantur pro quolibet ipsorum, solidos tres Asten. item pro quolibet hedo, seu capreto, solidos duos Asten.

Item statutum est, quòd de omnibus carnibus recentibus, uendendis in toto posse, & iurisdictione præsentis ciuitatis, soluantur gabellatori dictæ gabellæ, quantitates supra declaratæ, saluis & exceptatis villis, & locis Rochæ baudorū, sancti Blasii, Freboziæ, Bastitæ, Montis alti, & Reburenti, quæ loca, seu uillæ non includantur, in dicta uenditione.

Item statutum est, quòd si casus accideret de morte alicuius bestiæ minutæ, uel grossæ, adueniente casu fortuito alicuius personæ dictæ ciuitatis, uel posse, seu aliunde, & prædicti quorum essent tales bestiæ sic mortuæ, eas uendere uellent ad macellum, uel alibi illas uendere possint impune, soluendo tamen medietatem quantitatis dictæ gabellæ dicto gabellatori, & hoc de carnibus uenditis, & non de aliis restantibus, sibi uel datis amore Dei, de quibus restantibus sibi, uel datis amore Dei, nihil soluere teneantur.

Item statutum est, quòd quælibet persona, quæ interfecerit, seu interfici fecerit aliquam de supradictis bestiis in domo sua, uel in aliquo macello, pro suo usu, soluere teneatur emptori dictæ gabellæ in tercerio, in quo habitat dictus interficiens, pro qualibet bestia grossa, lanuta, uidelicet, montono, pecude, capra, hirco, seu ariete, solidos octo, & de aliis bestiis, supra nominatis quantitates superius declaratas, exceptis bestiis porcinis, quæ interficientur ad salandum, & pro usu dictæ personæ, &

familiæ ſuæ, de quibus beſtiis porcinis nihil ſoluatur. Et ſuper his intelligatur locus Burgati eſſe coniunctus cum plano Vallis, niſi aliter fuerit conuentum, per emptorem dictæ gabellæ.

Item ſtatutum eſt, quòd emptor dictæ gabellæ, & ſinguli macellarii uendentes carnes, & omnes aliæ perſonæ, in ſupraſcriptis ordinamentis contentæ, teneantur, & debeant obſeruare omnia, & ſingula ſupra contenta, in toto tempore dictæ gabellæ, ſub pœna, & banno, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, librarum trium Aſten. & hoc intelligatur de penis non expreſſatis, ſeu ſpecificatis in capitulis præſentis gabellæ, quæ pœnæ in eis contentæ, & ſpecificatæ in ſua remaneant firmitate. Et pœna præſentis capituli comitatur in ſingulis capitulis ſupraſcriptis, ubi non eſt pœna limitata, nec ſpecificata, & exigatur a contrafacientibus, ac ſit pro tertia parte Domini, & pro tertia parte communis, pro emenda, & intereſſe communis, & pro reliqua tertia parte accuſatoris, & quælibet perſona bonæ famæ, poſſit contrafacientes accuſare.

Item ſtatutum eſt, quòd ſingula capitula, contenta in uolumine capitulorum loquentia, de macellatoribus, & de carnibus recentibus, quibus non eſt derogatum, per capitula, & ordinamenta ſupraſcripta, in eorum firmitate remaneant, & per uendentes carnes debito modo obſeruentur.

Capitula ordinata ſuper gabella uini.

PRIMO ſtatutum eſt, quòd ſuper uinum, quòd de cetero uendetur per aliquam perſonã, uel perſonas qualitercunque in ciuitate MontisRegalis, in uillario Vici, in uilla Molinarum, & Piſſi, Villanoua, Rochaforte, monaſterio Vaſchi ſit dacitum, ſiue gabella, iuxta capitula, & ordinamenta infraſcripta, & hoc ideo pro ſoluendo cenſum Illuſt. D. noſtro.

Item ſtatutum eſt, quòd dicta gabella, ſiue dacitum, ſubhaſtetur, ſiue incantetur ſub capitulis, & ordinamentis infraſcriptis, & plus offerenti detur, & uendatur uſq. ad unum annum.

Item ſtatutum eſt, quòd de cetero pinta uini, in tantum diminuatur, & diminui debeat, ad quam debeant uendere, & menſurare uenditores, & uendentes uinum ad minutum, quòd ſeſtarium uini, quòd ante hanc gabellam erat pintarum quinquaginta duarum, ad pintam, quæ erat ante gabellam, ſit, & eſſe reperiatur ad pintam ſic diminutam, & ad quam de cetero menſuretur pintarum ſexaginta.

Item

Item ſtatutum eſt, quòd quæcunque perſona vndecunque ſit, & cuiuſcunque conditionis exiſtat, quæ de cetero uendiderit in MonteRegali & in ſupradictis, uel in aliquo ſupradictorum locorum, uel uendere fecerit uinum ad minutum, teneatur uendere & menſurare ad dictam pintam, & ratione pintæ, & dare & ſoluere teneatur & debeat communi ſeu emptori dictæ gabellæ, pro quolibet ſeſtario, uendito pretium octo pintarum uini prædicti, iuxta illud pretium quo vendiderit pintam uini, videlicet quòd ſi uendiderit, uel uendere fecerit pintam vini, ſolidum unum Aſten. teneatur ſoluere tabernarius uendens dictum uinum dicto communi, ſeu gabellatori pro dictis pintis octo uini ſolidos octo pro quolibet ſeſtario dicti uini uenditi ut ſupra, & plus & minus prout pinta uini uenderetur. Itaquod ad illam rationem, teneatur ſoluere emptori dictæ gabellæ pro dictis pintis octo, ſoluendis pro quolibet ſeſtario uendito ad minutum ut ſupra.

Item ſtatutum eſt, quòd dicta gabella dictarum octo pintarum uini, hoc eſt pretiū ipſarū & cuiuslibet ſeſtarii uini quod uendetur ad minutum ut ſupra, ſit & eſſe debeat emptoris dictæ gabellæ.

Item ſtatutum eſt, quòd uenditores dicti uini ad minutum & quiſq;, aut quilibet, qui uendiderit uinum ad minutum, uel uendere fecerit ut ſupra, teneatur & debeat poſtquam uendiderit totum uaſſellum uini, quod uendere inceperit, hoc eſt uinum dicti uaſſelli dare & ſoluere dicto emptori dictæ gabellæ, ipſam gabellam ſiue pretium octo pintarum uini pro quolibet ſeſtario, uini uenditi per ipſum, ut ſupra, & non ante. Saluo quòd emptor dictæ gabellæ, tranſactis quindecim diebus computandis a die qua aliquis inceperit uendere, aut uendi facere, ſi uoluerit ſibi ſolui de quantitate reperta, uendita per ipſum uenditorem, poſsit hoc facere, & de quindecim in quindecim diebus poſsit cōpellere uenditorem & uenditrices uini ad minutum eidem ſoluere dictam gabellam pro quantitate uendita, reperta per ipſum emptorem gabellæ.

Item ſtatutum eſt, quòd qualibet perſona ut ſupra, quæ uendiderit vinum ad minutum ut ſupra continetur, teneatur & debeat poſtquam uendiderit aliquod uaſſellum ſeu quantitatem uini quam uendere uoluerit, infra tertiam diem poſtquam uendiderit, notificare & manifeſtare dicto emptori dictæ

gabellæ

gabellæ & soluere gabellam pro quantitate quã uendidisset ut supra, & hoc sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice quarti eius quod soluere deberet occasione dictæ gabellæ, cuius pœnæ, tertia pars sit domini, tertia gabellatoris, & tertia pars communis pro interesse & emenda cõmunis.

Item statutum est, quòd quælibet persona undecunque sit & cuiuscunque conditionis existat, quæ de cetero in loco dictæ ciuitatis, & in locis supra nominatis, uendere uoluerit uel uendi fecerit aliquod uinum ad minutum, teneatur & debeat antequam uendat, uel uendi incipiat alicui, intimare & denunciare emptori dictæ gabellæ, quantitatem uini quam uendere uoluerit, & eam sibi demonstrare, si uendere uoluerit, & non posit uendere, uel uendi facere alicui personæ, nisi prius notificauerit emptori dictæ gabellæ, & dictum uinum eidem per ipsum emptorem bolatum fuerit, & de ipsa gabella, ut superius fit mentio, cum ipso gabellatore fuerit in concordia, & hoc sub pœna & banno pro quolibet contrafaciente & qualibet uice, librarum decem Asten. & amissionis dicti uini, cuius pœnæ tertia pars sit domini, tertia pars sit communis pro interesse & emenda communis, & tertia pars gabellatoris.

Item statutum est, quòd si aliquis publicus tabernarius uel publica tabernaria, uendiderit uel uendere fecerit, in domo sua uel habitationis ipsius, aliquam quantitatem uini ad minutum, possit dictus gabellator uel alter pro ipso bolare & bolari facere omnia vasa uini existentia in dicta domo, prout ipsi gabellatori placuerit. Et publicus tabernarius esse intelligatur hospitans & uendens uinum ad minutum, qui toto anno aut in maiori parte anni ad minutum uendunt, uel medio anno, & illi de quibus esset publica vox, & fama, esse publicos tabernarios.

Item statutum est, quòd si aliquis publicus tabernarius uel tabernaria, emerit aliquod uinum ab aliqua alia persona quæ non sit tabernaria, & in domo ipsius uenditoris, ipse tabernarius vel tabernaria, dictum uinum vendere uellet, dictus gabellator in dicta domo non possit bolare, nisi solummodo uinum venditum per prædictos tabernarios. Saluo quòd domini dictæ domus in qua venderetur dictum uinum per dictum tabernarium uel tabernariam, teneantur & debeant ad instantiam dicti gabellatoris, si per ipsum eidem requiratur iurare

corpora-

corporaliter tactis scripturis, quòd non permittent dicto tabernario, uel tabernariæ, uendere uel uendi facere alicui personæ, de alio uino quàm de bolato & denunciato dicto gabellatori: & si uenderent uel uendidissent manifestare eidem gabellatori, sub iuramento prædicto.

Item statutum est, quòd si aliqua persona quæ non sit publica tabernaria ut supra, in domo sua uinum uendere uoluerit, uel uendi facere ad minutum suo proprio nomine, in eo casu dictus gabellator, omnia uasa uini existentia in dicta domo bolare posśit, & bolata tenere pro tempore quo uinum ibi uenderetur ad minutum, excepto illo uassello, quod dominus dictæ domus cum iuramento suo, dixerit uelle bibere pro se & suis usibus & familiæ suæ.

Item statutum est, quòd si aliqua persona uendiderit, uel fuerit reperta uendidisse alicui personæ de aliquo alio uino quàm de bolato, & denuntiato gabellatori, uel aliquam fraudem ibi cõmisisset, incurrat in pœna & banno librarum decem Asten. ac amisśionis dicti uini, cuius pœnæ & banni, tertia pars sit domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis pro interesse & emenda communis.

Item statutum est, quòd aliqua persona non posśit nec debeat aliqua ratione uel causa, extrahere uel extrahi facere aliquod uinum de aliquo vassello bolato per dictum gabellatorem, nisi solummodo de denunciato dicto gabellatori, & hoc sub pœna & banno solidorum sexaginta Asten. pro quolibet contrafaciente & qualibet uice, applicandorum ut supra, nisi esset de expressa licentia dicti gabellatoris.

Item statutum est, quòd postquam per aliquem ex uenditoribus dicti uini ad minutum, fuerit dictum, & denunciatum dicto gabellatori, quòd non vult amplius in domo sua aliquod uinum uendere ad minutum, teneatur dictus gabellator auferre bulletas omnibus uasellis uini existentibus in dicta domo, & accipere semum uini uenditi, & de uendito sibi satisfieri posśit, & non pluris.

Item statutum est, quòd aliqua persona non posśit facere contra prædicta capitula, uel aliquod prædictorum, uel ipsi gabellæ, aliquam fraudem committere; sub pœna in his capitulis contenta, pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, applicanda ut supra.

Item

Item ſtatutum eſt, quòd emptor dictæ gabellæ, & quilibet eius ſocius, poſsint quoſcunque contrafacientes prædictis, uel fraudantes dictam gabellam, accuſare et pro legitimis accuſato ribus habeantur, & eiſdem de dictis accuſis cum eorum ſacramento & uno teſte bonæ famæ credatur.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua quæſtio uel controuerſia aliquo tempore eſſet inter dictum gabellatorem & aliquam aliam perſonam, de aliqua obſcuritate uel puncto dictorum capitulorum, uel de aliquo alio facto, talis quæſtio & controuerſia ſummariè & de plano cognoſcatur, & decidatur per dominum Iudicem curiæ dictæ ciuitatis, vnà cum ſyndico communis & duobus ex gubernatoribus, quos ſecum habere uoluerit.

Item ſtatutum eſt, quod ſi aliqua perſona fuerit accuſata vel denunciata per dictum gabellatorem, uel per aliquem ſocium ipſius quòd fecerit contra prædicta capitula, uel aliquod prædictorum per aliquam fraudem, quam commiſerit in dicta gabella, & infra decem dies proximè computandos a die eidem de prædictis data defenſio, & non fecerit iuſtã defenſionem quam facere poſsit cum iuramento ſuo, & duobus teſtibus fide dignis, quòd talis perſona ipſo iure & ipſo facto incurrat & incurriſſe intelligatur in ſupradictis pœnis: itaquod occaſione prædicta, poſsit ad inſtantiam gabellatoris, abſque aliqua condemnatione, arreſtari & perſonaliter detineri, uel pignorari, donec ſoluerit pœnam in qua incurriſſet contra gabellam ſupradictam.

Item ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona non teneatur ad aliquam dictarum pœnarum, etiam ſi contrafeciſſet prædictis, niſi per prædictum emptorem dictæ gabellæ, uel alium ſocium ipſius, uel per aliam idoneam perſonam, fuerit cum iuramento accuſata, vel denunciata, coram D. Vicario dictæ ciuitatis, in libro maleficiorum, & per Notarium dictæ curiæ fuerit ſcripta, & ſupra ipſa ore proprio Notarii eidem fuerit decem dierum terminus defenſionis aſsignatus, quæ accuſæ, ſeu denunciæ, ſi quæ fierent, fieri debeant infra duos menſes, a die fraudis, uel delicti commiſsi, & non ultra.

Item ſtatutum eſt, quòd dictus gabellator, uel nuncius ipſius poſsit, quandocunque eidem placuerit recercare, & recercari facere, quoſcunq. contrafacientes prædictis, & domos ipſorum pendentium perquirere, & recercare ad eorum liberam uoluntatem,

tatem, durante tempore suæ gabellæ.

Item statutum est, quòd quicunque uendens uernaciam ad minutum, in dicta ciuitate, uel in supradictis uillis soluere teneatur dicto gabellatori, pro quolibet sestario, ualorem octo pintarum, in illo pretio, quo uenderetur dicta uernacia, sub pœna prædicta, applicanda ut supra.

Capitula ordinata super gabella bestiarum.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona, cuiuscunq. conditionis existat, tam terrigena, quàm extranea, quæ duxerit, uel duci fecerit aliquam, seu aliquas de infrascriptis bestiis, de extra posse huius ciuitatis, ad præsentem ciuitatem MontisRegalis, territorium, seu posse, teneatur de ipsis facere consignationem, & notificationem gabellatori præsentis gabellæ modo infrascripto: uidelicet, si eam, uel eas duxerit, seu duci fecerit in die sabbati, uel nundinarum, ante tertiam eas notificare infra nonam, & si eam, seu eas duxerit post tertiam, & ante uesperas, eam, seu eas teneatur notificare dicto gabellatori ante uesperas. Et si eam, seu eas duxerit post uesperas, teneatur notificare in die crastina ante tertiam. Et si eam, seu eas duxerit, seu duci fecerit in aliis diebus, quàm in die Sabbati, seu nundinarum, teneatur eam, seu eas notificare, in die sequenti, per totam diem, & qui contrafecerit in prædictis, incurrat pœnam solidorum quinque, pro bestia minuta, usque in bestiis decem, & a bestiis decem supra minutis, solidorum sexaginta, & pro qualibet bestia grossa, usque in quinque, solidos decem, & a bestiis quinque grossis supra, solidos sexaginta, cuius pœnæ tertia pars sit Domini, tertia gabellatoris, tertia communis, pro interesse, & emenda communis.

Item statutum est, quòd quælibet persona, cuiuscunque conditionis existat, tam terrigena, quàm extranea, quæ extrahere uoluerit aliquã, uel aliquas de infrascriptis bestiis extra posse, & territorium dictæ ciuitatis, causa uendendi, uel baratandi, soluere teneatur gabellatori dictæ gabellæ, pro insita, ut infra, & hoc antequam extrahere ualeat, eas, ultra cõfines ordinatos.

Primo. pro quolibet motono, oue, hirco, capra, ariete	*den.*	*xij*
Pro quolibet agno. seu agnello	*den.*	*sex*
Pro quolibet capreto	*den.*	*quatuor*
Pro quolibet porco, seu porca, ualoris sol. triginta, uel supra den.		*xxuij.*
Item de prædictis, a solidis triginta infra, usq; in solidos x. den.		*octo*

Item de prædictis, a solidis decem, infra *den. sex*
Item, pro qualibet bestia bouina, mulatina, asinina, cauallina, pro qualibet libra, ualoris ipsarum bestiarum, siue alicuius ipsarum *den. quatuor*

Item statutum est, quòd si aliqua persona de MonteReg. uel posse uendiderit, vel baratauerit aliquam, seu aliquas de suprascriptis bestiis alicui extraneo, & talis persona extranea non soluerit gabellam superius denotatam pro bestiis, quas ut supra emisset, quòd uenditor talium bestiarum, uel permutator soluere teneatur gabellã, quam soluere teneretur dictus emptor gabellatori, & ultra pro pœna, & banno solid. uiginti, cuius pœnæ tertia pars sit Domini, tertia gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis.

Item statutum est, quòd si quæstio oriretur inter emptorem gabellæ, & extrahentem dictas bestias, dicente emptore dictæ gabellæ, quòd emptor bestiarum emisset dictas bestias maiori pretio, quàm confiteretur talis emptor ipsarum bestiarũ, quòd tunc dictus emptor gabellæ, posit compellere talem extrahentem ad iurandum de ueritate dicenda super prædictis, & si tali emptori gabellæ uideretur, quòd talis extrahens non adhæreret ueritati, aut si dictas bestias non emisset, ita quòd essent discordes de ualore dictarum bestiarum, tunc posit, & ualeat taxare pretium dictarum bestiarum, & dare electionem tali extrahenti, quòd gabellam soluat iuxta taxationem prædictam, uel quòd sibi remittat tales bestias, pro pretio per eum taxato.

Item statutum est, quòd si aliqua persona contrafecerit in extrahendo aliquam seu aliquas de supradictis bestiis ut supra scriptum est, ultra confines ordinatos sine licentia gabellatoris, incurrat pœnam solidorum decem, pro qualibet, & ultra amittat dictam bestiam, seu bestias, de quibus contrafecisset, quarum pœnarum, & bestiarum, tertia pars sit Domini, tertia gabellatoris, & tertia communis, pro interesse, & emenda communis.

Item statutum est, quòd non obstãtibus præmissis, quòd homines huius ciuitatis, & uillarũ eiusdem ciuitatis, posint impune sine pœna, & banno extrahere, & cõducere, & extrahi & conduci facere bestias suas, cuiuscunque cõditionis existant a præsenti ciuitate ad dictas uillas, & extra posse MontisReg. causa pascendi, dum tamen eas non uendant, seu permutent extra

posse

poſſe dictæ ciuitatis. Et ſi eas, uel aliquam earum uendiderit, uel alienauerit extra dictum poſſe, ſoluere teneatur gabellam, ut ſupra ordinatam gabellatori dictæ gabellæ, & eidem gabellatori notificare de dicta alienatione beſtiarũ, infra quartam diem, a die alienationis ipſarum beſtiarum, & ſoluere gabellam ad uoluntatem gabellatoris, & hoc ſub pœna ſuprascripta diſtribuenda, ut ſupra.

Item ſtatutum eſt, quòd præmiſsis non obſtantibus perſonæ extraneæ, quæ ducerent, ſeu duci facerent beſtias, cauſa paſcendi, ſeu nutriendi, in ciuitate Montis Regalis, uel poſſe, eas ducere poſsint, & reducere ad domum, & uillas eorum ſine ſolutione alicuius gabellæ, & quòd ordinamenta dictæ gabellæ in dictis perſonis, ſeu quo ad ipſas non uendicent ſibi locum: eo ſaluo & intellecto, quòd ſi dictæ perſonæ extraneæ duxerint, ſeu duci fecerint aliquam, ſeu aliquas dictarum beſtiarum extra poſſe, & per dictum poſſe tranſeundo cauſa paſcendi, uel aliqua quauis cauſa, antequã reducerent dictas beſtias, uerſus domos & uillas eorum, ſoluere teneãtur gabellam ſupra ſpecificatam ſub pœna qua ſupra, diſtribuenda ut ſupra. Et nihilominus teneantur conſignare, & notitiam facere dicto gabellatori, de dictis beſtiis, infra terminum ſuperius ſpecificatum: & idem intelligatur de illis perſonis, quæ ducerent eorum beſtias ad uendendum, ſeu baratandum in præſenti ciuitate, & poſſe, & eas non uendiderint, ſeu permutauerint.

Item ſtatutum eſt, quòd in omnibus caſibus ſupradictis gabellator dictæ gabellæ, poſsit & ualeat dare ſacramentum de ueritate dicenda, omnibus & ſingulis perſonis, in quibus ſuſpicionem haberet committentium fraudem, ſeu dolum, in dicta gabella. & etiam ſuper omnibus, & ſingulis ſuprascriptis, poſsit fieri inquiſitio per curiam, facta prius querela, & requiſitione per gabellatorem.

Item ſtatutum eſt, quòd in principio, medio, & fine præſentis uenditionis, ſeu ordinamentorum, & ſtatutorum ſupra ipſa gabella factorum, ſeu aliqua contenta in ipſis capitulis, non ſint in præiudicium hominibus Brighæ, nec aliquibus aliis perſonis habentibus legitimam libertatem, ſeu franchitatem in præſenti ciuitate ex cõuentionibus, ſeu pactis celebratis cum commune præſentis ciuitatis: ſed ſit, & intelligatur omne ius, & franchiſias reſeruatum, & reſeruatas penitus & omnino.

Capitula ordinata super gabella salis.

PRIMO statutum est, quòd gabella salis subhastetur, & ad incantum uendatur, & detur plus offerenti, sub modis & capitulis infrascriptis.

Item statutum est, quòd quælibet persona vndecunque sit, quæ duxerit seu duci fecerit aliquod sal in ciuitate MontisReg. uillis, posse, & iurisdictione, non audeat uel præsumat uendere, permutare, uel alio quouis modo alienare dictum sal in magna uel minima quantitate, nisi prius illud sal consignauerit emptori, siue gabellatori dictæ gabellæ in hac ciuitate tantum, uel alibi in uillis, ad uoluntatem gabellatoris. Quā consignationem facere teneatur talis cōductor, aut conduci faciens modis infra scriptis, uidelicet si cōduxerit dictum sal, aut conduci fecerit ante horam nonæ, teneatur cōsignasse illud per totam diem prædictam usque ad solis occasum, & si dictum sal conductum fuerit post horam nonam, teneatur illud consignasse, & debeat in crastinam diem ante tertiam.

Item statutum est, quòd quælibet persona possit & valeat ducere & duci facere sal in præsenti ciuitate, posse, & iurisdictione, pro libito uoluntatis, consignando illud modo quo supra, soluendo tamen gabellatori dictæ gabellæ solidos quatuor pro quolibet sestario, & ab inde infra pro rata, in casu quo dictum sal uendiderit in præsenti ciuitate, iurisdictione & posse, aut dictum sal tenuerit in dicto posse & iurisdictione, per spacium vigintiquatuor horarum. Et si infra dictas uigintiquatuor horas, dictus conductor aut conducere faciens, extraxerit uel extrahere uoluerit ultra & extra posse & iurisdictione dictæ ciuitatis, teneatur & debeat soluere dicto gabellatori antequam exportari faciat dictum sal, ultra confines ordinatos pro qualibet somata solidos duos, & pro qualibet carrata, seu lezata solidos octo, & pro quolibet sestario denarios sex, & ab inde infra nihil soluere teneatur.

Item statutum est, quòd qui contrafecerit in præmissis, incurrat in pœna & banno solidorum sexaginta pro quolibet sestario & amissionis salis de quo contrafecisset. Et si aliquis contrafecerit in minima quantitate de sestario vno, incurrat pœnam solidorum quadraginta, & amissionis ipsius salis, cuius pœnæ tertia pars applicetur domino præsentis ciuitatis, alia tertia pars gabellatori seu emptori dictæ gabellæ, & reliqua ter

tia

tia pars communi, pro interesse & emenda communis, quæ pœna excuti posſit immediate ſine aliqua condemnatione. Et quilibet homo bonæ famæ posſit contrafacientes accuſare. Et gabellator ſeu emptor dictæ gabellæ, posſit & valeat deferre ſacramentum vnicuique perſonæ de ueritate dicenda, pro conſeruatione dictæ ſuæ gabellæ, & teneatur quilibet iurare ad requiſitionem & poſtulationem dicti gabellatoris, ſub pœna ſolidorum ſexaginta pro quolibet recuſante iurare, & qualibet uice, cuius pœnæ, medietas applicetur domino, & alia medietas gabellatori ſeu emptori. Et teneatur D. Vicarius ſeu Iudex præſentis ciuitatis ad requiſitionem ſeu quærelam dicti gabellatoris, inquiſitionem facere contra quamlibet perſonam inculpatam feciſſe contra præſentia capitula, & eos inuentos culpabiles, punire iuxta formam dictorum ſtatutorum.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona emerit aliquod ſal ab aliqua perſona, quòd ſal non fuerit gabellatum, & ipſius ſalis gabella ſoluta, quòd talis emptor teneatur conſignare, & ſoluere gabellatori præſentis gabellæ, ſolidos quatuor, pro quolibet ſeſtario, & ab inde infra, pro rata; ut ſupra taxatum eſt modis, & formis ſuperius expreſſatis, ac infra terminum ſupra limitatum, & ſub eadem pœna diſtribuenda, ut ſupra.

Item ſtatutum eſt, quòd finito tempore dictæ gabellæ ſalis, quælibet perſona, quæ haberet ſal in ciuitate MontisRegalis, & poſſe, teneatur dictum ſal expendidiſſe infra uiginti duos dies proxime uenturos, & finitis uiginti duobus diebus dicta perſona, quæ haberet ſal, illud extraxiſſe debeat de dicta ciuitate, & poſſe infra octo dies ſequentes, ſoluendo gabellam gabellatori, uidelicet, ſolidum unum pro ſeſtario, pro exitu tantum. Et ſi infra dictos octo dies nō extraxerit dictū ſal, quòd de dicto ſale teneatur ſe concordare cum dicto gabellatore, uel dictum ſal penes ſe tenere, taliter quòd de ipſo non posſit aliquem contractum facere, nec de ipſo aliquid diminuere, niſi de uoluntate, & conſcientia gabellatoris.

Item ſtatutum eſt, quòd in principio, medio, & fine præſentis uenditionis, ſtatutorum capitulorum, ſupra ipſam uenditionem factorum, quòd præſens uenditio, ſeu aliqua contenta in dictis capitulis, non ſint in præiudicium hominibus Brighæ, nec aliquibus aliis perſonis habentibus legitimam libertatem, & franchitatem in præſenti ciuitate, ex conuentionibus, & pactis

celebratis, cum commune præsentis ciuitatis, sed sit, & intelligatur esse ius, & franchisias reseruatum, & reseruatas penitus, & omnino.

Capitula ordinata super alpagium.

PRIMO Statutum est, quòd qualibet persona de dicta ciuitate MontisRegalis, & posse, quæ duxerit aliquas bestias ad pascendum in alpibus dictæ ciuitatis, soluere teneatur emptori, seu collectori paschagii, ut infra, pro godia, & paschagio dicti alpis.

Primo, pro qualibet oue de lacte	*sol. unum den.*
Item, pro qualibet turgia	*sol. den. octo*
Item. pro qualibet bestia uacina	*sol. den. octo*
Item, pro quolibet agno	*sol. den. sex*
Et illud idem intelligatur de capris	
Item, pro qualibet bestia cauallina	*sol. quatuor den.*
Item, pro quolibet polerio, uel poleria	*sol. duos den.*
Item, pro qualibet bestia bouina	*sol. duos den.*
Item, pro quolibet manzio, seu manzia de lacte	*sol. unum den.*
Item, pro qualibet bestia porcina	*sol. duos den.*

Item, omnes bestiæ foresteriæ, pascentes super dictis alpibus, soluere teneantur duplum.

Item statutum est, quòd qualibet persona, quæ habuerit, uel duxerit aliquas bestias, ad pascendum super dictis alpibus, teneatur, & debeat notificare in præsenti ciuitate emptori, seu collectori dicti alpagii, numerum, & quantitatem bestiarum, quas haberet, uel duxerit super dictis alpibus per totum mensem Iunii, sub pœna pro qualibet bestia grossa non consignata, solidorum octo, & pro qualibet bestia minuta, solidorũ duorũ.

Item statutum est, quòd qualibet persona, quæ duxerit, uel habuerit aliquas bestias, ad pascendum super dictis alpibus, teneatur, & debeat soluere emptori, seu collectori dicti alpagii in præsenti ciuitate, secundũ taxationem superius specificatã per totum mensem Octobris, sub pœna, pro qualibet bestia grossa, solidorum octo, & pro minuta solidorum duorum, quarum pœnarum tertia pars sit Domini, tertia pars sit emptoris dicti alpagii, & reliqua tertia pars sit communis, pro interesse, & emenda communis.

Item statutum est, quòd omnes personæ dictæ ciuitatis, & posse, ducentes bestias, super dictis alpibus, possint, & ualeant

associare

associare personas extraneas, ad ducendum bestias super dictis alpibus, soluendo tamen paschagium emptori, seu collectori dicti alpagii, duplum illius quantitatis, quàm soluere tenentur homines huius ciuitatis, & posse.

Item statutum est, quòd emptor dicti alpagii, non possit, nec debeat uti de prædictis penis superius specificatis, quousque fecerit cridas per trombetam, & in uillis foresteriis notificaretur per unam literam, quam mittere teneantur eius officiali.

Item statutum est, quòd omnes personæ, quæ duxerint bestias in dictis alpibus, quæ associauerint aliquam, seu aliquas bestias foresterias, teneantur, & debeant soluere emptori, seu collectori dicti alpagii, pro bestiis foresteriis, quas associauerint, & quod emptor, seu collector dicti alpagii, possit detineri facere dominum, seu personam associantem, quousque soluerit dictum paschagium, & quælibet persona ducens bestias in dictis alpibus, teneatur, & debeat iurare, si fuerit requisita per collectorem alpagii, totiens quotiens fuerit requisita de ueritate dicenda, sub pœna solid. sexaginta Asten. applicanda, ut supra.

Item statutum est, quòd omnes personæ extraneæ, quæ contrafecerint in præmissis, incurrant pœnam supra dictarum pœnarum applicandarum, ut supra.

Item statutum est, quòd bestiæ cauallinæ portantes uexendas in dictis alpibus, non teneantur soluere dictum alpagium, nec aliqua alia bestia, quæ non staret in dictis alpibus, iuxta per tres dies, aliquid soluere teneatur, & a tribus diebus supra soluere teneatur dictũ alpagium, ut superius specificatum est.

Item statutum est, quòd uituli, seu uitulæ, a quatuor mensibus infra, non teneantur soluere dictum alpagium.

Capitula ordinata super gabella grassa.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona, undecunq. sit, quæ extraheret, seu duceret, seu extrahi, uel duci facere uoluerit aliquid de rebus infrascriptis extra posse ciuitatis MontisRegalis, soluere teneatur emptori, seu gabellatori dictæ gabellæ, pro exitu dictarum rerum, ut infra, aut se concordare cum dicto gabellatore, & hoc antequam ipsas extrahere debeat, ultra confines ordinatos.

Primo, pro quolibet rubo ficuum	*sol.*	*den. sex*
Item, pro quolibet rubo gallarum	*sol.*	*den. sex*

Item, pro quolibet rubo caseorum pinguium *sol.* *duos* *den.*
Item, pro quolibet rubo caseorum toreysiorum pa-
lameisium *sol.* *den. octo.*
Item pro quolibet rubo carnium salsarum *sol.* *den. octo.*
Item pro quolibet rubo olei, seui candellarum, seui & sa-
lacij xungia *sol.* *den. octo.*
Item pro quolibet rubo piscium *sol. unum* *den.*
Item pro medio rubo suprascriptarum rerum, solua-
tur pro rata & a medio rubo infra nihil soluatur.
Item pro quolibet sestario nucum *sol. vnum* *den. xij.*
Item pro quolibet medio sestario nucum den. sex & ab inde infra nihil.

Item statutum est, quòd quilibet qui contrafecerit in prædictis, uel aliquo prædictorum, incurrat pœnam pro qualibet somata solidorum uiginti, pro qualibet carrata seu lezata, solidorum centũ, & pro quolibet falso a rubo medio inclusiue supra, solidos decem, & amissionis rerũ de quibus contrafecisset, applicanda pro tertia parte domino, pro tertia parte gabellatori, & pro reliqua tertia parte communi pro interesse & emenda communis.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ pascharet aliquas bestias in alpibus dictæ ciuitatis, teneatur soluere dictam gabellam dicto gabellatori de fructibus factis in dictis alpibus, scilicet de caseo, & brocio, modo quo supra, & teneatur infra octo dies postquam habuerit bestias suas in dictis alpibus, asecurare cum dicto gabellatore de dicta gabella soluenda, sub pœna solidorum sexaginta Asten. cuius pœnæ tertia pars sit domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis pro interesse & emenda cõmunis. Et gabellator possit post dictum terminum compellere eum uel eos, cuius uel quorum fuerint bestiæ, ad asecurandum ipsum gabellatorem de soluendo ipsam gabellam.

Item statutũ est, quòd quælibet persona districtus dictæ ciuitatis & posse, quæ associauerit cũ ouibus suis, bestias extraneas, teneatur soluere gabellam prædictam, nisi gabella prædicta fuisset soluta a domino extranearum bestiarum, & nisi denunciasset gabellatori. Et de prædictis possit fieri inquisitio, & si quis fraudem commiserit in prædictis, incurrat pœnam prædictam, applicandam ut supra, & teneatur soluere gabellam.

Item statutum est, quòd si aliqua persona de dicta ciuitate

uel aliunde, undecunque sit, uendiderit aliquam quantitatem caseorum seu brocii, a medio rubo supra, alicui extraneo extra confines prædictæ ciuitatis ubicunque uendiderit, teneatur & debeat soluere gabellam prædictam gabellatori prædictæ gabellæ, in casu quo dictus extraneus non solueret dictam gabellam, & hoc infra octo dies a die uenditionis dictorum caseorum, seu salacium inclusiue.

Item statutum est, quòd quælibet persona de uillis & uillariis MontisRegalis, quæ duxisset aliquid de prædictis rebus ad uendendum in dicta ciuitate, posit dictas res reducere, & reduci facere ad dictas uillas, sine pœna & banno, iurando in manibus domini Vicarii seu collectoris dictæ gabellæ, quòd in hoc non committit fraudem, si inde fuerit requisita per gabellatorem.

Item statutum est, quòd quælibet persona de uillis & uillariis dictæ ciuitatis, quæ soluat fodrum & taleam per commune MontisRegalis, posit impune & sine solutione gabellæ, extrahere de MonteRegali & ducere ad dicta loca, caseos & alios fructus quos fecisset in finibus dictæ ciuitatis cum eorum bestiis & sine fraude.

Item statutum est, quòd quælibet persona de posse dictæ ciuitatis, quæ uenderet oleum ad minutum, posit extrahere de Monte ad uillas dictæ ciuitatis, usq; in unã mezellori am olei & unum filum casei, ad uendendum in dictis uillis & uillariis, iurando si placuerit gabellatori, quod prædicta non extrahent de dictis uillis seu uillariis, impunè sine pœna & bãno, & absque solutione gabellæ, & hoc intelligatur pro qualibet hebdomada.

Item statutum est, quòd si aliqua persona contrafecerit in prædictis uel aliquo prædictorum, incurrat pœnam pro qualibet uice & pro qualibet somata solidorum uiginti, & pro carrata seu lezata, solidorum centum, & pro faxo quod portaret ad dorsum, solidorum decem & amisionis rerum de quibus delinquisset, quæ pœnæ & res, applicari debeant ut supra.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ duxerit, emerit, se baratauerit in præsenti ciuitate uel posse, aliquam quantitatem piscium recentium causa extrahendi eos de dicta ciuitate & posse, teneatur & debeat in præsenti ciuitate, dimittere ad uendendum ad minutum, pro munitione dictæ ciuitatis tertiam partem piscium recentũ, si opus fuerit in electione trium

stan-

ſtanciatorum communis ad hoc electorum. Et ſi aliquis extraxerit de dicta ciuitate dictam tertiam partem piſcium recentium,ſeu partem ipſius,abſque licentia Syndici communis;ſeu dictorum electorum, incurrat pœnam ſolidorum ſexaginta, & amiſsionis dictorum piſcium, de quibus contrafaceret, cuius pœnæ medietas ſit curiæ,quarta pars communis,& quarta pars accuſatoris, & quælibet perſona bonæ famæ, poſsit contrafacientes accuſare,& tam familia Domini Vicarii,quàm alii.

Capitula ordinata ſuper gabella ſpeciariæ.

PRIMO ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona, undecunque ſit, quæ extraxerit, aut extrahere uoluerit extra poſſe ciuitatis MontisReg.aliquam quantitatem,de rebus infraſcriptis, teneatur, & debeat ſoluere emptori, ſeu gabellatori dictæ gabellæ,pro ipſis rebus,ut infra,pro exitu, aut ſe concordare cum dicto gabellatore, & hoc antequam ipſas extrahere debeat extra confines ordinatos.

Primo, pro quolibet rubo mellis	*ſol.*	*den. ſex*
Item, pro quolibet rubo ſemolæ	*ſol. unum*	*den.*
Item, pro quolibet rubo riſi	*ſol. unum*	*den.*
Item, pro quolibet rubo plumbi	*ſol. vnum*	*den.*
Item, pro quolibet rubo raſiæ	*ſol.*	*den. ſex*
Item, pro quolibet rubo amandolarum, ſeu noſalarum		*den. ſex*

Et pro medio rubo, & infra de ſupraſcriptis rebus nihil ſoluatur

Item, pro qualibet mola molendinorum	*ſol. ſex*	*den.*
Item, pro qualibet mola ad acuendum	*ſol. duos*	

Item, pro qualibet ſomata omnium aliarum rerum, quæ uenduntur in apothecis ſpeciariæ, quæ non ſunt ſpecificatæ in alijs gabellis, quæ extrahuntur extra poſſe dictæ ciuitatis ſoluere teneantur ſol. uiginti

Et a ſomata infra, pro quolibet rubo ipſarū rerum	*ſol. duos*	*den.*
Item, pro medio rubo ipſarum rerum	*ſol. unum.*	*den*

Et a medio rubo ipſarum rerum infra, nihil ſoluatur.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi quis contrafecerit in prædictis, uel aliquo prædictorum, incurrat pœnam ſolidorū ſexaginta, & amittat illam quantitatem rerum, de qua contrafeciſſet, cuius pœnæ,& banni tertia pars ſit Domini,tertia pars gabellatoris,& tertia pars communis,pro intereſſe,& emenda cōmunis.

Item ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona de uillis, & poſſe dictæ ciuitatis,de rebus ſupraſcriptis impune, extrahere poſsit de dicta ciuitate ad dictas uillas, pro eorum uſu præmiſsis non

obſtantibus

obſtantibus ſine ſolutione gabellæ, iurando, ſi placuerit gabellatori, quòd prædictas non extrahent, nec extrahi facient de dictis uillis.

Capitula ordinata ſuper gabella ferri, aramis, & lanæ.

PRIMO ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona undecunque ſit, quæ extraxerit, ſeu extrahi faciet, extra poſſe ciuitatis Montis Regalis aliquam quantitatem, de rebus infraſcriptis, ſoluere teneatur, & debeat gabellatori dictæ gabellæ, pro exitu ut infra, aut ſe concordare cum dicto gabellatore, antequam eos extrahunt extra confines ordinatas.

Primo, pro quolibet rubo lanæ, uel agnini	*ſol.*		*den.*	*ſex*
Item, pro quolibet rubo ferri, ſeu ſcaliæ	*ſol.*		*den.*	*tres*
Item, pro qualibet ſomata ferri, ſeu ſcaliæ	*ſol.*	*tres*	*den.*	
Item, pro quolibet ballono crauellarum	*ſol.*	*unum*	*den.*	
Item, pro quolibet ballono azari	*ſol.*	*unum*	*den.*	*ſex*
Item, pro quolibet rubo arami	*ſol.*	*unum*	*den.*	
Item, pro quolibet rubo ſtagni	*ſol.*	*unum*	*den.*	

Item, pro medio rubo ſupradictarum rerum, ſoluatur pro rata, & a medio rubo infra, nihil ſoluatur.

Item, pro qualibet ſomata groſſa ſeciorum, uel ſeciarum, pro intrata	*ſol.*	*triginta*		
Item, pro qualibet ſecia, uel ſecio, a ſomata infra, pro intrata	*ſol.*		*den.*	*ſex*

Et pro infra de dictis ſecijs uel ſeciæ, nihil ſoluere teneantur, & ſi quis apportaret ſecium, uel ſeciam cauſa laborandi, in finibus dictæ ciuitatis, uel poſſe, nihil ſoluere teneatur.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi quis de poſſe dictæ ciuitatis, extraxerit ſeu extrahi fecerit, aliquid de rebus ſupraſcriptis de ciuitate prædicta ad ſuam domum, ſeu ad uillas dictæ ciuitatis, pro ſuo uſu, nullam gabellam ſoluere teneatur, faciendo inde fidem cum iuramento ſuo, ſi placuerit gabellatori, quòd prædicta non extrahent de dictis. Eo ſaluo quòd quilibet de poſſe dictæ ciuitatis, poſsit impunè portare extra poſſe, lanam uel agninum ad faciendum eos laborare pro ſuo uſu, & quælibet perſona extranea quæ haberet beſtias ſuas in alpibus dictæ ciuitatis, poſsit impunè lanam ipſarum beſtiarum extrahere de poſſe dictæ ciuitatis, abſque ſolutione dictæ gabellæ.

Item ſtatutum eſt, quòd ſi quis ſemel ſoluerit gabellam de dictis mercanciis, non teneatur poſtea aliquid de dictis mercantiis

cantiis soluere de quibus soluisset, & si aliquis cauderarius extraheret aliquod aramum de MonteRegali & posse, de quo sol uisset gabellam, & illud rediret ad dictam ciuitatem, possit postea ipsum extrahere sine solutione gabellæ, & teneatur gabellator sibi de eo facere bullam sine eo quòd aliquid accipiat faciendo dictus extrahens inde fidem cum iuramento, si placuerit gabellatori.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ contrafecerit in aliquibus de prædictis capitulis, incurrat pœnam solidorum sexaginta Asten. & amittat res de quibus contrafecisset, cuius pœnæ & banni, tertia pars sit domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars cõmunis pro interesse & emenda cõmunis.

Capitula ordinata super gabella lignaminis.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona quæ extraxerit, seu extrahi fecerit extra posse ciuitatis MontisRegalis, aliquam quantitatem de rebus ut infra contentis, soluere debeat gabellatori dictæ gabellæ pro exitu, aut se cum eo concordare, ut infra sequitur, & hoc antequam eas extrahat extra confines ordinatos.

Primo, pro quolibet centenario incisoriorum	*sol. duos*	*den.*
Et ab inde infra, usque in xxv. pro rata, & ab inde infra, nihil		
Item, pro qualibet dozena sellarum, de maiori forma	*sol. quinque*	
Item pro qualibet dozena sellarum, de media forma	*sol. quatuor*	
Item, pro qualibet dozena sellarum, de minori forma	*sol. tres*	
Et ab inde infra, pro una tantum, nihil		
Item, pro quolibet centenario gerborarum seaciorum	*sol. duos*	*den.*
Et ab inde infra, usque ad quarteronum inclusiue, pro rata, & a quarterono infra, nihil		
Item, pro media dozena postium ligni	*sol. duos*	*den.*
Item, pro media dozena tempieriorum	*sol.*	*den. iiij*
Item, pro media dozena gambociarum	*sol.*	*den. sex*
Item, pro media dozena de sporlis	*sol.*	*den. sex*
Item, pro media dozena barrilarum	*sol. unum*	*den.*
Item, pro media dozena palarum	*sol.*	*den. sex*
Item, pro media dozena lancearum	*sol. unum*	*den.*
Item, pro media dozena iauarinarum	*sol.*	*den. sex*
Et ab inde infra de dictis rebus, nihil soluatur		
Item, pro quolibet circulo de tina	*sol. unum*	*den.*
Item, pro quolibet circulo de uegete	*sol.*	*den. tres*

Item

Item, pro qualibet dozena deuiglarum	*sol.*	*den. tres*
Et ab inde infra, nihil		
Item, pro qualibet dozena fitularum ab aqua	*sol. duos*	*den.*
Et ab inde infra, pro duabus, nihil		
Item, pro qualibet dozena galearum	*sol. unum*	*den.*
Et ab inde infra, pro duabus, nihil		
Item, pro quolibet incisorio, a turta	*sol.*	*den. duos*
Item, pro quolibet tinello, cribro, & situla magna	*sol.*	*den. sex*
Item, pro qualibet archa, bancho & banchale	*sol. unum*	*den.*
Item, pro quolibet coffino, a solid. uiginti. supra	*sol. tres*	*den.*
Item, pro qualibet caxia	*sol. unum*	*den.*
Item, pro quolibet pari brocorum	*sol.*	*den. sex*
Item, pro quolibet uallo	*sol.*	*den. tres*
Item, pro quolibet careterio, de sest. octo, et infra	*sol. duos*	*den.*
Item, pro qualibet uegete, de sestar. viij. supra usque in sestar. xvi.	*sol. tres*	*den.*
Item pro qualibet uegete, de sest. xvi. supra	*sol. quinque*	*den.*
Item pro qualibet tina capacitatis, usque in duabus carratis	*sol. tres*	*den.*
Item, pro qualibet tina capace, a carratis duabus supra	*sol. sex*	*den.*

Item statutum est, quòd qui contrafecerit in prædictis uel aliquo prædictorum, incurrat pœnam solidorum decem, & amittat res de quibus contrafecisset, cuius pœnæ & banni tertia pars sit domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse & emenda communis.

Item statutum est, quòd præmissis non obstantibus, qualibet persona dictæ ciuitatis & posse, possit impunè extrahere de dicta ciuitate, ad uillas dictæ ciuitatis, de rebus supra scriptis pro suo usu, faciendo fidem inde cum iuramento, si placuerit gabellatori, quòd prædictas res non extrahet de dictis uillis.

Capitula ordinata super gabella panni sarciti & caligarum.

PRIMO Statutum est, quòd qualibet persona vndecunque sit, quæ extraxerit, seu extrahi fecerit de posse ciuitatis MontisRegalis ultra confines ordinatos, aliquas caligas panni sarciti, aut pannum sarcitum, soluere & contentari debeat gabellatori dictæ gabellæ pro exitu pro qualibet media dozena caligarum denarios sex, & ab inde infra nihil soluere debeat. Et pro qualibet pecia pāni sarciti, de teisiis viginti quin-

que supra solidos quatuor, & ab inde infra pro qualibet teisa denarios duos, & hoc pro exitu. Et quælibet persona quæ duxerit, uel portauerit, seu duci fecerit pannum sarcitum de extra posse MontisRegalis, in MonteReg. uel posse, soluere teneatur pro intrata pro qualibet pecia de teisis vigintiquinque & supra solidos duos, & ab inde infra denarium unum pro teisa; & teneatur illa persona, quæ duxerit seu duci fecerit de extra pannum in posse dictæ ciuitatis, illud præsentare gabellatori dicta die uel die sequenti, & sibi gabellam soluere, aliter possit detineri ad instantiam gabellatoris. Eo saluo quòd quælibet persona districtus dictæ ciuitatis, possit portare impunè pannum ad villas & villaria dictæ ciuitatis pro suo usu, uel causa uendendi, faciendo inde fidem, si placuerit gabellatori, cum iuramento quòd non extrahent de posse dictæ ciuitatis. Et qui contrafecerit in prædictis, soluat bannum solidos uiginti, cuius pœnæ, tertia pars sit Domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse & emenda communis.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ duxerit seu duci fecerit, pannum in dicta ciuitate, causa uendendi, permutandi, uel parandi, aut tingendi, posit ipsum pannum portare extrahere de prædicta ciuitate impunè ad domos suas, absque eo quod aliquid soluat, nec teneatur ipsum præsentare gabellatori.

Item statutum est, quòd quælibet persona posit & ualeat uendere & mensurare ad minutū dictum pannū, absq; eo quòd aliquid soluat pro canatura, Eo saluo & intellecto, quòd si quis uenderet uel uendere uellet pannum, uidelicet peciam siue becōm integrum, teneatur & debeat tam uenditor quàm emptor, soluere gabellatori pro canatura, denarium unum pro qualibet cana mensurata, & teneatur gabellator eam mensurare. Et qui semel soluerit gabellam seu canaturam, & postea reuendiderit dictum pannum, amplius nō teneatur aliquid soluere pro canatura. Et qui contrafecerit in præmissis, incurrat pœnam unius solidi pro cana, applicanda ut supra.

Item statutum est, quòd quælibet persona de ciuitate MontisReg. & posse, posit portare & portari facere, ducere uel duci facere, pannum sarcitum, quo uoluerit causa tingendi, absque solutione alicuius gabellæ, faciendo fidem cum iuramento, si placuerit gabellatori quod ipsum portat seu ducit

ad

ad tingendum. Et si de ipso uenderet, aut non reuerteret, quòd de illo extracto & non reuerso, teneatur soluere gabellam dicto gabellatori.

Capitula ordinata super gabella canabi.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona quæ extraxerit seu extrahi fecerit de posse ciuitatis MontisRegalis, canabum, linum, chordas, uel opus canabi, soluere teneatur gabellatori pro exitu, ut infra, & hoc antequam aliqua ipsarum rerum portet extra confines ordinatos, aut se concordare cum dicto gabellatore.

Primo, pro qualibet somata grossa dictarũ rerũ sol. tres den.
Primo, pro somata asinina sol. duos den.
Item, pro quolibet fasso sol. den. sex
Item, pro qualibet carrata, lezata, seu carosata sol. xx. den.
Item, pro qualibet somata grossa telarum ultramontanarum, seu deuersus sanctum Io. de Muriana sol. quinque
Item pro qualibet somata asinina dictarũ telarum sol. tres den.
Item, pro fassis de teisis decem, supra sol. vnum den.
Item, pro fasso a teisis decem infra, pro qualibet teisa den. unum

Item statutum est, quòd si aliqua persona portaret ad uendendum de dictis telis in dicta ciuitate, & eas uendere non possit, quòd illa talis persona impunè possit reuertere dictas telas ad domum suam, sine aliqua solutione gabellæ, iurando si placuerit gabellatori quod in prædictis non committit fraudem.

Item statutum est, quòd quælibet persona de posse dictæ ciuitatis, possit impunè portare seu portari facere de rebus supra dictis, ad uillas dictæ ciuitatis pro suo usu, tantum iurando si placuerit gabellatori, quòd non committit fraudem in prædictis.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ contrafecerit in aliquo prædictorum, incurrat pœnam solidorum sexaginta & amissionis dictarum rerum, de quibus contrafecisset, cuius pœnæ & banni, tertia pars sit domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse & emenda communis.

Capitula ordinata super gabella coiramunis.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona quæ extraxerit, seu extrahi fecerit de ciuitate MontisReg. ultra confines ordinatos, cordoanũ, uel bazanas affaitatas, coria affaitata, uel

pilosa bouinorum, cauallinorū, mulatinorum, uel asininorum, soluere teneatur gabellatori pro exitu ut infra, aut se concordare cum eo, & hoc antequam aliquod de prædictis portet extra confines ordinatos.

Primo, pro qualibet somata grossa de coreis prædictis siccis	*sol.*	*sex*	*den.*
Item, pro qualibet somata minuta	*sol.*	*iiij.*	*den.*
Et ab inde infra, pro qualibet schena	*sol.*		*den. sex*
Item, pro quolibet fasso alterius coraminis sicci	*sol·*	*duos*	*den.*
Item, pro somata grossa coraminis bagnati, recentis non palezati	*sol.*	*tres*	*den.*
Item, pro somata minuta de prædictis	*sol.*	*duos*	*den.*
Item, pro quolibet fasso, de prædictis	*sol.*	*unum*	*den.*
Item, pro qualibet somata grossa agninarū auotronum	*sol.*	*xx*	*den.*
Item, pro qualibet somata minuta de prædictis	*sol.*	*decem*	*den.*
Item, pro qualibet somata grossa caprinarū pilosarum	*sol.*	*sex*	
Item, pro qualibet somata minuta, de prædictis	*sol.*	*tres*	*den.*
Item, pro carrata, uel lezata de prædictis	*libr.*	*sex*	*sol.*
Item, pro fasso de prædictis, a pellibus sex supra	*sol.*	*tres*	*den.*
Item, a pellibus sex infra, pro qualibet pelle	*sol.*		*den. duos*
Item, pro qualibet animalis saluatici	*sol.*		*den. duos*
Item, pro qualibet dozena caprinarum, & agninarum, uel ouium affeitatarum, ad scribendum, seu ad coperturas	*sol.*	*duos*	*den.*
Item a dozina infra, pro qualibet pelle	*sol.*		*den. duos*

Eo saluo, quòd de par quatuor solarum & ab inde infra nihil soluatur, & etiam quælibet persona de posse dictæ ciuitatis, posit impune pro suo usu & artis eius portare ad uillas & villaria dictæ ciuitatis, usque in par uigintiquatuor solarum, de siccis & palezatis, & etiam portare posit vnum corium bouinum, mulatinum, & cauallinum, uel asininum, eadem causa recens & non pelezatum, & pelles quatuor affaitatas, bazanas & cordoanum, canis, & cuiuscunque generis sint, faciendo fidem de prædictis cum iuramento si placuerit gabellatori.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ contrafecerit in prædictis, incurrat pœnam solidorum sexaginta & amissionis coriorum & pellium, de quibus deliquisset, & solidorum decem pro quolibet & amisionis eius quod portaret de prædictis.

Capitula

Capitula ordinata super gabella troselorum.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona quæ extraxerit, seu extrahi fecerit extra posse ciuitatis MontisReg. aliquos pannos laneos coloritos, seu telas subtiles de ultra montanis, seu francigenis, exceptis telis quæ ducuntur deuersus sanctum Ioannem de Muriana, quæ continentur in gabella canabi, soluere teneatur & debeat gabellatori dictæ gabellæ pro exitu ut infra, aut se cum eo concordare antequàm de prædictis aliquid extrahat ultra confines ordinatos.

Primo, pro quolibet trosello pannorũ coloritorũ	*libr. vnam*	*sol.*	*xij*
Item pro qualibet balla dictorum pannorum	*libr.*	*sol.*	*xvi.*
Item, pro qualibet pecia panni integra separata uel aliter ordinata	*libr.*	*sol.*	*iiij*
Item, pro quolibet trosello dictarum telarum	*libr. vnã.*	*sol.*	*xij*
Item, pro qualibet balla telarum prædictarum	*libr.*	*sol.*	*xvi*
Item, pro qualibet pecia pannorum lombardorum nostratorum.	*libr.*	*sol.*	*iij*

Eo saluo, quòd si aliqua persona de Monte uel posse, extraheret pannum coloratum ut supra, in minori quantitate quàm sit una pecia, non soluat aliquam gabellam, dum tamen illum portaret pro vsu suo & familiæ suæ.

Item statutum est, quòd quælibet persona quæ contrafecerit in aliquo de prædictis, incurrat pœnam solidorum sexaginta, pro qualibet uice & pro qualibet bestia, & amissionis pannorum seu ~~telarum de quibus contrafecisset, cuius pœnæ~~ & banni, tertia pars sit Domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis.

Capitula ordinata super gabella canabosij.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona quæ extrahere uoluerit de posse ciuitatis MontisRegalis, aliquam quantitatem canabosii, soluere teneatur gabellatori pro exitu antequam extrahat ultra confines ordinatos, pro quolibet sestario ad mensuram dictæ ciuitatis, solidum unum. Hoc saluo & intellecto, quòd homines & personæ villarum dictæ ciuitatis, possint & ualeant impunè & sine solutione extrahere canabosium pro eorum usu, pro seminando pro eis, faciendo fidem cum iuramento si placuerit gabellatori, quòd dictum canabosium uolunt pro eorum usu, & quòd per eos nec per aliquam personam interpositam, non exibit nec extrahetur

de iurisdictione dictæ ciuitatis, & quòd in prædictis non committent fraudem, in præiudicium emptoris gabellæ, & si quis contrafecerit in prædictis, incurrat pœnam solidorum uiginti, pro quolibet sestario,& amissionis canabosii, de quo contrafecisset,usque ad medium sestarium,& a medio sestario,& ab inde infra nullam pœnam incurrat, cuius pœnæ, & banni, tertia pars sit Domini, tertia pars sit gabellatoris, & tertia pars communis,pro interesse,& emenda communis.

Capitula ordinata super gabella piscium.

PRIMO statutum est, quòd quælibet persona, quæ uendet, seu uendi faciet ad minutum pisces salsos, uel recentes de maritima, in ciuitate MontisRegalis, uel posse, teneatur, & debeat soluere emptori gabellæ piscium, solidos quatuor, pro quolibet rubo piscium, & intelligatur detracta myrta,& cestis,ac funibus, uidelicet, pro rubis tribus piscium schironatorum, intelligantur,& habeantur pro rubis duobus, quo ad solutionem dictæ gabellæ. Et rubi quinque piscium recentium de maritima, reuertantur, quo ad solutionem dictæ gabellæ, ad rubos quatuor.

Item, pro qualibet barille sardenarũ, uel ancluarum	*sol. octo*	*den.*
Item, pro qualibet barrile tuninæ	*sol. octo*	*den.*
Item, pro qualibet botisella tuninæ	*sol. xvi*	*den.*
Item, pro quolibet rubo schinatarum, anguillarum, & aliorum piscium salsorum	*sol. iiij*	*den.*

Item statutum est, quòd quælibet persona de dicta ciuitate & posse, uel ibi habitans, quæ apportabit, seu apportari fecerit in dicta ciuitate pisces prædictos, uel pro ipsis piscibus, pro usu suo,& eius familiæ, soluere teneatur,& debeat gabellam supradictam, pro rata eius, quòd apportabit, seu apportari faceret.

Item statutum est, quòd nulla persona audeat, uel præsumat dictis ordinamentis, contrafacere, uel uenire, sub pœna solidorum sexaginta Asten. cuius pœnæ tertia pars sit Domini, tertia pars gabellatoris, & tertia pars communis, pro interesse, & emenda communis.

Item statutum est, quòd durante tempore uenditionis dictæ gabellæ piscium, detur, & dari debeat stancia dictis piscibus per stanciatores communis quatuor uicibus in anno, uidelicet, prima stancia a die uenditionis dictæ gabellæ, quæ durare debeat, usque ad festum Carnispriuii, secunda durante quadragesima,

ſima: tertia in feſto Paſchæ, quæ durare debeat, uſque ad feſtum ſancti Michaelis: & quarta fiat in dicto feſto, & duret uſq; ad feſtum natiuitatis domini noſtri IESV Chriſti.

Item ſtatutum eſt, quòd quælibet perſona uendens piſces in dicta ciuitate, uel poſſe, teneatur attendere, & obſeruare ſtanciam datam dictis piſcibus, ſub pœna ſolidorum decem Aſten. pro quolibet, & qualibet uice, cuius pœnæ, tertia pars ſit Domini, tertia pars accuſatoris, & tertia pars communis, pro intereſſe, & emenda communis. Et quælibet perſona, tam familia domini Vicarii, quàm alia perſona bonæ famæ, poſsit contrafacientes accuſare, & de his cum iuramento credatur.

Capitula facta ſupra reſeis.

PRIMO ſtatutum eſt, quòd nulla perſona terrigena, uel extranea, cuiuſcunque ſtatus, præminentiæ, & conditionis exiſtat, audeat, uel præſumat facere conſtruere, uel ædificare aliquam reſeam de aqua in toto territorio, iuriſdictione, & poſſe dictæ ciuitatis MontisRegalis, in ſuo uel alieno fundo, uel communis ſine expreſſa licentia conſilii generalis dictæ ciuitatis, ſub pœna librarum quinquaginta Aſten. cuius pœnæ, tertia pars ſit Domini, tertia gabellatoris, & tertia pars communis, pro intereſſe, & emenda communis. Et ſi forte aliqua reſia olim ſit conſtructa & ædificata per aliquem, ſine licentia dicti conſilii, non poſsit ipſam reſiam laborari ſeu operari facere, nec aquam alicuius fluminis riui uel foſſati in toto dicto poſſe & iuriſdictione dictæ ciuitatis accipere, nec de ipſa uti de cetero pro ipſa reſia, abſque expreſſa licentia dicti conſilii, ſub eadem pœna applicanda ut ſupra. Nec poſsit etiam, audeat, uel præſumat incidere, ſeu incidi facere aliquod biochum ſiue lignum, per conducendo ad reſeandum ad ipſas reſeas aquarum, ſub eadem pœna, applicanda ut ſupra.

Item ſtatutum eſt, quòd quilibet reſeator poſsit & ualeat capere pro ſuo ſalario reſiationis poſtium, a facientibus reſiare biochos ſiue truncos ut infra continetur, & non ultra.

Primo pro quolibet pede de ſira caſtaneæ de longo & de largo denarium unum cum dimidio.

Item pro quolibet pede de quibuſcunque ſiriis aliorum lignorum, tam viridorum quàm ſiccorum ad menſuram ſignatam iuxta portam Breduli, denarios duos.

Item intelligatur pes eſſe de illa menſura quæ ſignata eſt iuxta

portam

portam Breduli, & si mensura ipsius firæ esset ultra numerum ipsorum pedum, usque ad quartum pedis inclusiue, nihil soluere teneatur de illo quarto pluri, & si esset minus, usque ad unum quartum pedis, nihilominus pro uno pede integro soluere teneatur.

Item statutum est, pro conseruatione resiarum communis, quòd non sit aliqua persona, cuiuscunque conditionis existat, quæ audeat, uel præsumat damnificare, seu aliquod damnum inferre, palam, uel occulte in bealeria alicuius resiæ, seu in ædificiis ipsarum resiarum communis, sub pœna solidorum sexaginta Asten. pro qualibet persona & qualibet uice qua inuenta fuerit damnificare seu damnum dare in prædictis, cuius pœnæ, tertia pars sit curiæ, tertia emptoris, & tertia accusatoris, & de præmissis D. Vicar. posit inquirere tales personas.

Capitula facta & ordinata super extracta bladi.

ANNO Domini 1419. indictione 12. die Iouis tertiodecimo mensis Iulii: Conuocato & congregato generali consilio ciuitatis Montis Regalis, de mandato spectabilis uiri domini Petri de Bello forte, honorabilis Capitanei & Vicarii dictæ ciuitatis & districtus, sono campanarum, & uoce preconia, more solito, & in loco consueto, in quo interfuerunt ultra duæ partes dicti consilii, nomina quorum descripta sunt in libro consiliorum, signato exterius per e e. Qui omnes de con sensu, uoluntate, & auctoritate prælibati D. Vicarii pro euidenti utilitate dictæ ciuitatis & districtus, ac aliorum hominum & personarum circunstantium. Statuerunt & ordinauerunt & & deliberauerunt, quòd quælibet persona ciuis districtualis, uel aduena, posit & ualeat conducere & conduci facere ab extra posse territorio, seu districtu dictæ ciuitatis, frumentum, triticum, granum, seu seliginem, legumina cuiuscunque maneriei, auenam, speltam, ordeum, seu castaneas, & alia uictualia ad ipsam ciuitatem libere pro libito uoluntatis, & de ipsa ciuitate, posse, & territorio, extrahere & extrahi facere, modis & formis infra scriptis seruatis.

Primo quod quicunque conduxerit aliquid de suprascriptis uictualibus ab extra posse & territorio dictæ ciuitatis ad ipsam ciuitatem uolens extrahere, teneatur & debeat conducere seu conduci facere per plateam maiorem dictæ ciuitatis, & soluere gabellas consuetas pro exitu, antequam extrahantur

extra

extra cõfines infra ſcriptos collectoribus ſuper hoc deputatis, & accipere buletam, & iurare quod illud conduxerunt ab extra poſſe dictæ ciuitatis, uidelicet:

Pro quolibet ſeſtario frum[illegible]	*den. xij*
Item pro quolibet ſeſta[illegible]rum, cicercarum, lentiglarum, fabarum fr[illegible]	*den. xij*
Item, pro quolibet ſeſt[illegible]earum piſtatarum	*den. xij*
Item pro quolibet ſeſtario c[illegible]anearum cum grolia	*den. vi*
Item, pro quolibet ſeſtario fabarum non fractarum & arbeglarum	*den. viiij*
Item, pro quolibet ſeſtario faſolіorum	*den. xij*
Item, pro quolibet ſeſtario ſiliginis	*den. viij*
Item, pro quolibet ſeſtario auenæ, ſpeltæ, uel ordei	*den. iij*

Et qui contrafecerit in præmiſsis, incurrat pœnam amiſſionis tritici, bladi, leguminum, & aliorum ſupraſcriptorum, quæ conducerentur, & beſtiarum ſuper quibus & cum quibus conducerentur, ſiue beſtiæ illæ ſint conducentis, ſeu conduci facientis, ſiue alterius. Et ſi quis ſuper eius perſonam, uel cum ſua perſona extraxerit, ſeu repertus fuerit extrahere aliquam de ſupradictis uictualibus, aliũde quàm per plateam, uel etiam non ſoluta gabella ſupraſcripta, incidat in pœnam amiſsionis illius quod portaret de ſupradictis uictualibus, & ſolidorum decem pro quolibet ſeſtario.

Item ſtatuerunt & ordinauerunt, quod ſi quis conducens aliquid de prædictis ad ipſam ciuitatem, tranſiuerit uel repertus fuerit tranſire fluuium Eleri cum ſupraſcriptis uictualibus, uel aliquibus ipſarum, alibi quàm per pontes exiſtentes prope ipſam ciuitatem. ipſo facto cadat in commiſſum, & uideatur fraudem commiſiſſe, & proinde puniatur, atque ſi prædicta conduxiſſet ſeu conduci feciſſet extra territorium & poſſe iam ſæpe dictæ ciuitatis.

Item ſtatuerunt & ordinauerunt, quòd nulla perſona audeat uel præſumat conducere aliquid de ſupradictis uictualibus, extra confinia dictæ ciuitatis, niſi prius ſoluerit gabellam ſupraſcriptam. Et ſi quis conduxerit ſeu repertus fuerit conducere, ſeu ducere aliquid de ſupradictis uictualibus extra confinia dictæ ciuitatis, non ſoluta gabella ſupraſcripta, quod ipſo facto cadat in commiſſum, & proinde puniatur ſicut ſi conduxiſſet, portaſſet, ſeu conduci, aut portari feciſſet extra poſ-

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd præfatus dominus Iudex ex suo officio, & ad denunciam, cuiuslibet de omnibus suprascriptis casibus poss[illegible] teneatur, & debeat inquirere, & punire contrafacientes, [illegible] formam iuris, & ordinamentorum prædictor[illegible]

Item statuer[illegible] [illegible]runt, quòd infrascripti sint, & esse debeant con[illegible] [illegible]uitatis omnium gabellarum, uidelicet,

Eundo versus Vicum [illegible] siraasium Stephani Serueti.
Eundo versus Cariles, est domus hæredum Iacobi Surdi.
Eundo versus sanctum Martinum, est porta Paxeriæ.
Eundo versus sanctum Theodorum, est ecclesia sancti Theodori.
Eundo versus sanctum Georgium, est capella sancti Georgy.
Eundo versus Carassonum, est ecclesia sanctæ Mariæ de Spineta.
Eundo versus Curtiles, est porta Curtilium.
Eundo versus Lupizanium, est porta prope sanctum Ioannem.

Reseruatis tamen (præmissis non obstantibus) pactis, conuentionibus, & bonis consuetudinibus uillarum dictæ ciuitatis & aliarum personarum habentium pacta, & conuentiones cum præsenti communitate, quæ pacta, & conuentiones remaneant in sua firmitate.

Item statutum est, quòd si gabellator alicuius gabellæ, plus exigeret, uel caperet, quàm deberet, secundum formam statutorum dictarum gab[illegible] [illegible]re non debet, soluat bannum librarum decem, cuius pœnæ, tertia pars sit Domini, tertia accusatoris, & tertia communis, pro emenda communis, & restituat in duplum illud, quod acce- pisset, illi, a quo accepisset.

De pœnis recusantium soluere gabellas, taleas, debita, & alia onera communitatis.

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd nulla persona, cuiuscunque status, & conditionis existat, audeat, uel debeat, directe, uel per indirectum, quomodocunque, seu qualitercunque se opponere in futurum, in solutione gabellarum, & talearum impositarum, & quæ imponerentur in ciuitate Montis Regalis, pro sustentandis oneribus dictæ ciuitatis. Et si quis, aut qui se opponeret, aut opponerent ut supra, gaudere non debeat, aut debeant priuilegiis, nec commoditatibus, capitulisque, nec conuentionibus dictæ ciuitatis, nec illis se iuuare,